DE JURE
ET
MODERATIONE
CORREPTIONIS
FRATERNÆ,
DISSERTATIO PRACTICA.

Autore

JOHANNE HÜLSEMANNO, D. PP.



LIPSIÆ, Sumptû ac Pralô Ritzſchiano,
Anno Chriſti M DC LI.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO CELSISSIMOQVE
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO,

JOHANNI GEORGIO,

DUCI SAXONIÆ, JULIÆ,
CLIVIÆ, MONTIUM,
DIGNITATIS ELECTORA-
LIS HÆREDI,
LANDGRAVIO THURINGIÆ,
MARCHIONI MISNIÆ,
SUPERIORIS ET INFERIORIS LUSATIÆ,
COMITI DE MARCA ET
RAVENSPURGO,
DOMINO IN RAVENSTEIN.

PRINCIPI AC DOMINO MEO LONGE CLEMENTISSIMO
PERENNEM CORPORIS ET ANIMÆ SALUTEM,
AC
QVÆCUNQVE BONI PRINCIPIS VOTA ESSE POSSUNT,

diurnis nocturnisqve ſuſpiriis precor,
&
Hoc qvalecunqve ſubmiſſæ gratitudinis Monumentum
dico, ſtatuo
Joh. Hüllemannus, D.

 Filiis

Filiis & Nepoti magni & religioſi illi9 Imperatoris THEODOSII; *Arcadio, Honorio & Theodoſio Juniori* conſentiens perhibent omnes Hiſtorici pietatis encomiũ, qvòd reverẽtiâ erga Deum nemo ex ſacerdotum vel etiam plebeja turba his ſummo loco natis animabus fuerit religioſior, Zelo erga puritatem doctrinæ Evangelicæ nemo ferventior, Obſervantiâ erga Evangelii Doctores nemo demiſſior, nemo deniq; his tantâ majeſtate armatis, tantâ libertate natis & educatis Principibus comitate facilior, aut innocẽtiâ clarior. Et, ut ſolent Prophetæ ad *Davidis, Aſa, Joſaphati, Hiskiæ, Joſiæ*, aliorumq; pietatis alumnorum hiſtorias proſperam Imperiorum fortunam attexere; eamqve velut ex fonte iſto derivare; Ita & illi horum Luminum ſplendori ſerenitatem felicis regiminis totam tranſcribunt. *Theodoſii* Patris pietas & ſtudiũ ad fidei puritatem conſervandam, laudem omnem ſuperat, ut non ſolùm *Socrates, Theodoretus & Sozomenus*, hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Conditores infantiam ſuam excuſent, ſed *Ambroſius* qvoqve & *Auguſtinus*, graviſſimi & diſertiſſimi Epiſcopi, facundiâ ſuâ Theodoſianæ laudis faſtigium attingere ſe non potuiſſe fateantur. Auguſtin9 qvidẽ, ut Paganos retunderet, qvi pietati pu-

Digitized by Google

puſillanimitatis probrum objiciebant, oppoſitis Conſtantini & Theodoſii exemplis oſtendit: non obeſſe magnanimitati pietatem. *Bonus* (inqvit) *Deus ne homines qvi eum crederent propter æternam vitam eſſe colendum, has ſublimitates & regna terrena exiſtimarent poſſe neminem conſeqvi, niſi Dæmonibus ſupplicaret; Conſtantinum Imperatorem non ſupplicantem Dæmonibus, ſed ipſum verum Deum colentem tantis terrenis implevit muneribus, quanta optare nullus auderet. Cui etiam condere civitatem Romano Imperio ſociam, velut ipſius Romæ filiam conceſſit.* V.de Civit. 25.26.

De Theodoſii autem fortuna ait: *Milites*, qvi à partibus Eugenii Tyranni contra Theodoſium in prælio ſteterant, *nobis retulerunt: Extorta ſibi eſſe de manibus qvæcunq; jaculabantur, cùm à Theodoſii partibus vehemens in Adverſarios ventus iret, & non ſolùm qvæcunq; in eos jaciebantur concitatiſſimè raperet, verùm etiam ipſorum tela in eorum corpora retorqveret. Unde & Poeta Claudianus, qvamvis à Chriſti nomine alienus, in Ejus tamen laudibus dixit:*

O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Hiſtoriam expoſuit *Theodoretus* Cyri Epiſcopus aliqvantò luculentius, *V. hiſtor. capite 24.* Cui hunc attexuit Epilogum: *Sic erat THEODOSIUS & in*

Matutinis ipſe temporibus unà cum ſororibus ſuis reſponſorios & alternos hymnos dicebat : Qvapropter & ſacras literas memoriter recenſebat. Cum Epiſcopis enim perinde ac ſi olim conſtitutus eſſet Sacerdos, ex Scripturis loquebatur: Collegit etiam ſacros Codices, & qva ab interpretibus illorum ſcripta ſunt, magis qvàm Ptolomæus, &c. Erat adeo religioſus, ut cunctos Deo conſecratos honoraret, præſertim qvos religione præſtantes eſſe audiebat, &c. Et præclara mille alia, qvæ ideam & boni Principis & Chriſtiani Lectoribus effigiant.

De fortuna autem ejus ſubdit: *Qvalia Ebræis olim ſub Moſe mare rubrum tranſeuntibus accidebant, Talia etiam Ducibus Imperatoris hujus contra Tyrannum Joannem ab eo miſſis, evenerunt.*

Præmiſerat Socrates, ſe in hac laudum congerie nihil dare auribus: *Ego,* inqvit, *nec Imperatori cupiens innoteſcere, nec dicendi facultatem volens oſtentare, nuda hæc cum veritate, qvanta Imperatori bona fuerint indita, commemorare propoſui. Etenim cum publico ſint utilia, damni loco duxero, ſi preſſa fuerint ſilentio, & poſteris noſtris manſerint incognita.*

Niſi dudum innotuiſſem CELSITUDINI TUÆ SERENISSIME PRINCEPS, poteram fortasſis initiare ſemitas has hiſce & ſimilibus encomiorum floſculis;

At

At,cum ſperem,me horum viginti & duorum annorum curſu,qvem ex divina, & SERENISSIMI DOMINI PARENTIS TUI voluntate in Cathedra Theologica cõficio,ſatis dediſſe teſtatum,qvòd in Magirorum ſcholis non ſim educatus,neqve ῥήματα μαγειρικά,qvæ Ariſtophanes perſtringebat, dare didicerim; totiqve Provinciæ compertũ ſit, morũ me&PRINCIPALIUM actionum adeo ignarum nõ eſſe, ut veluti Xenophon ideam pædiæ Cyri Imperatoris comminiſci neceſſe habeam; non formido LAUDATISSIMI DN. PARENTIS TUI, TUAM, FILIIQVE HÆREDIS pietatem cum Theodoſiana atqve Arcadiana componere; qvum hisce oculis Theodoſiana hauſerim,hiſce auribus Arcadianâ pietate digna perceperim,&c.

Singulas partes aliis enucleandas concedo, qvanqvam difficilè non eſſet,ex iſtis,qvæ ex ſæpe collatis de Religione ſententiis recenti memoria circumfero,ſingulas percenſere. Theodoſii utriusqve & Arcadii ſuprema cura non tàm pro conſtituendâ, qvã pro conſervanda Orthodoxia deſudavit, Conſtitutam enim in Imperio ſuo à Conſtantino acceperât: Nõ promitto mihi tot ſoporiferas noctes,qvot SERERENISSIMUS DN. PARENS TUUS pro conſervanda puritate doctrinæ Evangelicæ egit inſom-

nes, non ſolùm ab initio Imperii ſui, ſed cum potiſſimam ſollicitudinis partem, ſuperſtite SERENISSIMO PATRUO TUO, ELECTORE DUCE CHRISTIANO *beatiſs. mem.* jam ſuſtineret; veluti ex *Reſolutione Gravaminum Torgenſium*, *de Anno MDCIX.* ſatis elucet. Quot exinde Legationes, qvot conventus Principum, qvot Synodos Theologorum & Politicorum ſuo ſumptu, atqve unicè pro fidei ſinceritate tuenda ſuſtinuit? *In* ſocietatem iſtius ſollicitudinis jam vocatus es, *SERENISSIME DOMINE*, qvemadmodum vivo Patre vocabatur *Arcadius*:

> *ſentis & curas laqveata circum*
> *tecta volantes.*

Neqve tamen compones omnia; qvin THEODOSIO Tuo (patiaris me haruſpicari) & Montaniſtas, & Priſcillianiſtas & Arianos & Macedonianos, & Anabaptiſtas, & Eunomianos, & Novatianos, & Pelagianos & Neſtorianos, & Eutychianos, eorumqve progeniem relinqvas emendandos. Hos enim exercuiſſe ſollicitudinem *Theodoſii Junioris*, ex Codice Juſtinianeo, & legibus in has ſectas latis, nec non ex publicis *Conciliis* ſub Imperio ejus religionis causâ convocatis, qvorum *TRIGINTA TRIA à Baronio* Annaliſta, & *Severino Binio, ab Anno Chriſti CCCCIX.*

ad

ad CCCCL. computantur; deniqve ex *Epiſtolis* ultrò citroqve in fidei cauſa miſſis ſatis apparet. Nam ut fruſtraneus fuit labor mitiſſimi Imperatoris in conciliandâ luce cum tenebris, etſi ardorem pariter & ſumptum incomparabilem adferret, æqve ac *Pater & Avus* ſategerant: Ita ſperandum non eſt, Chriſtianæ ſimplicitatis hoſtem dedidiciſſe antiqvas artes, aut poſuiſſe ſævitiem in Paradiſo jam demonſtratam.

Interea, qvemadmodum hi Imperatores, & cũprimis *Theodoſius Junior*, etſi ſolius Orientis provincias gubernandas accepiſſet, in Occidentem ad *Honorium & Valentianum Impp. ad Cæleſtinum & Leonem Romanos PP. ad Auguſtinum Hipponenſem*, aliosqve pro communione fidei illibate ſervanda literas ſcripſit: Et qvemadm. *JOHANNES FRIDERICUS* DUX Saxoniæ, poſtea ELECTOR *glorioſiſs. mem.* ſuperſtite Parente, & legationes & miſſiones, & labores indefeſſos pro inſtauranda religionis puritate ſuſcepit, *Smalcaldiæ, Auguſtæ, Coloniæ Ubiorum*, atqve aliis in locis, *Sleidano & Thuano* teſtibus : Ita nec SERENISSIMO DN. PARENTI TUO, neq; CELSITUDINI TUÆ, tanqvam hæredi Paternæ Majeſtatis vitio verti poteſt aut debet, qvòd pro conſervanda Harmoniâ doctrinæ Evangelicæ, multis ſu-

doribus per divinam gratiam jam repurgatæ &conſtitutæ,pro ſalute tot Eccleſiarum, pro tranqvillitate totius Imperii,pro vicinorum & poſterorum veſtrorum ſecuritate vigiles intenditis oculos.

Magna certe veneratione excipi oportebat SERENISSIMI PARENTIS TUI ſollicitudo, qvā pro autoritate & prudentia ſua,qvâ inter cæteros fidei Orthodoxæ ſocios in Romano Imperio præfulget,vindicandæ ſinceritati doctrinæ impendit.

Quum enim in conſervanda Politia Eccleſiaſtica nō minus verum eſſe neceſſe ſit,qvod Poeta cenſuit,

ſeris venit uſus ab annis:

qvàm verum id eſſe in qvovis opificio,in qvibusvis aliis negotiis tòtâ die deprehendimus ; potisſimam certe &præſentisſimā opē ſibi ſpondet Chriſti Ipōſa à SERENISSIMI PARENTIS &TUA Pietate, Autoritate,&Prudentia. Pietate,qvà vultis, Autoritate qva poteſtis, prudentiâ qva ſoletis gliſcentibus de Religione disſidiis obicem ponere, ipſumq; fomitem penitus extingvere.

Quamqvam enim ſingulis Romani Imperii immediatis Statibus Evangelicis hoc axioma competat, ut provinciales Synodos in territoriis ſuis cogere, & de exercitio, deq; conſervandâ puritate atqve integritate genuinæ &authenticæ Confesſionis Augu-

guſtanæ,æqvè ac de ceremoniis ſtatuere poſſint; vi claræ & ſatis manifeſtæ literæ Pacificationis religioſæ, ſuperioris ſeculi anno LV. Auguſtæ Vindelicorum confirmatæ,ibi: **So ſoll die Geiſtliche Jurisdiction wider der Augſpurgiſchen Confeſſion Religion/ Glauben / Beſtellung der Miniſterien/ Kirchengebräuche/Ordnungen unnd Ceremonien/ ſo ſie auffgerichtet/oder auffrichten möchten / nicht exerciret/geübet oder gebrauchet werden: Sondern derſelbigen Religion/Glauben/ Kirchengebräuchē/ Ordnungen/Ceremonien uñ Beſtellungē der Miniſterien/ihren Gang laſſen / ꝛc.**

Quanqvã etiã pœne ſinguli in notorio exercitio juris ſui verſentur;qvod tùm antiqvæ tũ recẽtes Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, Confeſſiones fidei, Modi examinandi Ludimagiſtros & Paſtores, Sacramenta de Religione à præficiendis præſtanda, aliaq; in Synodis Provincialibus de fide & moribus Chriſtianis ſtatuta luculenter oſtendunt: Qvamvis deniq; non tantùm exercitium Jurisdictionis *Diœceſanæ* in ſpecie, & *Eccleſiaſticæ in genere* ſuſpenſum ſit, ne exerceatur ab Epiſcopis Romanæ parti adhærentibus; ſed ipſe etiam habitus & forma eſſent alis omnis Jurisdictionis Eccleſiaſticæ toti hierarchiæ Statuum Evangelicorum reſtitutus ſit, de qvo qvisq;

par-

particularis ordo totius hierarchiæ participat, ſive qvoad habitum ſive qvoad exercitium, juxta menſuram in ſacro Codice ſingulis tributam, & praxi Apoſtolorum priſcorumq; Chriſtianorum confirmatam; qvod itidem patet ex verbis allegatis: Religion, Glauben/ Kirchengebräuchen / Ordnungen/ und Ceremonien/ ſo ſie auffrichten möchten: Qvi ſanè ſunt actus eſſentiales jurisdictionis Eccleſiaſticæ, & ſummæ qvidem in illo genere poteſtatis: Atqve etiam in noviſſima conſtitutione pacis Oſnabrugenſis Artic. V. §. 16. non tantùm ſuſpenſio exercitii à parte Romanenſium confirmata, ſed etiam devolutio utriuſque jurisdictionis tàm *diœceſanæ* in ſpecie, qvàm *totius jurisdictionis Eccleſiaſticæ cum omnibus ſuis ſpeciebus* (ſunt verba Inſtrumenti Pacis) juri Territorii dudum annexa, clarius ſaltem atqve evidentius expreſſa ſit; ut non ſolùm ab Ordinariorum ſive Diœceſanorum jurisdictione, ſed etiam à Romani Pontificis imaginariâ poteſtate Oecumenicâ, & patriarchali pariter, qvam per Occidentem fere totum ante hoc ſesqviſeculum exercebat, Status Auguſtanæ Confesſionis immunes declarentur; Ex conſvetudine tamen, ſesqviſeculi præſcriptione cõfirmatâ, ex naturali convenientia, & neceſſaria qvadam conditione omnium Collegiorum, ut præcipuus

puus inter collegas facultatem convocandi, proponendi, ſententias rogandi, colligendi, concipiendi & publicandi habeat; ex Actibus poſſeſſoriis, exemplisqve in publico fulgentibus, Ex conventione deniqve illorum Statuum Imperii, qvorum nomine *Præfatio Libri Concordiæ* Anno XXC. elapſi ſeculi in publicum prodiit, qviqve ſub finem illius præfationis hisce verbis mutuum ſe devinxerunt: *Dabimꝰ etiam operam, ſi vel renaſcantur controverſiæ jam ſopitæ, vel novæ in religionis negocio oriantur, ut eæ absq; longioribus & periculoſis ambagibus, ad præcavenda offendicula, in tempore è medio tollantur & componantur, &c.* nulli Germanorum Principum magis convenit id dare operam, ut hæc conventio in actum deducatur, ut repullulaſcentes inter Domeſticos fidei controverſiæ, jam olim ſopitæ & denuô motæ, absqve longioribus & periculoſis ambagibus, ad præcavenda plura offendicula in tempore è medio tollantur & cōponātur, qvàm SERENISSIMO & in fide *CONSTANTISSIMO ELECTORI SAXONI.* Si qvid à me in rem præſentem conferri poſſe ſperē, qvin & VENERANDI DOMINI PARENTIS Tui, & Tua SERENITAS id longè habeant perſpectius, dudumqve perpenderint accuratiꝰ, deſipiam utiq;, & cum Neſtore Catonem ad literarum rudimenta revocare ſatagam. Qvieti

Quieti ſane & tranqvillitati provinciarum VESTRARUM ſatis conſultum eſſe videtur, ſi limitibus in libro Chriſtianæ Concordiæ poſitis juſto Zelo bonâqve fide inſiſtatur: ſi Paſtorum & Ludimagiſtrorũ cùm fides tum eruditio *ad Articulos generales* in Conſtitutionibus Eccleſiaſticis & Conſiſtorialibus definitos exploretur & exigatur; indocti & ſuſpecti repellantur, donec & fidei & doctrinæ ſuæ certiorem fidem fecerint: Viſitationes & Synodi annuæ redintegrentur: Defectus obſervati, & prout decet literis conſignati, juxta præſcriptam normam emendentur: ſuſpecti de integritate doctrinæ ab executione officiorum interea ſuſpendantur: Deprehenſi in errore Conſiſtoriis illicò denuncientur, de Cathedris tantiſper ſummoveantur & in Catechumenorum claſſe locentur: qvam ſi faſtidiant aut criminentur, juxta normam legibꝰ Eccleſiaſticis & Politicis harum provinciarum procedatur.

Spondeo atqve interpono fidem; ſi Candidatorum doctrina juxta normam *Articulorum Generalium* qvos vocamus, numero qvidem TER NOVENORUM Erotematum concluſam, at qvæ bonâ fide ſesqvicenturiam admodum controverſiarum Theologicarum cõplectitur, præcisè exigatur; non poſſe delitescere novitatem, qvo ſe cumqve colo-

re

re pingat. Præſertim, ſi Ephori, qvod eis maximè convenit, qvo qvalitate examinandorum, & ratione temporis, qvo error alius alio vehementius ſævit, penitius indagent doctrinam Candidatorum, juxta *Compendiariam Normam* in Libro Concordiæ definitam: Weil in denen verzeichneten Articulen die andern alle auch eingeſchloſſen/ſollen die examinatores, nach Geſtalt der Perſonen / ſo zu examiniren vorgeſtellet/wo es von Nöthen/weiter fragen: Damit eigentlich erkündiget/(daran auch zum meiſten gelegen) wie es der Lehre halben mit ieder Perſon geſchaffen/ ſo zum Kirchendienſt zu gebrauchen: und demnach nicht unwiſſend iemande bald die Hand auffgelegt / der zu dieſem hohen Ampt nicht tüchtig / oder mit falſcher Lehre etliche viel Seelen verderben möchte/ehe man ſolchs gewahr werde.

Qvicqvid enim de *autoritate Confeſſionis Auguſtanæ* aliorumqve librorum Symbolicorum; Qvicqvid de *Autoritate Priſcorum in Eccleſia Doctorum*, ſive qva interpretum doctrinæ, ſive qva Teſtium hiſtoricorum: qvicqvid de *principiis & neceſſitate cognoſcendi Myſterium Trinitatis, vel etiam æternæ naturæ in Chriſto!* qvicqvid de *unione perſonali, & communione Majeſtatis*: *De apparitionibus Meſſiæ in veteri Teſtamento*: *De inhabitatione Dei in credentibus*: *De præſentia Chriſti ſecundum utramq; naturam*, non ſolùm in Eccleſia, ſed etiam in medio inimicorum: *De reqviſitis membrorum Eccleſiæ & Communionis*

Sanctorum: De natura & propagatione peccati originalis: De diſcrimine peccatorum regnantium & non-regnantium: De qvalitate objecti, qvod immediatè & proximè imputatur credenti ad juſtificationem: De *neceſſitate bonorum operum ad hunc finem,* qvi dicitur, *ingreſſus ſupremæ beatitudinis,* deq; aliis fidei Apoſtolicæ capitibus denuo ſollicitari cœpit; id ſolaribꝰ radiis deſcriptum & declaratum extat in cõmuni illa Confesſione Nobilisſimarum & Amplisſimarum per Romanum Imperium Eccleſiarum; Cui Confeſsioni doctrina publica Regnorum Sveciæ, Daniæ & Norvegiæ, & Provinciarum illis annexarum cõſenſu notorio & manifeſto adſtipulatur.

Etſi verò dubium non ſit, Regnorum iſtorum Monarchas & Proceres id ſuapte ſponte daturos operam, ne publicꝰ iſte conſenſus ullatenus interpoletur; qvod ex Comitiorum recentisſimis Actis & decretis, ipsâq; oculari praxi univerſo orbi conſpicuum eſt; Nullius tamen ἀλλοτριοεπισκοπίας inſtar ulli probo viro præbere poteſt SERENITATIS VESTRÆ ſollicitudo, ſi, qvod inclyti Reges faciunt, ad id hoc potisſimum tempore ſtrenuè obſervandũ, ubi Chriſtianæ communionis & veritatis hoſtis Zizania olim protrita & pasſim agnita denuò ſpargere, & vicinos agros infelici lolio maculare ſatagit, comiter & amicè à VOBIS invitentur.

Non

Digitized by Google

Non magis, inqvam, ſollicitudo illa cuiqvam ἀλλοτριο-ἐπισκοπίας inſtar præbere poterit, qvàm ſi de cavendis communis monetæ corruptoribus in vicinia deprehenſis, vicina regna moneantur. Quomodo inconcuſſus ille Confeſſor Chriſti, Dux Elector JOHANNES FRIDERICUS paulò ante nobis laudatus, ſcripto publico d. XXX. Auguſti Anno MDXLVI. dato, univerſos fidei ſuæ domeſticos monebat, ut ab incendiariis, & fluminũ fontiumq; publicorum infectoribus à Paulo III. Rom. Pontifice in Germaniam tunc miſſis, & Vinariæ deprehenſis, ſibi ſuisq; ditionibus caverent. apud *Hortlederum* Tom. II. de progreſſu belli Smalcaldici lib. III.

Tametſi nemo qvoqve civili prudentiâ mediocriter inſtructus dubitare poſſit, qvin Principes & Status Evangelici in Romano Imperio, manibus veluti palpent; non poſſe ſe qvietã ſpectare Remp. *ſi Doctores* etiam qvarumvis Sectarum & Promachi, *qvi in congreſſibus & Colloqviis publicis discutiendarum controverſiarum Eccleſiaſticarum ergò inſtitutis, Sectarum partes voce & ſcriptis tuentur*, (qvales v. c. ante hoc Quinqvennium ad Colloqvium Thorunienſe confluxerant) *eo loco habendi, eo affectu proſeqvendi, eo modo tractandi ſunt, qvi civibus regni cœleſtis & Chriſti membris, qvi concorpo-*

ribus & cohæredibus Sanctorum DEBETUR, dummodò ſolis verbis ſincerè, qvantum extrinſecus apparet, prolatis profiteantur: Qvòd unum Deum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum venerentur & adorent. Et Filium, ut expiatis peccatis noſtris æternam vitam nobis redderet, hominem natum, paſſum & mortuum eſſe crederent (An reſurrexerit, aſcenderit ad cœlos, ſedeat ad Dexteram Patris vivens & regnans Deo, &c. nihil intereſt:) *Et virtute ac merito Paſſionis & mortis ejus* (etſi non ſolo) *ſe remisſionem peccatorum ſuorum* (infuſionem gratiæ expellentis peccatum) *conſeqvi, & vitâ æterna potituros eſſe confidant: De cætero abnegata impietate, temperanter juſtè & piè vivant;* Nullius tamen jurisdictionis uſurpatio, ſed obſervantiæ recepti ordinis conveniens fuerit, cohortari ſocios Principes, ne ſinum usq; adeo laxent, ut Socinus, Menno, Zvvinglius, Leo X. Pontifex, & Paulus Apoſtolus in communione Sãctorum eodẽ loco habeantur: Eos præcipuè, qvos Avorum & Atavorum pietas intemerandâ per omnem poſteritatem religione ad Libri Concordiæ Symbolum devinxit, æternumq; duraturo glutine conſociavit.

Quid enim Hæreſiarcha Neſtorius exoptabat impenſius, qvid flagitabat enixius ab Epheſina Synodo, qvàm ne ſpoliaretur libertate ſtatuẽdi perin-

de

de & indifferentur de iis, de qvibus in Symbolo Apoſtolico, Nicæno & Conſtantinopolitano nihil erat definitum? At Concilii Reſponſum, probè expenſo diſcrimine inter condonationem puræ ignorantiæ, & coërcitionem heterodidaſcaliæ ſive pravæ doctrinæ, *Non ſufficit*, inqvit, *ſi Tua Reverentia illud fidei Symbolum, qvod à magna illa Synodo in urbe Nicænâ, PRO ILLO TEMPORE expoſitum eſt, SOLUM Nobiscum confiteatur,* (συνομολογῆσαι μόνον.) *intelligis enim & interpretaris illud non rectè, ſed perverſè, etſi vocetenus Literam confitearis; Verùm præter hoc etiam NECESSARIUM eſt, ut ſcripto & qvidem jurato confitearis, qvòd anathematizes & execreris publiceq; abjures, qvæ ſceleſtè & profanè hactenus ſenſiſti aliosq; docuiſti: Et qvod impoſterum ea docturus ſis, qvæ & Nos & omnes Episcopi in Occidente & Oriente docent.* Epiſtola extat *apud Binium Tom. 1. parte 2. Concil. fol. 152.*

Quanqvam deniq; qvæſtionum Syncretiſticarum, ex *Zvvinglii, Franciſci Puccii, Jacobi Acontii, & Marci Antonii de Dominis* cineribus hodie repullulantium confutatio, ex laudato Eccleſiarum Evangelicarum Symbolico Libro promi atq; oſtendi de facili posſit: Neq; Spiritus Sanctus perpetuum & æqvalem modū Politiæ Eccleſiaſticæ præſcripſerit,

Digitized by Google

rit, qvo plurium Regnorum & Provinciarum Eccleſiæ ſub unum caput viſibile coaleſceret; qvin id potius libertati & prudentiæ ſingularum Eccleſiarum provincialium commiſerit, qvo vinculo ſubjectionis & ſubordinationis, ad unitatem fidei & profesſionis conſervandam, plures Eccleſiæ ſe invicem devinctura eſſent; Quapropter dioeceſes Epiſcopales & Metropolitanas alias aliis ampliores jam inde ab initio Chriſtianæ Eccleſiæ contigit evaſiſſe, uti clarisſimè & perſpicacisſime Hiſtoricorum omnium, Centuriatores Magdeburgenſes cujusq; Centuriæ Capite VII. Rubrica, *de conſociatione plurium Eccleſiarum & primatu*, oſtenderunt: Eccleſiam *Alexandrinam* v.gr. in Ægypto, ab initio Chriſtiani dogmatis in orbem vulgati, amplisſimam pręcæteris fuiſſe, poſtea verò ad Romanam *ob potentiorem Principatum*, ut Irenæus Lugdunenſis ajebat, plurimas confluxiſſe Eccleſias, qvæ initio qvidem per liberam & ſpontaneam paritionem ſeſe ſubjecerint Eccleſiæ ampliori, poſtea autem, uti ex *Canone Sexto Nicæni Concilii* patet, ad perſiſtendum in illa paritione etiam publica & perpetuâ lege fuerint adſtricti; Præclarè tamen de univerſa Chriſti Eccleſia merebuntur SERENITATES VESTRÆ, ſi CONCORDIÆ civitatem Adſcriptitiorũ majore numero non ſolũ lo-

locupletaverint, verùm etiam JUDICIO, qvod compromiſſarium vocant, de ſociabꝰ Eccleſiis *Germanis*, *Suecis*, *Danis*, *Hungaris*, collecto & Conſtituto communiverint.

Qvæcunq; enim cauſæ priſcas illas Eccleſias urſerunt, ut per voluntariæ ſubordinationis leges plures inter ſe coirent, de qvibus apud *Euſebium*, diligentisſimum hujus coalitionis obſervatorem legimus; illæ modernum Eccleſiarum Evangelicarum ſtatū, (niſi ego oppidò fallor) tantò magis impellunt, qvantò plures ſunt extrinſeci Regiminis Eccleſiaſtici Gubernatores, independentem, vel etiam planè immunem à ſociorum ſuffragiis poteſtatem episcopalem ſibi vendicantes; Quod Apoſtolicarum tamen Eccleſiarum nulla unqvam de ſe jactare auſa fuit:

Et Phryges Anglicani nimis forte ſerò nunc agnoſcunt ac profitentur, qvod noti nominis & famæ Præco populari qverelâ nuper in Orbem divulgatâ faſſus deniqve eſt: *Independentiam æternarum confuſionum eſſe originem.*

Neq; etiam obſcura in ipſo Pacificationis Oſnabrugenſis Inſtrumento deprehendere licebit veſtigia; Flabronem iſtum Romanum *Fabium Chicſum* Legatum inſperſiſſe Transactioni illi qvasdam

ſcin-

ſcintillas,qvæ ſub ſplendore abſoluti juris Epiſcopalis,in ſingulis Statibus Rom. Imperii coruſcante, ejusq; conterminio cum Territoriali jure,colligationem plurium Provinciarum inter ſe aduſtularent & remorarentur.

In unius particularis Eccleſiæ Deciſionem compromittere,manifeſtò repugnat ordini divino, qvi ad coagmentationem & incrementum univerſi corporis myſtici,plurium Doctorum, plurium Paſtorum operam, tùm in docendo, tùm in judicando deſtinavit,voluitq;, *ut profitente uno cæteri dijudicarent: ad Epheſ.IV. I.Cor.XII.& XIV.* Tantumq; abeſt, ut modus Monarchici regiminis Doctores omnes per univerſum orbem, ad obedientiam ſaltem externam,nedum ad conſenſionem animorum & doctrinæ revocaturus ſit; ut veriſſimum eſſe cenſeam illud *Gregorii Naziãzeni*,etſi in exiguo oppido Epiſcopi,Orat.XVIII:

Dextrũ & ſiniſtrum & medium latus,& ſuperior & inferior locus πολλὰ πεποίηκε τὰ συντρίμματα ἡμῶν διὰ κενῆς: i: *multas,easq; citra juſtam cauſam exortas contritiones nobis conſcivit,multos in foveam impulit, multos in Hircorum regionem relegavit. Corpus enim non eſt unum membrum ſed plura: Et ad evitandum ſchisma conſtituit Deus,ut oculi,aures,manus,pectus,ad gubernandum concurrerent, I.Cor.XII,24.25.28.* Ad

Ad commune autem totius Orbis Tribunal, vel etiam ſingulorum fornicum magiſtellos, partiũ in eadem, vel vicinis Eccleſiis Orthodoxis litigantium provocationes remittere, atq; interea connivere ad graſſationes novi dogmatis, tantundem habet æqvitatis & prudentiæ, qvãtum maleficorum provocationes ad vallẽ Joſaphat. Nec n. propterea nullũ in Eccleſia tribunal eſt, in qvo examinentur & decidantur adverſariæ ſacrarum literarum interpretationes, atq; inde deducta adverſaria dogmata, tranqvillitatem Eccleſiæ turbantia; qvia Eccleſia poteſtatem non accepit condendi *novos fidei articulos*, aut faciendi ex ſcripto Apocrypho librum Canonicum: Aut qvia uni loco aut provinciæ per modum monopolii, aut præcipui legati, aut privilegii localis connexum non eſt. Tribunal ſatis ſolidè fundavit qvi juſſit: DIC ECCLESIÆ: qvi præcepit, *ut Spiritus Prophetarum aliis Prophetis ad dijudicandum atq; examinandum ſubjicerentur I. Cor. XIV.* Qui Antiochenæ Eccleſiæ inſpiravit, ut motam à Pſeudo Apoſtolis controverſiam de correqviſita neceſſitate obſervandi legem Moſis ad ſalutẽm æternam conſeqvendam, Vicinæ Eccleſiæ Hieroſolymitanæ discutiendam & determinandam ſubmitteret; Et huic, ut non ſolùm pietatis iſtam operam laboranti vicinæ

Digitized by Google

lubens commodaret, ſed de fori etiam competentia pronunciare auderet: *Viſum eſt Spiritui Sancto & Nobis.* Quod axioma ſolorum Apoſtolorũ Collegium ſibi neqvaqvam vendicabat, verũ eandẽ dignitatem ad Presbyterorum qvoq; & Laicorum ordines ſub particulari illâ Eccleſia comprehenſos extendebat Act. XV, 22. 23.

Conſtituit Tribunal, qvi Auguſtanæ Conf. Promachis & adſtipulatoribꝰ verba iſta Articuli 28. dictavit: *Secundum Evangelium, ſeu, ut loqvuntur, de jure divino nulla jurisdictio competit Epiſcopis ut Epiſcopis, hoc eſt his, qvibus commiſſum eſt miniſterium verbi & Sacramentorum, NISI remittere peccata: item COGNOSCERE doctrinam* (authenticum habet: **Die Lehre verurtheilen**) *& doctrinam ab Evangelio diſſentientem rejicere: Et impios, qvorum nota eſt impietas, EXCLUDERE à communione Eccleſiæ, SINE VI HUMANA, ſed verbo. Hîc neceſſariò & de jure divino debent eis Eccleſiæ præſtare obedientiam juxta illud: Qvi vos audit me audit.* Qui Articulis Smalcaldicis iſta conſignari juſſit: *Habet Epiſcopus poteſtatem ordinis, habet & poteſtatem jurisdictionis, &c. Neq; verò habet poteſtatem tyrannicam, hoc eſt, ſine certa lege: neq; Regiam, hoc eſt, ſupra legem; ſed habent certum mandatum, certum verbum Dei, juxta qvod & qvatenus exercere jurisdictionem ſuam debeant: ſcilicet, ſi qvis com-*

commiſerit ADVERSUS ILLUD VERBUM, qvod acceperūt à Chriſto &c. Tribunal erexit, qvi magno illi Nicæno Concilio ſuggesſit, ut ipſa qvoqve *Synodalia judicia, in aliis Synodis discuterentur, Can. V. Episcopus* (ſunt vêrba Concilii Sardicenſis Can. XIV.) *ſive juſtè ſive injuſtè qvenqvam ejecerit, patienter ferat, ut negocium idem ab aliis discutiatur, & vel probetur ejus ſententia à plurimis, vel emendetur.* In Conſiliis Philippi Melanchthonis per Pezelium editis ſæpe ventilatur hæc qvæſtio *de jure interpretandi ſacras literas*, & juxta hanc interpretationem *decidendi controverſias* ſubinde enatas. *Primùm* (inqvit Philippus) *oſtendo, poteſtatem interpretandi ſcripturam, eſſe in Eccleſia. Donum enim hoc non fruſtra datur Eccleſiæ, ſed ut dijudicet & dirimat controverſias.* Deinde, *Qvum Chriſt9 voluerit Eccleſiam ſua habere judicia de doctrina; Certè armavit eam poteſtate aliqva: Et hanc poteſtatem præcipuè exerceri* ait *in Synodis. Tom. 1. fol. 502. ad Ann. MDXLI. Tom. II. ad Ann. MDL. pag. 120. ſeqq. ad qvæſt. Utrum, cùm in Eccleſia neceſſe ſit eſſe judicia de doctrina & interpretatione, & ſumma judicia ſint Synodi: liceat obligare homines, ut obtemperent Synodi interpretationi ſeu judicato, anteqvam norint qvid decretum ſit? In hujus,* inqvit, *Qvæſtionis explicatione primùm hoc manifeſtum eſt: Velle Deum ut ſit publicum miniſterium Evan-*

In ceremoniarum inſtitutione vel abolitione aliqvis fortè locus eſt arbitrariæ judicum ſententiæ, pietatis, charitatis & prudentiæ legibus ſubnixæ: In atteſtatione autem de congrua vel incongrua interpretatione teſtimoniorum divinorum, arbitrariæ judicum ſententiæ locum non habent.

Atqve hinc nemo Orthodoxorum Theologorum Tridentini Concilii ſententiam damnavit, qvòd Eccleſiæ cognitionem & judicium de interpretanda & exponenda ſacra ſcriptura tribueret; ſed qvòd *principium & normam* interpretationis non ex ſola indole textûs ſacri, verùm etiam *ex Traditione*, tùm incertorum tùm erroribus obnoxiorum autorum adſciſcendam ſtatueret, ipſasqve tùm ſacrarum literarum, tùm etiam Traditionis interpretationes præſenti Eccleſiæ repræſentativæ, id eſt Romani Epiſcopo *arbitrariæ ſententiæ* ſubjiceret; & deniqve tanqvam *partem cultus divini ad conſeqvendam æternam beatitudinem neceſſarii*, jurisdictionem illam & ſubditorum paritionem reqvireret. Quem finem ipſa *Confeſſio Aug.* Ejusqve *Apologia* unicè & vehementer impugnant.

In verbis Confutationis nos docent Adverſarii, qvod Epiſcopi habeant autoritatem condendi leges utiles ad conſeqvendam vitam æternam: De hoc articulo con-

tro-

troverſia eſt, ſunt verba Apologiæ. *Partitionem autem poteſtatis Eccleſiaſticæ in poteſtatem ordinis & juris dictionis*, ex veteri formula *placere ſibi* conteſtatur.

Ita Chemnitius ad illud ſesſionis IV. Decretum: *Nemo in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſꝰ contorqveat, ut contra eum ſenſum, qvem ſervat & tenet ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſanctarum ſcripturarum, interpretari audeat, &c.*

Non, inqvit, Prætoria vel Pontificia eſt interpretantium autoritas in Eccleſia; ſed certæ ſunt regulæ, ſecundum qvas fieri & ad qvas exigi debent: Habet enim Eccleſia JUS & libertatem dijudicandi,

Iterum ad Seſſ. VI. Cap. X. & Can. XX. qvando de *mandatis Eccleſiæ* diſputat, qvænam ſint pro *Eccleſiæ* mandatis habenda? ait: *Nullam eſſe controverſiam de eo, An Eccleſia poſſit cognoſcere & PRÆCIPERE de iis, qvæ qvidem totidem literis & Syllabis in ſcriptura non extant, ſed per bonam conſeqventiam exinde deducuntur.*

D. Ægid. Hunnius in Examine *Capitis III. libri III. Bellarm. de Verbo Dei*, in qvo proponitur qvæſtio de judice Controverſiarum: *Cum incidit controverſia,* in-

ribus & cohæredibus Sanctorum DEBETUR, dummodò ſolis verbis ſincerè, quantum extrinſecus apparet, prolatis profiteantur: Quòd unum Deum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum venerentur & adorent. Et Filium, ut expiatis peccatis noſtris æternam vitam nobis redderet, hominem natum, paſſum & mortuum eſſe crederent (An reſurrexerit, aſcenderit ad cœlos, ſedeat ad Dexteram Patris vivens & regnans Deus, &c. nihil intereſt:) *Et virtute ac merito Paſsionis & mortis ejus* (etſi non ſolo) *ſe remisſionem peccatorum ſuorum* (infuſionem gratiæ expellentis peccatum) *conſeqvi, & vitâ æterna potituros eſſe confidant: De cætero abnegata impietate, temperanter juſtè & piè vivant;* Nullius tamen jurisdictionis uſurpatio, ſed obſervantiæ recepti ordinis conveniens fuerit, cohortari ſocios Principes, ne ſinum usq; adeo laxent, ut Socinus, Menno, Zvvinglius, Leo X. Pontifex, & Paulus Apoſtolus in communione Sãctorum eodẽ loco habeantur: Eos præcipuè, qvos Avorum & Atavorum pietas intemerandâ per omnem poſteritatem religione ad Libri Concordiæ Symbolum devinxit, æternumq; duraturõ glutine conſociavit.

Quid enim Hæreſiarcha Neſtorius exoptabat impenſius, qvid flagitabat enixius ab Epheſina Synodo, qvàm ne ſpoliaretur libertate ſtatuẽdi perinde

de & indifferentur de iis, de qvibus in Symbolo A-poſtolico, Nicæno & Conſtantinopolitano nihil e-rat definitum? At Concilii Reſponſum, probè ex-penſo diſcrimine inter condonationem puræ igno-rantiæ, & coërcitionem heterodidaſcaliæ ſive pravæ doctrinæ, *Non ſufficit*, inqvit, *ſi Tua Reverentia illud fidei Symbolum, qvod à magna illa Synodo in urbe Nicanâ, PRO ILLO TEMPORE expoſitum eſt, SOLUM Nobiſcum confiteatur*, (συνομολογῆσαι μόνον.) *intelligis enim & interpretaris illud non rectè, ſed perversè, etſi vocetenus Literam confitearis; Verùm præter hoc etiam NECESSARIUM eſt, ut ſcripto & qvidem jurato confitearis, qvòd anathematizes & execreris publiceq́ abjures, qvæ ſceleſtè & profanè hactenus ſenſiſti aliosq́ docuiſti: Et qvod impoſterum ea docturus ſis, qvæ & Nos & omnes Epiſcopi in Occidente & Oriente docent.* Epiſtola extat *apud Binium Tom. 1. parte 2. Concil. fol. 152.*

Quanqvam deniq; qvæſtionum Syncretiſticarum, ex *Zvvinglii, Francisci Puccii, Jacobi Acontii, & Marci Antonii de Dominis* cineribus hodie repullulantium confutatio, ex laudato Eccleſiarum Evangelicarum Symbolico Libro promi atq; oſtendi de facili poſſit: Neq; Spiritus Sanctus perpetuum & æqvalem modũ Politiæ Eccleſiaſticæ præſcripſe-

rit, qvo plurium Regnorum & Provinciarum Eccleſiæ ſub unum caput viſibile coaleſceret; qvin id potius libertati & prudentiæ ſingularum Eccleſiarum provincialium commiſerit, qvo vinculo ſubjectionis & ſubordinationis, ad unitatem fidei & profeſſionis conſervandam, plures Eccleſiæ ſe invicem devincturæ eſſent: Quapropter dioeceſes Epiſcopales & Metropolitanas alias aliis ampliores jam inde ab initio Chriſtianæ Eccleſiæ contigit evaſiſſe, uti clariſſimè & perſpicaciſſime Hiſtoricorum omnium, Centuriatores Magdeburgenſes cujusq; Centuriæ Capite VII. Rubrica, *de conſociatione plurium Eccleſiarum & primatu*, oſtenderunt: Eccleſiam *Alexandrinam* v. gr. in Ægypto, ab initio Chriſtiani dogmatis in orbem vulgati, ampliſſimam præ cæteris fuiſſe, poſtea verò ad Romanam *ob potentiorem Principatum*, ut Irenæus Lugdunenſis ajebat, plurimas confluxiſſe Eccleſias, qvæ initio qvidem per liberam & ſpontaneam paritionem ſeſe ſubjecerint Eccleſiæ ampliori, poſtea autem, uti ex *Canone Sexto Nicæni Concilii* patet, ad perſiſtendum in illa paritione etiam publica & perpetuâ lege fuerint adſtricti; Præclarè tamen de univerſa Chriſti Eccleſia merebuntur SERENITATES VESTRÆ, ſi CONCORDIÆ civitatem Adſcriptitiorū majore numero non ſolū lo-

Digitized by Google

locupletaverint, verùm etiam JUDICIO, qvod compromiſſarium vocant, de ſociab9 Eccleſiis *Germanis, Suecis, Danis, Hungaris*, collecto & Conſtituto communiverint.

Qvæcunq; enim cauſæ priſcas illas Eccleſias urſerunt, ut per voluntariæ ſubordinationis leges plures inter ſe coirent, de qvibus apud *Euſebium*, diligentisſimum hujus coalitionis obſervatorem legimus; illæ modernum Eccleſiarum Evangelicarum ſtatū, (niſi ego oppidò fallor) tantò magis impellunt, qvantò plures ſunt extrinſeci Regiminis Eccleſiaſtici Gubernatores, independentem, vel etiam planè immunem à ſociorum ſuffragiis poteſtatem Epiſcopalem ſibi vendicantes; Quod Apoſtolicarum tamen Eccleſiarum nulla unqvam de ſe jactare auſa fuit:

Et Phryges Anglicani nimis forte ſerò nunc agnoſcunt ac profitentur, qvod noti nominis & famæ Præco populari qverelâ nuper in Orbem divulgatâ faſſus deniqve eſt: *Independentiam æternarum confuſionum eſſe originem.*

Neq; etiam obſcura in ipſo Pacificationis Oſnabrugenſis Inſtrumento deprehendere licebit veſtigia; Flabronem iſtum Romanum *Fabium Chieſam* Legatum inſperſiſſe Transactioni illi qvasdam

ſcin-

Digitized by Google

ſcintillas,qvæ ſub ſplendore abſoluti juris Epiſcopalis,in ſingulis Statibus Rom. Imperii coruſcante, ejusq; conterminio cum Territoriali jure,colligationem plurium Provinciarum inter ſe aduſtularent & remorarentur.

In unius particularis Eccleſiæ Deciſionem compromittere,manifeſtò repugnat ordini divino, qvi ad coagmentationem & incrementum univerſi corporis myſtici,plurium Doctorum, plurium Paſtorum operam, tùm in docendo, tùm in judicando deſtinavit,voluitq;, *ut profitente uno cæteri dijudicarent: ad Epheſ.IV. I.Cor.XII.& XIV.* Tantumq; abeſt, ut modus Monarchici regiminis Doctores omnes per univerſum orbem, ad obedientiam ſaltem externam,nedum ad conſenſionem animorum & doctrinæ revocaturus ſit; ut veriſſimum eſſe cenſeam illud *Gregorii Naziãzeni*,etſi in exiguo oppido Epiſcopi,Orat.XVIII:

Dextrũ & ſiniſtrum & medium latus,& ſuperior & inferior locus πολλὰ πεποίηκε τὰ συντρίμματα ἡμῶν διὰ κενῆς: i: *multas,easq; citra juſtam cauſam exortas contritiones nobis conſcivit,multos in foveam impulit, multos in Hircorum regionem relegavit. Corpus enim non eſt unum membrum ſed plura: Et ad evitandum ſchisma conſtituit Deus,ut oculi,aures,manus,pectus,ad gubernandum concurrerent, I.Cor.XII,24.25.28.* Ad

Digitized by Google

Ad commune autem totius Orbis Tribunal, vel etiam ſingulorum fornicum magiſtellos, partiū in eadem, vel vicinis Eccleſiis Orthodoxis litigantium provocationes remittere, atq; interea connivere ad graſſationes novi dogmatis, tantundem habet æqvitatis & prudentiæ, qvātum maleficorum provocationes ad vallē Joſaphat. Nec n. propterea nullū in Eccleſia tribunal eſt, in qvo examinentur & decidantur adverſariæ ſacrarum literarum interpretationes, atq; inde deducta adverſaria dogmata, tranqvillitatem Eccleſiæ turbantia; qvia Eccleſia poteſtatem non accepit condendi *novos fidei articulos*, aut faciendi ex ſcripto Apocrypho librum Canonicum: Aut qvia uni loco aut provinciæ per modum monopolii, aut præcipui legati, aut privilegii localis connexum non eſt. Tribunal ſatis ſolidè fundavit qvi juſſit: DIC ECCLESIÆ: qvi præcepit, *ut Spiritus Prophetarum aliis Prophetis ad dijudicandum atq; examinandum ſubjicerentur I. Cor. XIV.* Qui Antiochenæ Eccleſiæ inſpiravit, ut motam à Pſeudo Apoſtolis controverſiam de correqviſita neceſſitate obſervandi legem Moſis ad ſalutēm æternam conſeqvendam, Vicinæ Eccleſiæ Hieroſolymitanæ diſcutiendam & determinandam ſubmitteret; Et huic, ut non ſolùm pietatis iſtam operam laboranti vicinæ

(d) lu-

lubens commodaret,ſed de fori etiam competentia pronunciare auderet : *Viſum eſt Spiritui Sancto & Nobis*. Quod axioma ſolorum Apoſtolorũ Collegium ſibi neqvaqvam vendicabat, verũ eandẽ dignitatem ad Presbyterorum qvoq; & Laicorum ordines ſub particulari illâ Eccleſia comprehenſos extendebat Act.XV,22.23.

Conſtituit Tribunal,qvi Auguſtanæ Conf.Promachis&adſtipulatoribꝰverba iſta Articuli 28.dictavit: *Secundum Evangelium,ſeu,ut loqvuntur, de jure divino nulla jurisdictio competit Episcopis ut Episcopis, hoc eſt his,qvibus commiſſum eſt miniſterium verbi & Sacramentorum,NISI remittere peccata : item COGNOSCERE doctrinam* (authenticum habet : Die Lehre verurtheilen) & *doctrinam ab Evangelio diſſentientem rejicere: Et impios,qvorum nota eſt impietas, EXCLUDERE à communione Eccleſiæ,SINE VI HUMANA,ſed verbo. Hic neceſſariò & de jure divino debent eis Eccleſiæ præſtare obedientiam juxta illud: Qvi vos audit me audit.* Qui Articulis Smalcaldicis iſta conſignari juſſit: *Habet Episcopus poteſtatem ordinis, habet & poteſtatem jurisdictionis,&c. Neq; verò habẽt poteſtatem tyrannicam, hoc eſt,ſine certa lege : neq; Regiam,hoc eſt,ſupra legem ; ſed habent certum mandatum,certum verbum Dei, juxta qvod & qvatenus exercere jurisdictionem ſuam debeant : ſcilicet, ſi qvis com-*

commiſerit ADVERSUS ILLUD VERBUM, qvod acceperūt à Chriſto &c. Tribunal erexit, qvi magno illi Nicæno Concilio ſuggesſit, ut ipſa qvoqve *Synodalia judicia, in aliis Synodis discuterentur, Can. V. Episcopus* (ſunt verba Concilii Sardicenſis Can. XIV.) *ſive juſtè ſive injuſtè qvenqvam ejecerit, patienter ferat, ut negocium idem ab aliis discutiatur, & vel probetur ejus ſententia à plurimis, vel emendetur.* In Conſiliis Philippi Melanchthonis per Pezelium editis ſæpe ventilatur hæc qvæſtio *de jure interpretandi ſacras literas*, & juxta hanc interpretationem *decidendi controverſias* ſubinde enatas. *Primùm* (inqvit Philippus) *oſtendo, poteſtatem interpretandi ſcripturam, eſſe in Eccleſia. Donum enim hoc non fruſtra datur Eccleſiæ, ſed ut dijudicet & dirimat controverſias.* Deinde, *Qvum Chriſtꝰ voluerit Eccleſiam ſua habere judicia de doctrinà; Certè armavit eam poteſtate aliqva: Et hanc poteſtatem præcipuè exerceri* ait *in Synodis. Tom. 1. fol. 502. ad Ann. M D XLI. Tom. II. ad Ann. M D L. pag. 120. ſeqq. ad qvæſt. Utrum, cùm in Eccleſia neceſſe ſit eſſe judicia de doctrina & interpretatione, & ſumma judicia ſint Synodi: liceat obligare homines, ut obtemperent Synodi interpretationi ſeu judicato, anteqvam norint qvid decretum ſit? In hujus,* inqvit, *Qvæſtionis explicatione primùm hoc manifeſtum eſt: Velle Deum ut ſit publicum miniſterium Evan-*

gelii in Eccleſia, nec ſit tyrannis; ſed cùm incidunt controverſiæ, deferantur ad totam Eccleſiam, ſicut ſcriptum eſt: Dic Eccleſiæ. *Item:* ſi fuerit ſedenti revelatum, taceat prior. *Synodos igitur in Eccleſia congregari neceſſe eſt. Nec aliud pulcrius eſt ſpectaculum, qvàm talis cœtus, qvalis fuit Apoſtolorum & aliorum, qvi pasſim ſparſerant Evangelium, congregatio, qvæ recitatur in Actis c. 15. Nec vult Deus fieri DISSIPATIONES INFINITAS, qvales fierent, ſi ſinguli ſuas qvasdam opiniones comminiſcerentur, nec convenirent Doctores, nec collatis ſententiis curarent extare unam doctrinæ vocem. Cùm igitur Synodos eſſe neceſſe ſit, ſic objiciunt Politici:* Qvid opus eſt judiciis, ſi poſtea contradicere licet, nec Synodi finiunt controverſias nec tollunt discordias? *Ad hanc objectionem reſpondeo: Judiciis tamen opus eſſe. Qvia vera Eccleſia rectè ſentientes confirmat ſuo teſtimonio: Et monſtratis ſententiæ cauſis aliqvos errantes in viam revocat. Sicut ſæpe hoc tempore Noſtris judiciis revocati ſunt aliqvi ab erroribus Anabaptiſtarum.*

Non igitur inutilia ſunt judicia, etiamſi aliqvi non obtemperent, qvos Tandem compeſcat Deus, ſicuti compeſcuit Judæos refragantes judicio Apoſtolorum. Controverſiæ igitur in Eccleſia Magnæ vix unqvam tolluntur, niſi mirabiliter DEUS reprimat hoſtes veritatis.

Ibid.

Ibid. ad Ann. DLV. p. 199. ſeqq. ſub finem illius conſultationis ait: *Etſi qvovis ſeculo multi diſſenſerunt à ſententiis Synodorum; Filius Dei tamen jubet interea ſingulos repugnare erroribus, & rectè facere officium, etiamſi humanis conſiliis & laboribus, neq; mendacia neq; diſſidia omnia in hac mundi confuſione tolli poſſunt. Nec tamen prorſus erunt inutilia piorum certamina.*

Poteſtatem a. iterum dico non legislativam ad aſſenſum de veritate vel falſitate dogmatum in ſcripturis ſacris nō definitorum jubendū vel imperandū ut credatur; ſed poteſtatē interpretandi, exponēdi & atteſtandi de vero ſenſu teſtimoniorū controverſorum: Legislativam a. neq; ad cogendum aſſensū, neq; ad cogendum qvēqvam ut profiteatur aut doceat id cui non aſſentitur, etſi ſacris literis cōprehenſum vel maximè ſit; Verùm qvoad interdictum docendi falſitatem: ne contrarium & adverſum promulget iis, qvæ reliqvi Doctores unius vel plurium conſociatarum provinciarum, in qvibus diſſentiens degit, ſecus ſe habere ex mente ſacrarum ſcripturarum oſtenderunt. Qvanqvam enim fides & aſſenſus præcipi vel etiam interdici neqveāt. Profeſſio tamen & doctrina publica ejus, qvod ex atteſtato Eccleſiæ falſum eſt, jure merito inhibetur.

In ceremoniarum inſtitutione vel abolitione aliqvis fortè locus eſt arbitrariæ judicum ſententiæ, pietatis, charitatis & prudentiæ legibus ſubnixæ: In atteſtatione autem de congrua vel incongrua interpretatione teſtimoniorum divinorum, arbitrariæ judicum ſententiæ locum non habent.

Atqve hinc nemo Orthodoxorum Theologorum Tridentini Concilii ſententiam damnavit, qvòd Eccleſiæ cognitionem & judicium de interpretanda & exponenda ſacra ſcriptura tribueret; ſed qvòd *principium & normam* interpretationis non ex ſola indole textûs ſacri, verùm etiam *ex Traditione*, tùm incertorum tùm erroribus obnoxiorum autorum adſciſcendam ſtatueret, ipſasqve tùm ſacrarum literarum, tùm etiam Traditionis interpretationes præſenti Eccleſiæ repræſentativæ, id eſt Romani Epiſcopo *arbitrariæ ſententiæ* ſubjiceret; & deniqve tanqvam *partem cultus divini ad conſeqvendam æternam beatitudinem neceſſarii*, jurisdictionem illam & ſubditorum paritionem reqvireret. Quem finem ipſa *Confeſſio Aug.* Ejusqve *Apologia* unicè & vehementer impugnant.

In verbis Confutationis nos docent Adverſarii, qvod Episcopi habeant autoritatem condendi leges utiles ad conſeqvendam vitam æternam: De hoc articulo contro-

troverſia eſt, ſunt verba Apologiæ. *Partitionem autem poteſtatis Eccleſiaſticæ in poteſtatem ordinis & juriſdictionis*, ex veteri formula *placere ſibi* conteſtatur.

Ita Chemnitius ad illud ſeſſionis IV. Decretum: *Nemo in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſꝰ contorqveat, ut contra eum ſenſum, qvem ſervat & tenet ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſanctarum ſcripturarum, interpretari audeat, &c.*

Non, inqvit, Prætoria vel Pontificia eſt interpretantium autoritas in Eccleſia; ſed certæ ſunt regulæ, ſecundum qvas fieri & ad qvas exigi debent: Habet enim Eccleſia JUS & libertatem dijudicandi,

Iterum ad Seſſ. VI. Cap. X. & Can. XX. qvando de *mandatis Eccleſiæ* diſputat, qvænam ſint pro *Eccleſiæ* mandatis habenda? ait: *Nullam eſſe controverſiam de eo, An Eccleſia poſſit cognoſcere & PRÆCIPERE de iis, qvæ qvidem totidem literis & Syllabis in ſcriptura non extant, ſed per bonam conſeqventiam exinde deducuntur.*

D. Ægid. Hunnius in Examine *Capitis III. libri III. Bellarm. de Verbo Dei*, in qvo proponitur qvæſtio de judice Controverſiarum: *Cum incidit controverſia,*

in-

Digitized by Google

inqvit, qværitur; qvomodo ea in noſtris Eccleſiis judicetur, cùm non agnoſcamus unum aliqvem viſibilem judicem, qvi prætoria poteſtate, ceu tenediâ bipenni qvæſtiones decidat? Hîc verò reſpondemus: Agnoſcere nos unum judicem Deum, Jac. 4. Is Eccleſiæ ſuæ commendavit librum Scripturæ Propheticæ & Apoſtolicæ, tanqvā indubitatum Canonem faciendi judicii: Donum inſuper contulit interpretationis, cujus adminiculo Doctores Eccleſiæ ſcripturæ ſenſum eruere, & juxta ſcripturam de mota qvæſtione JUDICARE DEBENT. Hoc pacto judicat etiam Eccleſia, minimè certè muta: cujus verò judicium non eſt abſolutum, &c. ſed limitatum ad Canonem. Itaq; quando Eccleſiarum Doctores facta diligenti examinatione, veram ſententiam ex divinis literis commonſtrarunt, reliqua Eccleſia de ſententia lata itidem judicat, exemplo Beroenſium Act. 17. & Corinthiorum I. Cor. 10. Et ubi deprehendit ſcripturæ conſentaneam, amplectitur illam, rejecta opinione contraria. Magiſtratus etiam piam ſententiam ſalutaribus Edictis defendit, & operam dat ut veritas in populo ſuæ fidei commiſſo propagetur: EXTIRPATIS, quoad fieri poteſt, erroribus.

Themiſtium eqvidem Paganum Philoſophum cōmendant hoc nomine *Socrates IV, 32. & Sozomenus VI, 36.* qvòd Valentis Imperatoris Ariani ſævitiē in Homouſianos placaverit qvodammodo, dedicatione Libri *de Sectis Philoſophorum* conſcripti. Qvē-

ad-

admodum hæ nullum Tribunal agnoſcant, ſed liberè philoſophentur, & Deum tamen mutuamq; inter ſe amicitiam colāt, ita & Arianis, Macedonianis, Novatianis, Homouſianis permittēdas eſſe liberas ſentētias. *Admonet Imperatorē*, ait Socrates, *nō debere illū moleſtè ferre differentiam Chriſtianorum dogmatum: Eſſe enim illorum modicam differentiam, ſi ad multitudinem & confuſionem Gentilium Dogmatum conferatur*, (*Horum enim eſſe ſupra ſexcenta.*) *Præterea & hoc cogitandum eſſe, quod pro conditione multorum dogmatum & ingeniorum, neceſſe ſit naſci diſſenſiones; Tùm, qvod Deus velit glorificari differentibus modis, ut quisque tantò magis illius Majeſtatem hoc modo revereatur, quia comprehendere ipſum non poteſt, &c.*

At *Philoſophorum* qvidem *liberas eſſe lingvas, & ambigua dogmata: Chriſtianis verò ad normam divinitus revelatam cùm ſentiendum tùm loqvendum eſſe*, dudum ad hanc cavillationem excepit *Tertullianus*, eumq; ſecuti *Hieron. in Epiſt. ad Damaſum*, *Auguſtin. Tract. LXXIX. in Joh.* & plæriq; Orthodoxi Scriptores alii. Pluris certè intereſt Reip. Chriſtianæ, pluris animarum Chriſti ſangvine redemptarum, pluris divinæ gloriæ, ut non ſolùm norma judicandi ſervetur integra, ſed etiā Interpretes & Exegetæ illiꝰ normæ judicia & Tribunalia ſua conſervent, ad qvæ tū Scriptores heterodidaſcali, tum ſcripta ipſa revocē-

tur,examinentur,& cùm falſa tùm noxia eſſe oſtendantur. Si Philoſophicis,ſi Mathematicis,ſi Medicis controverſiis Tribunal nullum eſt conſtitutum,in qvo examinentur,& ſive veris ſententiis aſterisci, ſive falſis opinionibus verua & cruces ponantur, Res Græciæ in eo poſitæ ſanè non ſunt. Quanqvam in benè conſtitutis Rebusp. ſingulæ etiam Opificum & Mechanicorum ſocietates, nedum Philoſophorum,Mathematicòrum & Medicorum Collegia Tribunal ſuum omninò agnoſcunt, cui cùm mercium,tùm opificii,tùm artis ſuæ rationem reddere tenentur,qvoties de illis ambigitur; In qvo Tribunali de extraneorum qvoq; mercibus,opificiis, artificiis & diſciplinis cognoſci exactè ſvevit, ubi merces ſuas extrudunt, aut opificia & diſciplinas ſuas exercere, ſive etiam aliis commendare cupiunt: *quod Scriptores* certè ſatagũt,qvãdo libellos ſuos in officinis publicis, encomiis publicis ubiqve laudant, & extraneis qvoq; commendant. Habet etiam jure civili *Menſor* cognitorem ſuum, *verum falſumve modum dixerit*.

Quantacunq; verò hæc ſint,caduca tamen bona ſunt, in qvibus non niſi tantillum caduci deperditur; Et,ut *Philippus Melancht.* l. alleg. ex Conſult. An. MDL. *de judicii Eccleſiaſtici neceſſitate* dicebat: *Cùm nullum ſit animæ periculum in jactura rerum corporalium, judicis etiam errantis ſententiæ licet obedire: Falſæ a. doctrinæ approbatio & propagatio cùm præſentisſimam animæ necem adferat; hæc utiq; longè majori ſtudio impedienda eſt.* Et hoc eſt, qvod

DEus per judicia Doctorum de aliis Doctoribꝯ fieri voluit. *I.Cor.XIV.Cæteri dijudicẽt. Rom. XVI: Obſervate heterodidiscalos,& declinate ab iis.Tit.I: Oportet revincere contradicentes, oportet eis obturare os,&c.*

Quamobrem non citra temeritatem Tribunal omne examinandarum & condemnandarum novitatũ Theologicarum declinari poteſt,niſi *Arii, Neſtorii, Eutychetis* veſtigia legere velle videamur,qvi nõ ſolum Epiſcoporum & Collegarum ſuorum,*Alexãdri,Athanaſii, Cyrilli, Flaviani,*aliorumq; legitimorum judicum ſentẽtias,verùm etiam Auguſtisſimarum Synodorum *Nicænæ,Epheſinæ & Chalcedonẽſis* Decreta riſerunt & exſibilarunt;neqve minus tamen validam&efficacem condemnationis ſententiam perſenſerunt.

Hanc de Scriptis aliorum Doctorum,ſive concorpores Orthodoxæ fidei,ſive hoſtes & ſchismatici audirent, judicandi eaq; examinandi libertatem & poteſtatem inde à primis Chriſtianæ fidei incunabulis in Eccleſia viguiſſe,æqvè ac reliqvas partes CORREPTIONIS FRATERNÆ & PASTORALIS,viſum eſt ex hiſtoria Priſcæ laudatæq; Antiqvitatis Eccleſiaſticæ demõſtrare, adductis *Polycarpi,Ignatii, Polycratis Epheſii, Cypriani, Firmiliani, Euſebii Vercellenſis, Athanaſii,* aliorumqve Sanctisſimorum Epiſcoporum & Martyrum cum ſententiis tum exemplis,qvibus conſtaret:

Extraneos Epiſcopos & Doctores non ſolùm ſeorſim

in ſuis Eccleſiis exploraſſe, examinaſſe & damnaſſe Heterodidaſcalorum profanas voces & opiniones, verùm etiam aliqvando in Extraneis provinciis convocaſſe ex Orthodoxis & ὁμοψήφοις Epiſcopis Synodos, in qvibus *Cyprianus, Firmilianus, Alexander, Athanaſius, Euſebius, Auguſtinus, Cyrillus, Eulalius, Euſebius Dorylæus* aliiq; qvi intra limites receptæ doctrinæ Apoſtolicæ permanſerāt, ſederunt judices: *Novatus, Arius, Euzoius, Donatus, Pelagius, Neſtorius, Eutyches* ſteterunt Rei, aut verò in nonnullos etiam invitos & contumaces jus dictum tamen & latum eſt: etſi illi publicis ſcriptis & velitationibus hos Novatores jam ante oppugnaſſent, & hi judicum ſubſellia pariter ſibi concedi peterent, uti ex Actis Synodorum Nicænæ, Alexādrinæ, Palæſtinæ, Epheſinæ & Chalcedonenſis clariſſime liqvet, qvòd de perſonis & locis Actorum Reorum & judicum vehementiſſime fuerit diſceptatum, anteqvam ad judicii formationem accederetur. *Fieri non poteſt,* (reſpondebat Spadoni Imperatoris Conſtantii conſultus Romanus Ep. Liberius apud Athanaſium *in Epiſt. ad ſolitar.*) *ut locum in Synodo habeant, qvi in fide impii ſunt: Neq; fas eſt, ut qvæſtio de factis alicujus prius habeatur, qvàm de fide religionis. Primùm enim omnis fidei diſcordia excutienda eſt,* καὶ τότε ἔρευναν περὶ πραγμάτων ποιεῖσθαι δεῖ: *Et poſtea de factis oportebit inqvirere.*

Itaq; ſi SERENISSIMA CELSITUDO TUA, POTENTISSIME DUX PROELECTOR, illarum ſolùm Eccleſiarum tranqvillitati conſultum cupit, qvas

Gubernationi externæ & protectioni TUÆ ſupremus animarum Paſtor commiſit; meo qvidem judicio His ſatis licet eſſe tutis ſub cuſtodia legum & limitum in libro CHRISTIANÆ CONCORDIÆ, & ARTICULIS VISITATIONIS qvos vocant, jam poſitorum: dummodò ſine faſtidio Inſpectorum, juſtaq; diligentiâ inculcentur Paſtoribus & Ludimagiſtris; & ſi qvid aliunde ſitum aut labem attracturum vel attraxiſſe videbitur, illicò detergatur, atqve ad priſtinam normam reformetur. Præcipua enim Eccleſiaſticæ prudentiæ pars eſt, ut hîc qvidem famoſus ille Thuſcus rectè docuit, *Remp. ſæpe corrigere, & ad prima principia revocare;* III. de Rep. cap. I. *Ad hanc enim normam niſi freqventer & ſingulis minimum qvinqvenniis redintegretur, non poſſe nitorem priſtinum aut diſciplinam conſervari. Perinde accidere Rebusp. ut de corpore humano loqvuntur Medici; in qvo ſingulis diebus aliqvid aggregatur qvod curatione indiget; & niſi mature tollatur, tandem lethales morbos parit. Qvoties enim correctionum & pœnarum exempla rareſcere contigerit, occaſionem dari hominibus, ut deteriores fiant, enataqve vitia majori cum periculo & turbatione Reip. puniri, vel etiam tolerari neceſſe ſit.* Huic prophylacticæ curationi provinciarum ſuarum SERENITATIS TUÆ PROAVUS, glorioſis. mem. AUGUSTUS SEPTEMVIR *Synodos annuas*, & VISITATIONES tàm Eccleſiarum qvàm Scholarum præfecit.

Digitized by Google

Saluti autem Philadelphorum Sociorum & Amicorum, *qui ἰσότιμον nobiscum fidem acceperunt*, *uti Petrus Apoſtolus* communionem Sanctorum deſcribit, ſi PIETAS TUA hoc ſe debere exiſtimat; prophylacticum qvidem remedium propinari aliud ſalubrius non poteſt, qvàm *ut teneant quod acceperunt*, *ne alius coronam ipſis intervertat*: qvod remedium cœlitus deferebatur ad Philadelphenſium Epiſcopum Apocal. III. De qva conſtantia illos cumprimis Principes & Civitates commonefieri æqvum eſt, qvorum Avi & Majores hæreditariæ æternumqve duraturæ conventionis ſacramento, pro SE & SUBDITIS ſuis ſeſe obſtrinxerunt ſanctiſſimo illi CHRISTIANÆ CONCORDIÆ Symbolo. Quæ Regna enim, qvæqve provinciæ poſtea & ex intervallo conſenſum & ſuffragia ſua Libro huic Symbolico addixerunt, ſuâ ſponte ſanctum id atqve inviolabile habituras credendum eſt, qvod non niſi poſt diuturni temporis lapſum, longamqve deliberationem ſuſceperunt. Confidamus deniqve veracitati & clementiæ ejus qvi promiſit: *Se Ducibus populi ſui liberalia ſuggeſturum Conſilia, & ut perſeverent in iis, qvæ ſtatuerunt*: qvod Lutherus noſter pro excellentia Spiritûs ſui excellenter expreſſit: Fürſten werden Fürſtliche Gedancken haben/ und darüber halten/ Eſa. XXXII.

Ipſi ſunt eâ prudentia, ut intelligant, qvemadmodum pontem ſublicium totum corruere neceſſe eſt, ſi de compage ex partibus ſimilaribus conſtante vel uni-

cum crus luxetur aut computreſcat; Ita torqvi illi fidei, ex homogeneis annulis contexto perituram ſuam integritatem, ſi vel unus annulus dehiscat aut avellatur.

Interea noſtri officii eſt providere, ne ſolutionem continui ſenſilis, & in oculos incurrentis ipſi promoveamus, qvandiu partes ſimilares, & annuli corollam hanc ſacram connectentes nondum publicè dehiſcunt, ſed communione & connexione externâ nobis porro adhærere cupiunt, deſiderant, contendunt: Præſertim, ſi ex continui manifeſta ſolutione ſchiſma populare probabiliter videatur oriturum, qvod §. XVIII. hujus Tractatus de EXCOMMUNICATIONE MODERANDA, rationibus idoneis oſtenſum eſſe confido.

Quorum Principũ ditiones autẽ ab herpete illo jam cæperunt tumeſcere, illi ſubmonitionem Epheſini Cancellarii ad animum revocabunt, ut *de negotio iſto in legitima concione cognoſcatur Act. XIX.* Nec ægrè ferre poterunt, ſi Antvverpienſes interea conſilium ineant, qvâ ratione civitatem ſuam à contagio vicinam Bredam infeſtante immunem ſervent.

Deus a. pacis, qvi nos unâ ſpe vocationis dignatus eſt, reducat errantes in viam, confirmet pergentes in præſcripta ſemita, TUAEQVE SEREN. TATIS procedenti ætati hoc beneficiũ adjiciat, ut qvemadm. Provinciarum Tuarum limites ab hoc bello civili & Barbarico retines integros, ita religionẽ qvoq; & doctrinã publicã ad THEODOSIUM Tuum & poſteros tramittas illibatã. Hoc qvotidiano precum ſacrificio Deum poſtulo. Dabã Lipſiæ d. V. ante Kl. Maji Anno MDCLI.

In-

Synopſis Diſſertationis:

Sect. I. *De Definitione Correptionis fraternæ.* *Pag.* 3

II. Differentia. 4

III. Diviſione 5

IV. Cauſa impellente externa 8

V. Cauſa impell. interna 16

VI. Gravitate obligationis ad corripiendum 20

VII. Subjecto corripiente, ejusq; qualitate & jure 33

VIII. Subjecto corripiendo 53

IX. Objecto corripiendo, malo & ſpecie mali 56

X. Modo corripiendi vitia doctrinæ & morum 67

XI. Oportunitate corripiendi, ejusq; Abuſu Pontificio 82 & 98

XII. Loco correptionis fraternæ 104

XIII. Ordine, ejusq; primo gradu ex jure divino etiam erga hæreticos ſervando. 106. 131.

Refelluntur argumenta Valentiæ Jeſ. 137

XIV. De ſecundo gradu correptionis, adſcitis Teſtibus 144

XV. De tertio gradu per Eccleſiam repræſentativam 154

Refelluntur errores Anglorum & Pontificiorum 157. & 160.

An neceſſe ſit denunciare fratrem & qvomodo? 162. 171

An Corycæi à Magiſtratu miſſi teneantur ad privatam corrept. præmittendam? 178

De converſatione cum judicatis Ethnicis & Publicanis. 181

XVI. Fine correptionis fraternæ 182

XVII. Emendatione correpti, ejusq; ſigno, qvod eſt Recantatio, moderando 185

Recantatio erroris circa fidem Chriſtianam non infamat 231

XVIII. De Excommunicatione incorrigibilium, ejus jure extra diœceſin, & moderatione. 257

Excommunicatio per plebem 260

De Meritis excommunicandorum. 264. *Proceſſu judiciali.* 268

Tempeſtivitate exeqvendi & ſuſpendendi executionem 270

Damno intẽpeſtivæ excõmunicationis per priora VI. ſecula 274

XIX. Actione injuriarum in corripientem ex officio, ſive privato ſive publico 315

Recantatione ejus, qvi circa merita aut modum corripiendi exceſſit: 325.

Digitized by Google

In Nomine Jesu!

DISSERTATIO PRACTICA

De

CORREPTIONIS FRATERNÆ DEFINITIONE, DIVISIONE, CAUSSIS, OBLIGATIONE, SUBJECTO, OBJECTO, MODO, TEMPORE, LOCO, ORDINE, GRADIBUS, FINE, EFFECTU, TUM RATO TUM IRRITO.

AUTORE

JOHANNE HULSEMANNO,
THEOL. D. & P.P.

LIPSIÆ,
SUMPTU AC PRÆLO RITZSCHIANO.
Anno Chriſti M DC LI.

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

JESU PROPITIO!

De

CORREPTIONIS FRATERNÆ NOMENCLATURA ET DEFINITIONE.

§ I.

INter B. Auguſtini libros Pelagianis oppoſitos extare hodieqve libellum de CORREPTIONE ET GRATIA, Valentino & Cœnobitis cum ipſo viventibus inſcriptum, nemo prope diſcentium ignorat. Qvanqvam verò argumentum hujus libelli non tàm naturam, modum, ordinem & gradus Correptionis, qvàm finem & uſum illius à Pelagianorum cavillis vindicet, qvi eodem omninò argumento liberi Arbitrii vires ad procurandam hominis converſionem & ſalutem, tutari conabantur, qvo Pontificiæ Sectæ propugnatores *Bellarm.* V. de grat. & L.Arb.XVII. *Coſterus* Enchiridii cap.V. *Andradius* Orthod. Explic. libro IV. *Pihgius* lib.V. de lib. arb. *Ruardus Tapperus* ad art. VII. Lovan. T.I.opp. *Alphonſus à Caſtro* V. Libertas. *Joan. Viguerius* Inſt. cap. III.§.3. *Cotonus* Inſtit. III.cap.VII. & recentiores paſſim ſuperbiunt, videlicet: *Stultiſſimum fore, qvi peccatorem corriperet, ut ex dolore correptionis oriretur voluntas regenerationis, niſi crederet correptũ poſſe dolere ſi velit, alias enim adhibiturum cauſam, qvam ſciret nihil efficere poſſe*: qvæ Bellarmini verba ſunt l.d. planè gemina iſtis Pelagianorum, qvæ mox in limine libelli flagellat Auguſtinus: *Ut qvid nobis prædicatur atq; præcipitur, ut declinemus à malo & faciamus bonũ, ſi hoc Nos non agimus, ſed id velle & operari DEUS operatur in nobis?* Oſtendit tamen freqventiſſimus hujus vocabuli CORREPTIONIS No. 1. 2.

uſus, uſurpatum fuiſſe Auguſtino pro *Deprehenſione hominis in propoſito aut facto illicito, vel etiam in omiſſione debiti, ejusq; reprehenſione per verba vel nutus & ſigna emendationem intendentia.* Latinis dicuntur CORRIPI à morbo, ebrietate, ſomno, furore, aliisve paſſionibus, qvos morbus, ebrietas, ſomnus, furor aliive affectus & pasſiones invadunt & occupant, ut *Act.X,4. Cornelius timore correptus*, dixit, &c.

3. De DEO autem & hominibus activè prædicatum ſignificat corripere verbis vel factis; & de hominibus pasſivè, ſignificat corripi propter exceſſum, aut defectum, id eſt reprehendi à ſuperioribꝰ aut vicinis *Luc.XXIII,22: corripiam eum*, i.e. loris, virgis caſtigabo. *Levit. XXVI,28 Corripiam vos ſeptem plagis.* Ruth. II, 16: *Te ſpicas colligentem nemo corripiat. 1.*Sam. *III*,13: *Eli non corripuit filios ſuos.* Luc.III, 19: *Baptiſta corripuit Herodem.* Ebr. XII, 7: *Qvis eſt filius, qvem Pater non corripiat?* Jerem. X, 24: *Corripe me Domine, veruntamen in judicio & non in furore.* Pſ. VI, 2 XXXVIII, 2: XXXIX, 12: *Qvando hominem corripis propter iniqvitates, perit forma ejus.* Pſ. XC, 10: ineptisſimè tralatum eſt: *Qvoniam ſupervenit manſvetudo, & corripiemur, &c.*

De Differentia Correptionis & Correctionis.

§ II.

4. QVanqvam verò Scholaſtici in Qvartum ſententiarum diſt. 19. & 22. q. 33. nec non Canoniſtæ in *C ſi peccaverit. 2. q. 1.* cum Caſiſtis & Summiſtis, ubi de correptione fraterna agunt, CORREPTIONIS & CORRECTIONIS vocabulum promiſcuè ſumant; Latinè tamen docti non dubitant; illud patere latius: & corripi plerosq; qvi nō corriguntur. Qvin imò ex Latini ſermonis indole CORRECTIONEM CORREPTIONI opponi. Corriguntur enim qvæ luxata, cōtracta, diſtorta, incurvata ſunt, qvādo ad amusſim, regulā & normam rediguntur: Corripiuntur autem qvæ laxa & qvaſi ſoluta ac libera erant. Ex divino autem inſtituto & officio charitatis, qvin etiam juſtitiæ, omnis correptionis moralis ſcopꝰ eſſe debet

COR-

CORRECTIO, juxta illud Auguſtini Serm. XVI. de verbis Domini: *Ideò debemus amando corripere, non nocendi aviditate, ſed ſtudio corrigendi.* Et I. de Civit. IX. qvando de participatione alieni reatus, ob ſilentium, ſive non correpta vicinorum peccata agit, ob qvam participationem Chriſtiani Gentilium cladibus non rarò fuerint implicati. *Plerumq́ʒ*, ait, *ab eis* (flagitioſis) *docendis & admonendis, aliqvando etiã objurgandis & corripiendis malè diſſimulatur, cùm vel laboris piget, vel cùm inimicitias eorum devitamus*, &c. Iterum: *Non ſolùm infirmiores in Eccleſia, verum etiam hi, qvi ſuperiorem vitæ gradum tenent, Ea ipſa, qvæ cum ipſis non perpetrant, nolunt plæruṁqʒ corripere, cum fortaſſe poſſint aliqvos corripiendo corrigere.* Paulò poſt: *Flagellantur ſimul, non, qvia ſimul agunt malam vitam, ſed qvia ſimul amãt temporalem vitam, qvam boni contemnere deberent, ut mali CORREPTI atqʒ CORRECTI conſeqvantur æternam*, &c: Libro III. contra Epiſtolam Parmeniani Donatiſtæ, diſtingvens obligationem corripiendi fratrem, à temeritate faciendi ſchiſma, ait: *Chriſtianos non ſeparare ſe à conſortio eorum, qvos tali* (i.e. fraternâ) *correptione corrigi poſſe ſentiunt.* Iterum laudato ſermone XVI. de V. Dom. ap Matth. *Nos volumus corripere & corrigere, inimicus autem qværit, qvod puniat.* 5

Seneca II. de Ira: *Sapiens placidus atqʒ æqvus erroribus eſt, non hoſtis, ſed correptor peccantium.* Megaronides ap. Plautum in Trinummo:

> *Qvid Tu adoleſcentem qvem corruptum eſſe vides,*
> *Qvi tuæ mandatus eſt fidei & fiduciæ,*
> *Qvin eum reſtituis? qvin ad frugem CORRIGIS?*

Correctio igitur finis, non forma nec ſynonymum Correptionis eſt.

De Diviſione Correptionis.

§ III.

DIVIDITUR Correptio ſecundum cauſas efficientes & finales, in 6 *judicialem*, eamqve vel Laicam vel Eccleſiaſticam, qvæ vulgo

cenſuraEccleſiaſtica dicitur,in qva judicis ſecularis nullæ ſunt partes,niſi exſecutivæ: *paternam,paſtoralem,Magiſterialem,fraternam*, *Defenſivam,Reſtitutivam,& Emendatoriam.* Vide *Regium* De Act.ſupernat. Diſp.28. *Ariagam* Tom.V.Diſp.45.

7 Priores IV. ſpecies,non ſolùm ex motu charitatis, ſed etiam juſtitiæ procedunt à ſuperioribus,ad caſtigandùm & corrigendum ſimul,ſive ad emendandum peccatorem: deniqve ad reſtituendum læſum fratrem honori ſuo vel juri,qvod læſit corripiendus: Cæteræ verò ſpecies correptionis procedunt à pari in parem, vel etiam ſuperiorem,ex motu ſolius charitatis fraternæ,&dilectionis generalis erga honeſtatem publicam & gloriam DEI,qvam etiam privati tueri tenentur,avertendo & emendando in proximo id, qvod honeſtati publicæ,utilitati proximi,aut gloriæ DEI injurium eſt. Ex
8 officio autem non competit privatis corripere fratrem animo vindicandi alium fratrem læſum,aut ſeipſos,aut puniendi &caſtigandi verbis proximum lædentem,ſed tantùm motu & animo emendandi fratrem peccantem,&promovendi adeò ejus ſalutem,ſive, ut Chriſtus ait Matth.XVIII,15: *ad lucrandum tuum fratrem.* Qvem finem etiam Apoſtolus *Judas* præſcribit epiſt. v.22,23: *Hâc diſcretione utamini,ut aliorum qvidem vos miſereat,alios ἐν φόβῳ,cum metu ſalvos faciatis.* Paulus Gal.VI,1: *Fratres,ſi qvis deprehendatur in aliqvo delicto,Vos,qvi ſpirituales eſtis,corrigite, καταρτίζετε,* luxatum membrum in locum priſtinum reſtituite & corroborate.

9 Qvem finem etiam voces νουθετεῖν & νουθεσίας, qvas vulgatus ut plurimum *corripiendi* verbo reddidit,inſinuant,qvando de correptione fraterna uſurpantur I.Theſſal.V,12.& 14: *Adhortamini vos mutuo,ἀλλήλους,& ædificate alter alterum,εἷς τὸν ἕνα, ſicut & facitis: Cognoſcite laborantes in vobis,& qvi præſunt vobis in Domino, & qvi informant vos,καὶ νουθετοῦντας ὑμᾶς,*(qvi mentem veſtram ad rectitudinem componunt,ſeu redigunt. Vulgatus hic habet: *Qvi monent vos. Rogamus autem vos fratres,corripite inqvietos, conſolamini puſillanimes,*&c: Ubi corripiendi verbum in Græco iterum legitur: νουθετεῖτε τοὺς ἀτάκτους,qvi ordinem tranſilierunt,eos in ordinem revocate,reponite. II.Theſ.III,15: *Inobedientem nolite tanqvam inimicum*

ex-

exiſtimare,ſed corripite ut fratrem. νουθετεῖτε. Ambroſiaſter : *monete conſiliis.* Tit. III,10 : *Hæreticũ hominem poſt unam vel alterã correptionem,* νουθεσίαν, *devita:* Qvam correptionem *Chryſoſtomus* de informatione per inſinuationem veritatis, per διαλογισμὸν, per πονεῖν καλὸν πόνον, *bonum laborem informationi impendere, ne* αὐτοκατάκριτος *aliqvando excipere poſſit:* ὅτι οὐδεὶς εἶπεν, οὐδεὶς ἐνουθέτησεν, *qvòd nemo ipſum docuerit, nemo melius informaverit.* Ὅταν οὖν μετὰ τὴν παραίνεσιν ὁ αὐτὸς ἐπιμένει, αὐτοκατάκριτος γίνεται: *Qvando igitur poſt admonitionem hæreticus manet, tunc pro ſeipſum condemnante æſtimandus eſt.* Idem Chryſoſtomus νουθεσίαν qvam *Parentes* Eph. VI,4. (ubi τῇ παιδείᾳ conjungitur) *liberis ſuis in Domino impendere jubentur,* exponit de miſſione filiorum in ſcholas ſacras, de ἐπακοῇ τῶν θείων γραφῶν: *Exemplo Hannæ, qvæ Samuelem ſuum ſtatim duxit in templum Dei:* Unde patet, νουθεσίας finem proximum eſſe, informationem mentis, & emendationem morum in melius. Qvo ſenſu etiam conjūgi fere ſolet διδάσκειν, καὶ νουθετεῖν, etiam qvando de cor- 10
reptione fraternâ inter Laicos agitur, Coloſſ. III,16 : *Verbum Chriſti habitet in Vobis abundanter, in omni ſapientia: Docentes & commonentes vosmetipſos in Pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, &c.* διδάσκοντες καὶ νουθετοῦντες ἑαυτοὺς ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις, κ.τ.λ. ubi νουθεσία etiam per hymnos & Pſalmos ſpirituales fieri dicitur. Sic Cap. I,28 : *Nos annunciavimus Chriſtum, corripientes omnem hominem, & docentes eum in omni Sapientia, ut exhiberemus eum perfectum in Chriſto,* νουθετοῦντες πάντα ἄνθρωπον, καὶ διδάσκοντες πάντα ἄνθρωπον ἐν πάσῃ σοφίᾳ, &c: Rom. XV,14 : *Scio vos plenos eſſe charitate & ſcientia, ut poſſitis* καὶ ἀλλήλους νουθετεῖν, *etiam vos mutuo monere.* Apoſtolus de ſe Act. XX,31: *Non ceſſavi per triennium die ac nocte, unumqvemq; cum lacrimis monere,* νουθετεῖν ἕνα ἕκαστον ὑμῶν. De qvibus finibus, An præter emendationem & converſionem proximi, etiam *confuſio ejus,* ſed qvæ ordinata ſit ad pœnitentiam excitandam, intendi poſſit à privato corripiente fratrem, & non judice? poſtea dicendum erit.

De Cauſa Impellente Externa Correptionis Fraternæ.

§ IV.

11 CAuſa EFFICIENS MORALIS & externa eſt præceptum divinum, obligans qvosvis homines rationis compotes, ut ſervatis prudentiæ, juſtitiæ, & charitatis regulis, corripiant proximum errantem, velut ex bonâ parte Teſtimoniorum jam productorum patuit Matt. XVIII. *I.* Theſſal. V. *III.* Theſſ. *III.* &c: Accedat Claſſicum
12 illud Levit. X*I*X, 17: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publice argue illum, ne habeas (feras) ſuper illo peccatum.* Ebr. הוכח תוכיח את־עמיתך Pagninus & Arias: *Corripiendo corripies proximum tuum*, Arius: *Et ne feras ſuper illo peccatum*: Oleaſter & Vatablus: *Et non impinges illi crimen.* i: ajunt in Annotat. *Neq; falſum crimen illi adſcripſeris*; ineptè, & fatentibus illis Chaldæus verius: ולא תקבל על־דיליה חובא *Et non ſuſcipies pro eo peccatũ.* Fagius: *ut non accipias ejus cauſa pœnã.* Qvo ſenſu *acceptandi* verbum, קבל apud Chaldæos freqventisſimè ſumitur: קבילי: *ſuſcipe ignominiam tuam*, Ezech. XV*I*, 12. & 14: nec non XXXV*I*, 15: ubi in Ebræo idem verbum נשא qvod hic in Levitico: Sic Hiskias ad Babylonium: *Qvicqvid impoſueris mihi, feram*: אקבל. Ebr. אשא. Et hoc eodẽ XIX. cap. Levitici verſu 8: *Comedens de reſiduo pacificorum, portabit iniqvitatem ſuã*, Ebr. ישא. Chald. יקבל Atqve ita locis infinitis aliis. LXX: *καὶ ἐ λήψῃ δι' αὐτὸν, & non accipies propter ipſum peccatum.* Qvo ſenſu etiam Lutherus: **Daß du nicht ſeinethalben Schuld tragen müſſeſt.** Genevenſes & Belgæ Synodici: *Non feres, non tolerabis, non diſſimulabis in eo peccatum, ne pœnam ejꝰ cauſa ſufferre cogaris*, Tremellium ſecuti & Junium. Sed Belgæ orthodoxi in ſuâ verſione Lutheri translationem ſeqvuntur, æqvè ac Dietenbergerꝰ & Tigurini in verſ. Teutonica: Qvam expoſitionem in ſcholiis & Piſcator præfert. Neqve Sixtinus Amama rigoroſus Lutheri cenſor, qvicqvam hic annotavit in Conferentia Biblica Belgicè edita.

Vul-

Vulgati autem temeritas & ἀβλεψία in tralatione conju- 13
gatorum h.l. *corripiendo corripies* apparet. Ex indole lingvæ, Zelum,
ingenuitatē, & prudentiā iſta notant ut: *qværēdo qværere*, pro ſolli-
citè qværere, Lev. X, 16: *cuſtodiēdo cuſtodire* Prov. IV, 23. i. e. diligen-
ter, Et hoc ipſo cap. XIX. Levit. v. 20: *ſerva, qva redimendo non fuerit
redemta*, i. e. neglecta, &c: Non autē denotare hîc locum aut modū
publicè qvenqvā corripiendi, uti Vulgatus qvidem innuit, qvando
ſic transtulit: *Publicè argue illum, &c:* agnoſcunt ipſi etiam Pontifi-
cii: *Pagninus, Arias, Eugubinus, Eſtius, Novarinus, Lorinus.* Ex Anti-
qvioribus *Radulphus*, ex Fuldenſibus Monachis Benedictinus, *Hugo
Carenſis, Lyra, Cajetanus, Rickelius*, exponentes illud *publicè:* per *planè,
candidè, ſincerè*; vel etiam *adhibitis teſtibus*, ex Matth. XVIII, 16. *Me-
nochius*, ut freqventiſſimè alibi, ita & hic longè à ſcopo jaculatur:
Publicè argue eum: i. e. (ait) *palàm per judices cura ut tibi ſatisfiat: Ne
habeas ſuper illo peccatum, ei perniciem aliqvam occultè machinando.* Me-
lius, & annis prope DC. ante Menochium, Rupertus Abbas Tuitien-
ſis in h. l. Lib. *II*, Commentar. in Levit. *C*. XL*IV*: *Qvid enim, ſi neq; i-* 14
*pſe peccator delictum ſuum prodidit, neq; publicè per alium cognitus, ſed Tu
ſolus noſti? Nunqvid ſtatim divulgabis? Non utiq;: ſed vade, inqvit Do-
minus, & corripe eum inter TE & ipſum ſolum, &c:* Gloſſa ordinaria
Strabi Fuldenſis: *Ne oderis fratrem Tuum in corde tuo, qvamvis aſtute
odiſſe fingas, ut corrigas, unde: Nolite ut inimicum æſtimare illum, ſed cor-
ripite ut fratrem, ſed publicè argue illum; non latenter detrahendo: Ne
habeas ſuper illo peccatum conſentiendo.* Toſtatus hîc: *publicè arguè, id
eſt: non teneas iram intra cor tuum, ſed revela ILLI, de qvo eam concepi-
ſti, ſcil. petendo, ut ſatisfaciat tibi pro offenſa. Et tunc vel fiet ſatisfactio,
vel habebis manifeſtam cauſam proſeqvendi injuriam.*

Verbis deniqve Moſaicis intelligendum eſſe *modum* correpti- 15
onis *verbalem*, eumqve emendatorium, patet ex phraſi, qvæ diſcepta-
tionē, objurgationē, redargutionē, reprehenſionē judicialē & exrta-
judicialē ſignificat. Jeſ. *I*, 18: *Lavamini & tunc venite, diſceptemus invi-
cem* ונוכחה. Gen. XX, 16: *Abimelech corripuit, redarguit ſeipſum*
ונֹכחת. Cap. XX*I*, 15: *Abraham corripuit Abimelechum.* Cap. XXX,
37: *Fratres tui & fratres mei redarguant reum inter nos.* v. 42: *Deus pa-*

 tris

tris mei redarguit TE *præteritâ nocte:* Cùm inclamaret nempe v. 24: *Cave tibi, ne loqvaris cum Jacobo, niſi bonum.* Pſ. CXLI, 5: *Percutiat me Juſtus cum commiſeratione, & increpet me:* ויוכיחני. LXX: παιδεύσει με δίκαιος, καὶ ἐλέγξει με. Neqve aliis ferè vocibus redditur à Senibus, qvàm ἐλέγχειν, διελέγχειν, ἐξελέγχειν, ὀνειδίζειν, διαλέγειν, ἐναλλεσθαι τινὶ, ὀνειδεῖν, inſultare alicui probris. Παιδεύειν vertitur Prov. *III*, 12: de *monitis & correptionibus paternis.* Βλασφημεῖν ἐν λόγοις, de conviciatore Rabſace II. Reg. XIX, 4. Qvapropter Hiskias Rex infamatus, diem illam vocabat: יום צרה ותוכחה ונאצה *diem tribulationis, opprobrii & blaſphemiæ* Jeſ. XXXVII, 3. LXX: ἡμέραν θλίψεως, καὶ ὀνειδισμοῦ καὶ ἐλεγχμοῦ: Et hunc Levitici locum: *Corripiendo corripies*, reddiderunt Senes: ἐλεγχμῷ ἐλέγξεις τὸν πλησίον σου. Deniqve *de diſputatione Jobi & Amicorum* ſæpiſſimè occurrit tùm Ebræum הוכיח, tùm Græcum ἐλέγχειν. Verna Abrahami Patriarchæ uſus eſt hâc voce Ebræa, pro deſignatione, & qvaſi vindicatione Rebeccæ in Conjugem Iſaaco, Gen XXIV, 14, & 44. ubi Senes ἑτοιμάζειν, qvaſi *contendendo acqvirere* reddiderunt. Satis autem apparet ex allatis parallelis, venire intelligendam correptionem, ſive admonitionem verbalem, eamqve privatam, & convenientem perſonæ, loco, tempori, qvalitati & qvantitati exceſſus vel defectus, inſtitutam hac fini, ut animæ ſalus fratri acqviratur vel conſervetur.

16 Conſentaneum huic præcepto illud ap. Salomonem eſt, qvod Prov. XXV, 8. 9. 10 Vulgatus ſic expreſſit: *Ne proferas in jurgio cito, ne poſtea emendare non poſſis, cū dehoneſtaveris amicum tuum: Cauſam tuā tracta cū Amico tuo, & ſecretum extraneo ne reveles: Ne fortè inſultet tibi cū audierit, & exprobrare non ceſſet:* Ex Ebræo: *Ne egrediaris* (LXX. μὴ πρόσπιπτε εἰς μάχην ταχέως: *ne ruas, ne prolabaris cito in prælium*, Rechts-Kampff, ne provoles, ne feſtines) *ad litigandum* (publicè contendendum) *cito, ne fortè aliqvid committas, cujus cauſa in noviſſimo pudore* TE *afficiat proximus tuus. Litigum tuum litiga* (Cauſam tuam diſcepta, Chald. Judica) *cum amico tuo, & ſecretum proximi* (Secretam Syrrhaxin cum proximo) *ne reveles.* Pagn. *Ne reveles ſecretum alteri:* Sed nullum ſignum adeſt tertii caſus, & regularis conſtructio ſubſtantivi cum ſubſtantivo ſtat pro altero genitivo. *Ne*

ali-

auditor (tertius) *probris te fortè afficiat, & infamia tua non avertatur* (averti neqveat, vel fama reſtitui neqveat.) Theodotion: ὁ ψόγος σου οὐκ ἀποστραφήσεται: *Vituperium tuum vix poterit declinari*: LXX: ἡ μάχη σου καὶ ἡ ἔχθρα σου οὐκ ἀπέσται, ἀλλ' ἔσται σοι ἴση θανάτῳ: *ubi ſemel litem conteſtatus fueris & cauſidicis TE dederis, pugna litis & adverſitas non ceſſabit, ſed vigebit donec moriaris, tandem enecabit TE.* A-
ptisſimè in modernas lites, atqve immortales actiones. Notavit 17
Mercerus, ineſſe poſtremo huic commati Tria verba media חסר & שוב & רבה: qvæ apud Ebræos contrarias ſignificationes induunt: חסר nempe, excedere affectu benevolentiæ, & nonnunqvam iracundiæ, ut h.l. atqve aliàs ſæpe, *probro afficere*, unde חסד Lev. XX, 17. ὄνειδος Pſ. LII, 3. ἀνομία & h.l. Proverb. ἵνα μὴ ἐπονείδιστος γένῃ, *ne probro fias.* cap. *XIV*, 35. *Juſtitia exaltabit gentem, miſeros autem facit populos peccatum.* Ebr. וחסד לאמים חטאת LXX. Senes: ἐλατ-
τοῦσι δὲ φυλὰς ἁμαρτίαι: *Flagitia diminuunt populum dignitate*; vi- 18
leſcit populus flagitiorum infamiâ. Alterum verbum eſt שוב. qvod averti & converti, verti, indefinitè ſignificat; pro naturâ autem ſubjectorum de qvibus prædicatur pronunciandum eſt de ſignificatu. Jerem. V*III*, 4. Ezech. *III*, 19. cap. V*III*, 6. 17. *II*. Reg. XX*I*, 3. Pſ. V*I*, ult. mox *averſionem* à bono, mox *converſionem* ad bonum, mox qvemlibet motū denotat, Et Senibus per στρέφειν, ἀποστρέφειν, ἐπιστρέφειν, ἀνεπιστρέφειν, ἐπαναστρέφειν, ἀπέρχεσθαι, ἐπέρχεσθαι, ἀφίστασθαι, πορεύεσθαι, ἀπάγειν, ἐπάγειν, &c. paſſim reditur. *I*dem pronunciat Mer-
cerus de דבה (tertio qvod hic occurrit) verbo μέσῳ apud Ebræ- 19
os, ſed qvod fere in malam partē ſumitur, pro *obloqvi.* Et verbale דבה LXX*II*. Senes, tóties qvoties occurrit, ſemper in malam partē transtulerunt, ψόγον, *Vituperiū. Geneſ.* XXXV*II*, 2. de contumeliis fratrū in Joſephū. Sic Pſ. *XXXI*, 16. Jerem. *XX*, 10, &c: Qvo vocabulo & Theodotion hîc uſus eſt: καὶ ὁ ψόγος σου οὐκ ἀποστραφήσεται: *Et infamia tua*, (qvod temerarius & impudens litigator ſis) *non avertetur.* Alibi ἔκστασιν, alibi ὀνείδισμα, ῥῆμα πονηρὸν, λοιδορίαν reddiderunt. Alibi verbale דב. κόπρον, ſtercus fimum, *II*. Reg. V*I*, 25. Semel in bonam partem uſurpatum lego, vel ſaltem pro diſertis calicibus, & fœcunditate orationis in benè potis. Cant. V*II*, 9; *Palatum tuum*

 velut

velut vinum optimum, rectâ deſcendens in dilectum meum : דובב*: loqvi*
faciens labia dormientium. Mercerus, Janſeni9, & Amama Lutherum
hîc caſtigant, qvod hic reddiderit nomen ישנים *vetera*, vel vete-
res: *loqvi faciens labia veterum*, vel de *adulto vino*, ut Lutherus expo-
ſuit. Sed nobis de דבב ſermo eſt. Et Lutherus aliqvoties teſtatur, ſe
20 puncta Ebræorum non legiſſe. Saltem ex Triga horum vocabulo-
rum patet, qvod ex freqventiore uſurpatione nominis aut verbi in
hoc aut alio ſignificatu, nō confiat inductio pro formali, ut vocant,
vel etiam pro nativo & prædominante ſignificatu qvæſiti nominis
aut verbi. Nec enim propterea, qvod in illis agris ubi gleba tenax
eſt, eqvi freqventius jugantur ad aratrum qvàm boves, vocabu-
lum *jugales* præcipuè de eqvis dici convenit, aut neceſſe eſt: vel etiā
21 potius, qvàm de Bobus, Præcipitur autem â Salomone *privatæ di-*
ſceptationis & transactionis ſtudium, anteqvam ad denunciationem,
accuſationem & litis conteſtationem procedatur. Qvod vulgatus
hic rectè aſſecutus eſt: *Cauſam tuam tracta cum amico tuo , & ſecre-*
tum extraneo ne reveles. Santes: *Cauſam tuam age cum proximo tuo, &*
ſecretum alteri (proximi, alterius,) *ne reveles.* Qvod omninò conve-
nit cum regula Chriſti, *Age inter TE & ipſum ſolos* Matth. XVIII. &
V. Cap. *Eſto æqvus fratri tuo, dum in via eſtis.* Et ſolent ſyllepſes pro-
nominum poſſeſſivorum (*Agere rem ſuam cum ſuis*) plerumqve do-
meſticas, non forenſes actiones denotare. *Dilectus meus mihi & ego*
illi. Vive vitam cum uxore tua, omnibus diebus vitæ tuæ. Bibe aqvam
ex ciſternâ tuâ, & fluenta de puteo tuo, ſint tibi ſoli, & non aliis, &c. Prov.
V. Eccleſ. IX. Cant. I. VI, &c : Nec qvisqvam Interpretum hîc
abſentit à doctrinâ morali, *de privata correptione ante tentanda, qvàm*
qvis judici denuncietur. Etſi *Janſenius, Cornelius & Menochius*, ſeducti
vitio compoſitionis, qvod eſt in vulgato: *Qvæ viderunt oculi tui, ne*
proferas in jurgio cito, &c: Verſum octavum in garrulos & rimarum
plenos dictum putent: Qvos *Pagninus, Cajetanus, Vatablus, Rob. Bai-*
nus, aliiqve ex Ebræo & Ebræis melius informarunt. Symmachi
verſio errori occaſionem dedit, in qva id, qvod ad verſum præced.
ſeptimum pertinebat, de publica & aperta ignominia arrogantis,
connectitur cum verſu octavo, & refertur ad officium taciturnita-
tis,

tis,h.m: *Ἃ εἶδον οἱ ὀφθαλμοί σου μὴ ἐξενέγκῃς εἰς πλῆθος ταχύ. Quæ vidiſti oculis tuis,ne cito efferas in Vulgus.* Sed Ebræa,Chaldæa, & Syra compoſitionem hanc repudiant,Et Magiſtri Ebræorum R. Salomon,Abenezra, Levi. Hugo autem Grotius,pro autoritate Exlegati Svecici:*Benè Interpres hæc connectit*,inqvit,*qvæ alii malè dividunt.* Viderit qvoqve hamaxarius Cornelius, qva diligentia *Pagninum & Vatablum* contulerit,qvos hanc connexionem in Bibliis ſuis ſecutos falsò adfirmat.

Tertium eſt ex panareto Sirachidis XIX,13.14. 15.17. 18: *Corripe amicum* (v.17. dicitur τὸν πλησίον)*ne forte non intellexerit, & dicat, non feci.* Ita Vulgatus,qvi haut dubiè legit : μήποτε οὐκ ἐνόησεν. Græca habent: μήποτε οὐκ ἐποίησεν,*ne forte non commiſerit id*, de qvo deferebatur,& ut appareat innocentia ejus. Atqve ita legunt X. vel plura exemplaria à *Joh.Druſio* collata. Cui lectioni ſuffragatur ſeqvens antiſtrophe : *Corripe proximum,ne fortè non dixerit* (qvod malè dixiſſe ferebatur) *aut ſi dixerit,ne forte iteret* : Inſinuat enim, eandem epizeuxin verborum præceſſiſſe verſ.13 : *Corripe Amicum* (ſive proximum) *tuum,ne forte non fecerit,& dicat, non feci : aut ſi fecerit, ne iterum addat facere.* Pergit v.15 : *Corripe amicum tuum : ſæpè enim fit commiſſio* gr. διαβολή. In Complutenſi,& Camerarii utroqve exemplari additur ματαία,πολλάκις καὶ γίνεται διαβολὴ ματαία. Druſius : *ſæpe exiſtit vana calumnia*) *Ergo non omni ſermoni credas. Eſt, qvi labatur lingvâ* (etiam qvædam Græca exempla addunt,λόγῳ,qvæ lectio probabilis fit ex addita è veſtigio excuſatione : *Et qvis eſt, qvi non peccet* ἐν τῇ γλώττῃ αὐτοῦ *? Alia* dbſolutè legunt : ἔστιν ὀλισθάνων,καὶ οὐκ ἀπὸ ψυχῆς) *Argue* ἔλεγξον *proximum*, πρὶν ἢ ἀπειλῆσαι, *anteqvam ad minas deſcendatur,& da locum legi* (Vulg. timori) *Altisſimi*,γενόμενος ἀμηνής,neqve ſis minax. Qvod Vulgatus non expresſit ; neqve in Græcis codicibus *Aldi,Baſilienſibus & Romanâ editione* additur. In Complutenſi additur. Camerarius & Druſius reddunt : *ut ſis iræ expers : ut iræ expers exiſtas*. Seqvitur : Φόβος κυρίου ἀρχὴ προσλήψεως,σοφία δὲ παρ᾽ αὐτοῦ ἀγάπησιν περιποιεῖ : *Timor Domini fundamentum eſt,ut gratus & acceptus ſis, & ſapientia impetrat apud ipſum gratiam.* Hæc adduntur in Complutenſi & Cameraria-

nis

nis editionibus. Lutherus videtur legiſſe ἀρχὴ περιλήψεως: Die Furcht Gottes macht weiſslich thun in allen Sachen/und Gottes Gebot lehret klüglich fahren in allem Handel. Sermo autem eſt de diſcretione in ſilentio tenendo, & aſſentiendo narratis: in privatâ admonitione, & publicâ denunciatione: deniqve de conditionibus, modo & gradibus, etiam in privatâ admonitione ſervandis, ne cito ad invectivas & acerbas minas deſcendatur. In qvam expoſitionem conſentiunt Interpretes, niſi qvod Janſenius ſubjecta paſſiva & activa mutuæ Correptionis & modeſtiæ in ea adhibendæ, nimium reſtringit *ad Amicos & Vicinos*; qvum officium hoc ſit naturale debitum humanitatis, ad omnes ratione utentes ſe extendens, de qvo poſtea dicendum.

Teſtimonia ex Nov. Teſtam. Matth. XV*III*. *I*. Theſſ. V. II. Theſſ.
25 *III*. jam adducta ſunt. Inter qvæ eminet illud Matth. *XVIII*: Si peccaverit in TE frater tuus, &c. qvod ad definitionem modi, ordinis, & proceſſus obſervandi in correptione fraterna ſpectat. Qvanqvam enim Minorita qvidam *Bernardinus de Arevalo*, peculiari libro de correptione fraterna conſcripto oſtendere conetur: *Inſtructionem hanc Chriſti non obligare ſub natura præcepti, ſed informare ſolùm ſub natura conſilii: Habere etiam pro objecto ſolas læſiones proximi, nō Dei aut ſanctorum.* Revincitur tamen ab ipſiſmet Scholaſticis, *Dominico Banne in 22. q. 33. Art. 1.* qvem *Valentia, Becanus, Filliucus, Regius, Malderus, Tannerus, Bonacina, Amicus, Ariaga* ſeqvuntur, ex eo, qvia (1) verba Chriſti abſolutè de omni ſimili caſu diſponūt. (2) de eo, qvod ad lucrandam peccantis, & ad ſervandam fratris læſi animam neceſſarium eſt. (3) qvod à fortiori gloria & honor Dei ſi lædantur, per correptionem potius vindicandi ſint, qvàm honor aut commodum privati hominis. Qvum homo Deo magis obligatus ſit, qvàm ſibi ipſi, nedum qvàm honori, famæ, fortunæ ſuæ. Qvibus conſonat mandatum Chriſti, Luc. *XVII.*, 3: *Si peccaverit in TE frater tuus*, ἐπιτίμησον αὐτῷ, Vulg. *Increpa illum, & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi: Et ſi ſepties in die peccaverit in TE, & ſepties in die reverſus fuerit ad TE, dicens: pœnitet me, dimitte illi:* Lucas ἐπιτιμᾶν dixit, qvod Matthæus & Sirach ἐλέγχειν appellabant, & *LXX*. ad Levit. *XIX*. & Prov. *XXV*.

So-

Solet autem τὸ ἐπιτιμᾶν, præter redargutionem & convictionem,
qvam τὸ ἐλέγχειν præſtat, etiam timorem qvendam & reverentiam;
nonnunqvam etiam terrorem incutere. Sic *Petrus* ἤρξατο ἐπιτιμᾶν
τῷ Διδασκάλῳ, *cœpit increpare Chriſtum*, Matth. *XVI,22. Chriſtus in-*
crepavit ventum, Matth. *VIII,26. Diſcipuli eos, qvi infantulos adfere-*
bant ad JEſum, Marc. *X,13.&c.* In Magiſteriali & Paſtorali corre- 26
ptionis officio conjunguntur ἔλεγξον, ἐπιτίμησον, παρακάλεσον ἐν
πάσῃ μακροθυμίᾳ καὶ διδαχῇ: *II.*Tim.*IV,2.* Vulg. *Argue, increpa, ob-*
ſecra in omni patientia & doctrinâ. De correptione inceſtuoſi ait A-
poſtolus: *II.*Cor.*II,6:* ἱκανὸν τῷ τοιούτῳ ἡ ἐπιτιμία αὕτη: Vulg. *Suffi-*
cit illi objurgatio hæc. De increpatione Diaboli blaſphemantis, in
Epiſt. Judæ v.9: ἐπιτιμήσαι σοι κύριος: *Increpet Te Deus, Satan! &c.*
Ad Epheſ. V,11: De communi officio Chriſtianorum inter ſe: 27
Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem re-
darguite: μᾶλλον δὲ καὶ ἐλέγχετε. ubi τὸ καὶ, intenſivum & δεινωτικὸν
eſt: *Imò verò arguite potius.* ut Act. *XXII,28:* Ἐγὼ δὲ καὶ γεγέννημαι:
Ego verò etiam civis Romanus natus ſum. Matth. X,30: *Annon duo paſ-*
ſerculi veneunt aſſario, neuter tamen decidit in terram citra voluntatem
Patris veſtri; ὑμῶν δὲ καὶ αἱ τρίχες πᾶσαι ἠριθμημέναι εἰσι: *Veſtri*
autẽ capilli etiam ſinguli numerati ſunt, &c: Hugo Grotius rectè hîc ob-
ſervat: Comparativum μᾶλλον, ad Epheſ. V: *Qvin potius arguite, &c*
augere debitum officii fraterni, ſicut epixeuxis illa Levitici XIX,17.
auget & acuit: ἐλεγχμῷ ἐλέγξεις τὸν πλησίον σου: de qvo ante di- 28
ctum. *Chryſoſtomus* extra dubium Græcè doctiſſimus, Univerſale
præceptum ex hoc loco format: Ἄρα δὴ ἐλέγχειν δεῖ: *Utiq; oportet*
corripere. Et refellit illico apparentem contradictionem ex Matth.
VII: Qvo igitur ſenſu dictum extet: Nolite judicare & non judicabimi-
ni, &c: per diſtinctionem ſc. inter ἐλέγχειν, τοῦτ᾽ ἐστὶ παιδεύειν: & κα-
τακρίνειν: inter *corrigere* & *condemnare.* Et diſtingvendo inter gra-
viora & *leviora*, ἐλάχιστα ἁμαρτήματα, qvapropter nemo temerè
judicandus ſit. De his Chriſtum locutum, qvando dixit: *Nolite judi-*
care. In Morali verò hujus *XVIII.* ſermonis prolixus eſt, in perſva-
dendo hoc correptionis fraternæ officio: *Nolite communicare infru-*
ctuoſis operibus tenebrarum, magis autem arguite. Audite rogo, qvi non

vul-

vultis aliorum odia incurrere. Rapit qvis, & tamen non arguis? At times odium! Verum non eſt hæc temeraria correptio, οὐκ ἔστιν εἰκῆ ἐλέγχειν τοῦτο, ἀλλὰ δικαίως ἐλέγχεις, ſed juſtè hîc increpas. Ecqvid igitur times odium? Argue fratrem, ſubi inimicitias propter tuam in Chriſtum charitatem, propter tuam in ipſum dilectionem. Prohibe, ne frater ſe præcipitet in barathrum. Nam menſæ & convictus eſſe participem, & benignorum verborum, & jucundæ confabulationis, & deliciarum, non eſt amicitiæ argumentum: Talia amicis noſtris dona largiamur, ut eorum a-

29 *nimam ab ira Dei extrahamus. In vitii fornace eos videntes æſtuare, erigamus & faciamus exſurgere.* At non corrigitur, inqvis; *Sed fac Tu, qvod tuum eſt, & apud Deum eris excuſatus. Ne occulta talentum tuum: propterea habes rationem, propterea lingvam & os habes, ut corrigas, ἵνα διορθοῖς proximum. Sola bruta non gerunt curam proximi, neq; brutorum ullum habet rationem: Tu autem qvi Deum vocas patrem & proximum fratrem, videns eum mala innumera patrantem, cur favorem præponis ſaluti ejus? Noli id facere, rogo. Nullum hoc amicitiæ ſignum eſt, μὴ περιορᾶν, non circumſpicere qvid frater agat, non curare fratres utcunq; peccantes, &c.* Digna ſunt qvæ longo ordine legantur ſeqventia hujus argumenti.

§ V.

De cauſa impellente interna Correptionis.

30 ALTERA CAUSA MORALIS obligans ad corripiendum fratrem errantem, eſt interna ſyntereſis hominis, conſcientiâ humanitatis & ſocietatis humanæ admoniti & tacti: ſeu Lex naturæ, connata nobiſcum, qvam denominatione à ſubjecto ſumptâ, licebit dicere CAUSAM OBLIGANTEM INTERNAM. Qvum enim naturæ lex ſit: *Qvod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: Et, qvod tibi non vis ſubtrahi aut derogari, alteri ne ſubtraxeris: Qvam Imperator Alexander Severus, etſi perſecutor Chriſtiani nominis, in parœmiam

miam Symbolicam ſibi delegit: Qvamqve nonnulli Scriptorum Veterum, tanqvam analogam principiis naturalibus attexuerunt præcepto prioris Apoſtolici Concilii Hieroſolymitani, ubi de abſtinentia à ſimulacris, ſcortatione, ſangvine & ſuffocato diſpo nitur, Act. XV, v. 20. 29. ut *Cyprianus, Irenæus, Clemens Alexandrinus*, & alii, de qvibus legendi Interpp. ad h. l. Actuum: *Nemo verò de via aberrans nolit redire in viam*, qvod tanqvam principium ἀναμφισβήτητον naturalis honeſtatis, populo Iſraelitico inculcat Deus Jerem. VIII, 4: *Nunqvid cadent, & non reſurgent?* (pluralis numerus, ſignum collectivi: Nunqvid cadet qvisqvam de ſocietate veſtra, qvi non cupiat erigi, ut patet ex connexione ſingularis collectivi cum plurali, ſeqvitur enim illico: *Si avertatur qvisqvam, annon cupit converti?*)

Hieronymus, eumq; hîc ſeqvuta vulgata verſio: *Nunqvid qvi cadet, non reſurget? Et, qvi averſus eſt, non revertetur? Qvare ergò averſus eſt populus iſte in Jeruſalem pertinaciſſimâ averſione? apprehenderunt mendacium & nolunt converti.* Tremellius & Franciſcus Junius interrogandi ſignum ad qvalitatem peccati Iſraelitici, & promptitudinem Dei de remittendo transferunt: *An ita cadunt, ut non poſſint reſurgere?* Et in notis ajunt: *Amplificari peccatum Iſraeliticum per comparationem miſericordiæ Dei præſentisſimæ*, ut ſenſus ſit: *præcipitantur qvidem Judæi in ruinam ſuam graviſſimè; ſed qvantus, qvantus eſt caſus, omninò major eſt Dei miſericordia, qvâ erigerentur, ſi reſipiſcentes ad ipſum ſeſe converterent.* Qvæ interpretatio Analogiæ qvidem fidei non repugnat, niſi conditionalis clauſula: *Si reſipiſcentes, &c*: Senſu Amiraldino fruſtratoria & nugatoria eſt, hoc ſenſu: *Præſentisſima eſt Dei miſericordia; major eſt Dei miſericordia qvàm omnium hominum miſeria, ſi naturæ viribus convertere ſe poſſent, At facultatem convertendi Deus abſolutè, qvia ſic placet, noluit ipſis conferre, &c.* 31

In textu tamen nullum miſericordiæ divinæ ſub conditione illa promiſſæ indicium eſt, Qvin omnia ſigna collimant ad naturalem inſtinctum tùm hominum, tùm beſtiarum, redeundi ad locum & ordinem naturalem, ſed non ſupernaturalem, qvâ fini adduntur exempla *ciconiarum, milvi, turturis, redeuntium æſtate ad nidificandum v. 7.* cui naturali inſtinctui opponitur præfracta & irrationalis Ido- 32

Iolatria Iſraelitarum, comparata cum furore *ruentis in exitium eqvi* v.6. Qvapropter cæteri Interpretes Calviniani Tremellium hîc deferunt: Piſcator: *Sic dicito eis, Annon, qvum cadunt homines, volunt reſurgere? an qvum avertitur aliqvis, non vult reverti? Cur igitur avertitur populus hic, Ieroſolyma, averſione continuata? Non pœnitet qvenquam malitiæ ſuæ, ut dicat qvid feci? Cuncti convertuntur in curſu ipſorum, ſicut eqvus ferox in prælio. Etiam Ciconia ſub cœlo novit ſtata tempora ſua: & turtur, & grus & hirundo obſervant tempus adventus ſui: At populus meus non novit jus Jehovæ.* In Scholiis ad verſum 4. ait: *An qvum? &c: Interrogatio habet vim negandi*, qvaſi dicat: *Non volunt. Ex qva negatione intelligitur affirmatio contraria: Volunt redire in viam.* Sic mox iterum: *Avertitur à via recta, &c.* Et obſervatione ex v.7: *Qvum ciconia, turtur, grus, hirundo norint & obſervent tempora ſtata adventus ſui: turpe eſt homini, ſi non agnoſcat neq; obſervet tempus gratioſæ viſitationis ſuæ, Luc. 19, 44.*

33 Eodem ſenſu à congruentia & inſtinctu naturali ducto, transtulerunt hæc verba Genevenſes, Angli & Batavi: *Si on tombe, ne ſe relevera on pas? Et ſi on ſe deſtourne, ne retournera on pas al chemin? pourqvoi donc eſt alle à retours ce peuple ci, aſſavoir Jeruſalem, de vn' rebourſement continue?* Planè ut Lutherus, planè ut Batavi: Sal men vallen/ ende niet opſtaen ? ſal men afkeeren/ ende niet wederkeeren ? Waerom keert dan dit Volck te Jeruſalem af/ met eene altoes dûrende afkeeringe ? Orthodoxi Belgæ: Waer is yemant alſ hy valt/ die niet geerne weder opſtaen en ſoude ? Waer is yemant als hy dwalende gaet/ die niet geerne weder te rechte en qvame ? Nochtans wil ja dit Volck te Jeruſalem dwalende gaen voort ende voort!

Conſtat igitur, Tàm beſtias qvàm homines naturali inſtinctu appetere reductionem in viam: Adeoqve deteſtari oppoſitum: Nempe deſertionem in errore. Et conſeqventer ex reciprocâ obligatione inter homines: *Qvod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, jure naturæ obligari homines, & multò magis cives in eadem civitate viventes, maximè verò Chriſtianos, ad correctionem fraternam, huic fini neceſſario deſtinatam.

Ex

Ex naturali autem inſtinctu beſtiarum naſcuntur no- 34
mina obligantia hominem à fortiori,non verò à pari , ut *Pp. Inno-
cent. III. C. cùm ex injuncto* de Hæreticis 12. cavillatur: *qvando frater
fratrem corripit,perinde qvidem eſſe,ac,cùm aſina Bileamum increpavit:
At qvando Laicus Clericum qvaſi patrem ſuum velit increpare, diſparem
eſſe rationem.* Qvam correctionem enim beſtia per naturam appe-
tit,eam homo multò magis. Qvod autem per naturam expectamus
à ſociis: illud ſociis deſiderantibus jure naturæ merito reddimus.

Ad majus periculum avertendum,& ad majus bonum procu- 35
randum magis etiam obligamur: Conſervatio ſanitatis & vitæ ra-
tionalis,& cumprimis vitæ ſpiritualis in gratia Dei, longè majus bo-
num eſt,qvàm conſervatio ſolius vitæ vegetativæ & animalis in be-
ſtiis: Atqvi ad hanc conſervandam,&,ſi periclitetur, liberandam,
tenemur lege naturali Exod. XXIII,4. ubi *de bove & aſino inimici &
oſoris noſtri* , Deut. XXII,1. ubi de *fratris & cujusvis proximi jumentis
errantibus in viam reducendis,cuſtodiendis,reſtituendis , & ſub onere
ſi fatiscunt,liberandis* diſponitur: Ergò multò magis obligamur ad
conſervandam vitam rationalem,& cumprimis ſpiritualem in ho-
mine ad imaginem Dei condito, precioſo ſangvine Chriſti redem-
pto,futuræ æternæqve beatitudinis deſtinato hærede,&c. De hac 36
obligatione Bernhardus Epiſt. CCIII. ad Epiſcopum & Clerum,
Trecenſem: *Errat Ancellus noſter,errat. Cui dubium? Si dimittimus e-
um ſic,non ſolus errabit. Qvantos trahet poſt ſe ſuo exemplo illuſtrisſi-
mus juvenis? Nec modo ſeqvaces,ſed omnes qvi poterunt eum revocare,
nec revocabunt,eodem errore judicamus involvi. Mundus ego ſum à ſan-
gvine ejus. Annunciate peccatori opus ejus,ne ille in peccato moriatur,
ſangvinem verò ejus de manu veſtra reqvirat , qvi ſuo eum redemit ſan-
gvine pretioſo. En de cœlo clamat: Virgo Iſrael corruit , & non eſt qvi
ſublevet eam Amos 5. Qvousq; in luto aurum jacet? Tollite margaritam,
tollite,levate ſplendidisſimã atq; precioſisſimam gemmam de ſterqvilinio.
Levate eam,anteqvam porcorum,id eſt ſpurcorum ſpirituum pedibus con-
culcetur,& jam non ſit Vas in honorem,ſed in contumeliam.*

Eadem illatione à minore ad majus utitur ex hoc dicto Chry- 37
ſoſtomus homil. XXIV. ad populum, ubi multis iterum de obliga-

tione ad fraternam correctionem agit: Et mandatum ex illo Chriſti Luc.X,37. *Vade, & fac Tu ſimiliter, qvomodo videlicet Samaritanus fecit illi, qvi in latrones inciderat, ita & Tu libera fratrem à latronibus infernalibus*, &c: rectè atqve ordine exaggerat.

38 Neqve audiendus hîc eſt *Abulenſis Epiſcopus*, qvi nusqvam non etiam levisſimas exceptiones ex Rab. Salomone allinere conatus eſt præcepto Deuteronomii, de levando Aſino proximi: *Immunes ſcil. fuiſſe ab hâc obligatione Sacerdotes, ſi aſinus aut bos cecidiſſet ſuper ſepulcrum mortuorum, ne videlicet ſacri homines ſe polluerent.* Qvum tamen Catalogo Ebræo affirmativorum præceptorum Judaicorum hodieqve extante, præcepto 81. apertè contrarium doceatur: Nempe, *non pollui Sacerdotem, qvi videns jumentum cadere ſuper ſepulchrum, ſuccurrat illi.* Et hoc conſonat doctrinæ Chriſti & Prophetarum Matth.XII,7. Hoſ.VI,7: *Miſericordiam dilexi præ ſacrificio.* Apparet autem qvàm ſolers & induſtrius ſit Clerus Pontificius ad eximendum ſe ab illis oneribus, qvæ ipſimet imponunt Laicis, ut Phariſaicam indolem etiam hîc exprimant, deſcriptam Matth. XXIII,4: *Alligant onera gravia*, &c.

§. VI.

De Obligatione ad officium correptionis, ejusq; intenſione.

39 GRadus & neceſſitas hujus obligationis verſatur ſub periculo incurrendi peccatum mortale, & conſeqventer æternum animæ exitium, ſi omittatur datâ operâ, vel ex negligentia culpabili: Tenetur enim qvisqve proximum diligere ſicut ſeipſum, adeoqve & damnum animæ proximi avertere tantâ diligentiâ, qvantâ ſuæmet animæ damnum. Qvantâ igitur ſollicitudine & diligentiâ tenetur qvilibet Chriſtianus ſeipſum cuſtodire; ne ſcienter in peccata mortalia labatur: Et in peccatum lapſus, ſeipſum corripere & dehortari à repetitione & continuatione, ſeqvè exhórtari ipſum ad pœnitentiam, qvod per acceptam prævenientem gratiam poteſt: Tantâ

&

& pari diligentiâ tenetur cuſtodire proximum, ne in mortale peccatum ſciens labatur: Eumqve in peccata mortalia lapſum dehortari à repetitione & continuatione: & deniqve exhortari ad agendam pœnitentiam. Cui regulæ & normæ obligationis inſiſtunt teſtimonia Levitici XIX. Matth. XVIII. aliaqve ſuperius allegata.

Et de ſuperioribus qvidem, qvibus cura inferiorum deman- 40
data eſt, nullum poteſt eſſe dubium, qvin incurrant animæ exitium omittendo correptionem Magiſterialem in foro Eccleſiaſtico, Civili, & Oeconomico ſtatu, juxta illud Ezech. XXXIII. *Sangvinem ejus repoſcam de manu Tua.* I. Reg. XX, 40. 42: *Qvia cuſtos datus eras illi qvi periit, & non cuſtodiiſti eum, erit anima Tua pro anima illius, &c:* Veruntamē & clauſula illa comminatoria, addita Diſpoſitioni divinæ de cura proximi ad corripiendum proximū Levit. XIX, 16: *ne cogaris ferre ſupplicium ejus*, &c: clarè oſtendit, aſtringi etiam privatos ſub periculo amittendæ propriæ ſalutis, ad corripiendum proximū: non ſolùm ad teſtificandum de diſſenſu ſuo, qvaſi non ſint correi & participes delicti, per ullam ſpeciem participationis moralis, qvam Caſiſtæ his verſibus includunt:

Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans:

Sed etiam ad diligentiam adhibendam, ut *lucrentur animam fratris tui*, qvem finem Chriſtus huic præcepto addidit Matth. XVIII.

Neqve in foro conſcientiæ hic abſolvet omittentem præſump- 41
tio de præſentia alterius corripientis, ſive ex officio Magiſtri aut Paſtoris, ſive ex officio Chriſtianæ charitatis magis obligati ad corripiendum hunc, qvam ego ſim obligatus: niſi probabiliter certus ſit, eum jam defunctum, aut certè defuncturum eſſe officio ſuo. In dubio enim tenetur ſupplere qvivis privatus defectum monitoris ordinarii. Neqve in foro conſcientiæ fuiſſet abſolvendus Samaritanus, ſi cognito tranſitu præcedentis Sacerdotis & Levitæ, qvi lapſum in latrones dimiſerant ſine adjutorio: Vel etiam ex præſumptione ſecuturorum per eandem viam aliorum Judæorum, miſerum iſtum propiore cognatione ſangvinis vel officii attinentium, qvàm videbatur attinere eum Samaritanus, propterea ſine ſolatio reliqviſ-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

lliter, majoris,etſi alieni,præferre conſervationi boni minoris, etſi proprii. Neqve liberant omittentem & tergiverſantem *Navarrus* 44
Enchirid. c.24.n.12. *Henriqvez* Caſ.l.3 C.27. *Reginaldus* fori pœnit. l. 4.c.ult.n.361. aliiqve,ſolâ exaggeratione oneris, qvod temporali vitæ meæ ad procurandam vitam æternam proximi incumbat, & nimis durum videatur. Qvia non incumbit ex contractu voluntario,aut lege conventionali inter homines ab hominibus conſtitutâ,ſed incumbit hoc onus ex lege ſuperioris, & ex incomparabili precio animę cum precio corporis aut fortunarum qvantarumcunqvè: Qvemadmodum igitur lege divinâ teneor ad avertendum majus malum temporale proximi,tolerare minus malum temporale proprium ejusdem generis Exod. XXIII,4.5: *Ad reducendum in viam bovem errantem,ad liberandum fatiſcentem ſub faſce bovem inimici mei,teneor facere & pati damnum proprium qvantitate minus:* Ita multò magis ad avertendum damnũ ſuperioris generis, ſive damnũ animæ proximi,teneor pati damnum inferioris generis,ſive damnũ corporis & fortunarum mearum. Sir.XXIX,13: *Perde argentum propter amici & fratris temporale commodum:* E. multò magis propter commodum ſpirituale & æternum.

45 Neqve relevat diſtinctio *Bonacinæ Tom.2.Diſp.3.qvæſt.4.* puncto 7.n.12: qvam hauſit ex *Banne in 22.q 33.Art 2.dubio 3.* aliisqve: Teneri etiam privatum ad correptionem proximi in extremo animæ periculo conſtituti, *ſi conſtet,proximum peccare ex ignorantiâ culpabili ſive vincibili; Non teneri,ſi præſumatur peccare ex ignorantia invincibili, vel etiam ex malitia.* Qvando enim finis præcepti abſolutè ponitur,qvi h.l. eſt ſalus animæ, nihil intereſt undecunqve periculum cœperit: ſive ex ignorantia,ſive ex malitia,ſive ex negligentia qvisqvã in foveam inciderit: ſufficit,qvod mihi ex lege incumbit, eum etiam cum damno corporis mei liberare. Qvod autem ſupponit Bonacina: *Eum,qvi ex ignorãtia invincibili errat.v.g. adoret idolum, detineat concubinam,&c*: non verſari in extremo periculo animæ, qvia peccatum hoc non poſſit dici voluntarium, & conſeq. non mortale; id falſum eſt: *Filius Dei,qvum venerit in flammâ ignis, dabit*

vin-

*vindictam non ſolum in infideles,ſed etiam in ignorantes II.Theſſ.I,8,9.*etſi
horum ſupplicium ſit futurum mitius.

46 Cum periculo tamen animæ propriæ nemo tenetur avertere
periculum animæ alterius: Qvemadmodum *Pambus*, Monachus
Alexandrinus,aliiqve *in Vitis patrum* auſi leguntur,ut ingererent ſe
in lupanaria publica,etiam ſub prætextu ineũdæ conſvetudinis in-
honeſtæ,ad lucrandas meretricum animas: *qvum ipſi ſcil. membra
ſua ſuper terrã jã mortificaſſent*,ut Autor loqvitur,ſed qvalis ſucceſſus
hos auſus beaverit,ex eo liqvet,quod illæ ipſæ tabulæ,qvæ hoc faci-
nus laudant,ne propriam Turpitudinem allegare cogantur,turpiùs
ſe dent & fingant: in *Macharia Ægyptia* v. g. mutatum fuiſſe fœmi-
ninũ ſexum, ut ſine periculo impraegnationis potuerit inter fratel-
los vivere,*Theodoram* qvandam meretricẽ,poſtea*Fratrem Theodorum*
dictam, è lupanari converſam,*habitu virili indutam,totam reliqvam*
49 *vitam inter Monachos exegiſſe*, ut eſt *in vitis Patrum parte 2.* Parum
abeſt ab hac temeritate Regula ſocietatis Jeſuiticæ,de iis,*qvi in Miſ-
ſionibus verſantur*,qvando *iis*,injungitur,*ut, qvos in naſſam Domini ſui
pertrahere allaborant,eorum temperamento, qvantum fieri poteſt ſe ac-
commodent, ambitioſis honores,luxurioſis voluptates, iracundis potentiã
&c. promittant.* Qvantum autẽ & qvousqve fieri poſſit illa accom-
modatio,relinqvitur prudẽtiæ miſſionarii,ſæpius cadentis in fove-
am cum eo,cui ſe accommodat,qvàm ut liberet eum,fatente *Maria-
na lib.2.C.8. de morbis ſocietatis.*

50 Hoc periculi ſubeunt,qvi amicos & fratres ſuos ſeqvuntur in
monaſteria Papalia,in territoria heterodoxorum, vel ad cœnobia
cum heterodoxis,ad mercimonia,&c. & vitæ ſtatum,qvem ægrè &
non ſine magnis impedimentis poſteà mutare aut transferre alior-
ſum poſſunt. In hos omnes qvadrat ſententia Eccleſiaſtici: *Qvi
amat periculum,peribit in eo,Sir.III,27.Qvi alienas ſepes invadit,ferietur
à ſerpente* Eccl.X,8. Et talis audaculus *non meretur compaſſionem, Sir.
XII,13.* Certè,*exponere ſe periculo mortaliter peccandi,& ipſum mortale
eſt:* Ac,ſi qvis periculum animæ tanti æſtimat, qvanti æſtimat pe-
riculum corporis aut fortunarum: profecto,uti domum peſte aut
lue

lue venerea infectam non ingreditur,ita ſocietatem flagitioſorum hominum devitabit.

§ VII.

De Subjecto corripiente.

Circa diviſionem correptionis dictum eſt,ſortiri eam diverſa nomina etiam in ſubjectis & perſonis,qvæ corrigunt: ut alia dicatur *judicialis*,alia *paſtoralis*,alia *paterna*,alia *Magiſterialis*, alia *Magiſtralis*,alia deniqve *fraterna* correptio: illi ad corrigendi officium obligantur,nôn ſolùm ex lege charitatis,ſed etiam ex lege juſticiæ, ad qvam exercendam in ſuos,ſpecialiter vocati ſunt: neqve porrigũtur hæc officia qvatenꝰ ab obligatione ex juſticia dependẽt,ultra ſubditos aut domeſticos: Hæc autem fraterna correptio debetur ex ſolâ lege charitatis,ſub fine & intentione emendandi fratrem, & promovendi animæ ejus ſalutem. Charitatis enim fraternæ exhibitio debetur jure naturæ,à qvo nec ſexus,nec ſtatus, nec ætas exempta eſt,modo habilis ſit ad præſtandum illud officium. 51

Unde ſeqvitur: Neqve peccatorem,& reum ejusdem criminis,liberari ab officio & onere corrigendi fratrem eidem vitio obnoxium. Reatus enim peccati & transgreſſio cujuscunqve legis, non abſolvunt transgreſſorem à debito parendi de cætero aut ulli debito legis naturæ; Qvin multò magis eum monent,ut implendo hanc officii partem,& ſe & correum ſive ſocium criminis emendet. Eſtqve hoc debitum corrigendi fratrem,corrigenti,ſed iisdem peccatis obnoxio, ſtimulus qvaſi & incentivum,ut prius in ſeipſo hoc emendet, ad qvod emendandum tenetur fratrem exhortari. 52

Cùm enim lumen naturale oſtendat, plærumqve infructuoſam eſſe correptionem, ſi corripiendus præſertim ſciat, corripientem in eodem luto hærere, adeoqve corripiens exeqvendo officium legis naturæ in ſocium, ſeipſum tantò magis reum conſtituat,duplici nomine,primò qvidem, qvod in ſeipſo 53

Digitized by Google

non emendat vitium cognitum, ad qvod in ſeipſo corrigendum præ cipuè ſe teneri ſenſit; Deinde, qvod ſocio plærumqve majori eſt ſcandalo, & imitationi ad pergendum ac perſeverandum in delicto, cui novit obnoxium, neqve ab eo purgatum eſſe corripientem; iccirco debitum incumbens etiam peccatori, ad corripiendum in ſociis illud ipſum peccatum, cujus ſe reum ſentit, tantò magis exſtimulat & exſtimulare debet ac poteſt corripientem, *ut prius ſit accuſator ſuiipſius*, qvomodo Vulgatus habet Prov. XVIII, 17. *poſtea curet feſtucam tollere ex oculo fratris, Matth. VII, 4.5. &c.*

54 Non obſtat: qvod tales voce divina condemnantur tanqvam αὐτοκατάκριτοι, *qvi alium judicant in eo, cujus ipſi rei ſunt*, dicto l. *Matt. VII. & Rom. II, 1. ſeqqq.* Neqve enim hoc ipſo remittitur ipſis aut interdicitur officium corrigendi fratrem in hoc caſu correatûs: ſed taxatur modus executionis. Qvemadmodum taxatur modus dandi eleemoſynam torvo vultu, animo invito, aut cum improperio mendicantis, neqve tamen liberatur iſte torvus à debito dandi eleemoſynam. *Sir. XIV, 10.11.16. II. Cor. IX, 7. &c.*

55 Dixi: Neqve diverſitatem ſtatus & vocationis in Rep. liberare inæqvales ab officio correptionis: Ac proinde teneri etiam inferiores ad corrigendos ſuperiores in caſu neceſſitatis. Qvod omninò ita habet: Imò inferior tantò magis tenetur ad corripiendum ſuperiorem, qvanto propior nexus & ſubordinatio eſt inferioris, ad cavendũ ſuperioris damnum, præ damno æqvalis & proximi; qvantò magis tenetur ad liberandam animam patris, qvàm ſervi, ſi neceſſitates horum concurrant. Namqve hic ordo præſtandi pietatis, & beneficiorum ſpiritualium debita, in ſacris literis ſancitus eſt, ut *in concurſu fratris ſpiritualis, cum fratre communis naturæ*, ille præferendus ſit in ordine conferendi beneficii: In concurſu cujusdam domeſtici fidei, cum qvovis alio terræ filio, ille ſit præferendus *ex II Pet. I, 7. ubi fraterna dilectio & communis dilectio* diſtingvuntur, ſed utriusq; tamen fundamentum ponitur εὐσέβεια: *pietas.* Et Gal. VI, 10: *Qvandocunq;, qvandiucunq;, Qvotiescunq; oportunum eſt.* (Sic enim Chryſoſtomus & Theophylactus exponunt illud, ὡς καιρὸν ἔχομεν) ope-

operemur bonum erga omnes,μάλιςα δε,potiſſimùm verò erga domeſticos & conſortes fidei.

Parilis ordo propinqvioris & remotioris obligationis qvoad exercitium pietatis erga alios, conſtituitur inter domeſticos ejusdem familiæ,& Extraneos I. Tim.V,8 : *Si qvis ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet,infideli deterior eſt.* Ubi qvalitas ſubjecti,de qvo cœperat agere Apoſtolus, nempe *Filios aut nepotes habere*,verſic.4. oſtendit: per SUOS intelligi *conſangvineos & affines*,extra domum & familiam noſtram conſtitutos. Per *Domeſticos* autem, liberos,parentes,fratres, qvi intra unam domum vivunt. Chryſoſt. τὲς γένει προσήκοντας καὶ ἡνωμένες, i. e. *Sangvine vel affinitate nos attinentes & nobis Unitos*, interpretatur. Syrus autem qvi *de fidei domeſticis* expoſuit,ut ſæpè,à ſcopo hîc aberravit. 56

Obligatur autem à fortiori ſubditus curam gerere pro cavendo *damno ſpirituali* ſuperioris,qvantò pluris Eccleſiæ & Reip. intereſt,Rempublicam ſalvam eſſe,qvam particulares familias, qvarum felicitas ut plurimùm dependet à moribus Regentum. 57

Eſt tamen circa Perſonâ corripientis conſiderandum,qvod aliqvando,etſi jurisdictione ordinariâ ſuperior non ſit, obligetur tamen non ſolùm ex charitate,ſed etiam ex juſticia ad corrigendum æqvalem ſuum,ſi videlicet exempla vitiorum, doctrinæ aut morum proximi,promanent in ſubditos vel oves ſpirituales vicini. Qvemadmodum enim Magiſtratus ſecularis alium Magiſtratum, in qvem nullam habet jurisdictionem,corripere poteſt in eo caſu,qvo vicini ſubditi contagio inficiunt ſive paſcua,ſive urbes & pagos illius,vel qvando ſocietate furti,magiæ,ſcortationis,helluationis eos ſeducunt,ſicut Moabitæ ſeducebant Iſraelitas *Numer.XXV,1.2.ſeqq.* Isqve actus correptionis procedit non ſolum ex charitate erga ſubditos proprios,ne inficiantur, neqve ſolùm ex charitate erga vicinum & vicinos,ne reatu ſcandali dati ſe obſtringant; ſed etiam ex obligatione juſticiæ: per qvam Magiſtratus & Paſtor tenentur avertere & declinare damnum imminens fidei ſuæ commiſſis: 58 *Facultas corripiendi extraneos.*

 Ita

Ita multò magis in periculo contagionis ſpiritualis, qvando è vicinia, vel undecunqve contagium manare ad noſtros poteſt, qvando heterodoxa dogmata ſpargũtur, ſuffragia & per artes contrahũtur, tenentur Doctores publici & Paſtores Eccleſiarum, non ſolùm præſervare fidei ſuæ commiſſos, ſed etiam monere heterodoxos & eorum Magiſtratus, ut abſtineant à diſſeminatione contagii, & competit illis *actio tàm damni qvàm injuriæ, ex l. Aqviliâ*, æqvè, ac ſi qvis aggerem perfodiat, aut perfodere ſatagat, unde vicinis provinciis & agris damnum immineat.

59 De qva facultate corripiendi extraneos heterodoxos, jurisdictioni noſtræ ordinariæ, ſive Eccleſiaſticæ, ſive ſeculari, non ſubjectos, nullum unqvam in Eccleſia dubium fuit. *Arguendi & detegendi ſunt* qvicunqve Pſeudo-Prophetæ; arguendi ἀποτόμως *ad Tit. I, 9. 10. Attendendum & providendũ eſt gregi, ne undecunq; lupi rapaces involent*, ſive ex nobisipſis exiſtant, ſive de alienis latibulis prorumpant, Act. XX, 28. Et plena eſt hiſtoria ſacra *Epiſtolarum Synodicarum, Epiſcopalium & Encyclicarum*, ad eos & de iis, qvi novationibus ſuis doctrinam orthodoxam corrumpebant aut corrupturi videbantur, ſcriptarum ab aliis Epiſcopis, Presbyteris, Monachis, qvorum jurisdictioni Novãtes ſubjecti non erant, ut: ad *Paulum Samoſatenum, ad Neſtorium, ad Dioſcorum, ad Eutychem*, ad infinitos alios. Promam pauca qvædam exempla priſcæ Eccleſiæ & Doctorum, qvi Epiſcopos & Dd. alienæ diœceſeos per literas monuerunt & corripuerunt, tàm de doctrinæ, tàm de morum vitiis.

60 De *Clementis Romani* Epiſtolâ ad Corinthios ſcriptâ; commemorant *Irenæus l. III. cap. 3.* Et ex eo *Euſebius lib. V. & VI* his verbis: *Sub hoc igitur Clemente diſſenſione non modica inter eos, qvi Corinthi erant, fratres, factâ, ſcripſit qvæ eſt Romæ Eccleſia potentiſſimas literas Corinthiis*, (ſic lib. IV. cap: ult. Bardeſanis hæretici Dialogus de fato, appellatur potentisſimus) *ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum, & annuncians, qvam in recenti ab Apoſtolis receperant traditionem*, &c. Si ea, qvam anno M DC XXXIII. *Patricius Junius* edidit, Clementis Epiſtola eſt, qvam Irenæus l. d. ſub Epiſcopatu & regimine Clementis, non ante Epiſcopatum ejus: *Patricius* autem paulò ante obi-

obitum, in exilio, poſt dejectionem è ſede ſuâ ſcriptam eſſe ait: Romana Eccleſia commonefacit Corinthiacam, jurisdictioni ſuæ non ſubjectam, non ſolùm de faciendis ſed etiam de fugiendis. *Veremur*, ajunt mox init. Epiſtolę, *nos tardius animum adjeciſſe ſeditioni impiæ & deteſtandæ inter vos ortæ, à Dei electis peregrinæ & alienæ, qvæ paucorum hominum inſolentia & audacia in tantam veſaniam exarſit, ut honorificum & illuſtre nomen Divinum vehementer blaſphemetur*, &c. Et poſt commendatam priſtinam fidem & pietatem Corinthiorum, mox ex adverſo præſentem impietatem caſtigant: *Nunc verò omnis iſte honor periit* (Junius fatetur, eſſe hîc qvædam ἐῤῥιμμένα, καὶ ἀσυνεχῆ) *& ſcriptum illud impletum eſt: Edit, bibit, dilatatus, incraſſatus eſt, & recalcitravit dilectus meus. Ab hoc facto æmulatio, invidia, contentio, ſeditio, perſecutio, commotio, bellum & captivitas manarunt. Hinc eſt, qvod juſtitiâ procul exulante & pace, unusqvisq; timorem Dei deſerat, & in fide ejus cæcutiat: neq; in inſtitutis præceptorum ejus ambulet, aut vitam Chriſto dignam degat, ſed ſecundùm pravas ſuas concupiſcentias incedat*, &c. Qvis Romanenſi Eccleſiæ hanc poteſtatem dederat, Corinthiacæ mores tàm acerbè perſtringere? qvod Peluſium hodie ferro flammisqve, aut diro ſaltem carmine vindicaret, ſi à Corinthiis pari modo perſtringeretur. 61

Plura ejus commatis leguntur in iſta Epiſtolâ: *Hæc*, ajunt pag. 9. *non tantum, ut vos officii veſtri admoneamus, ſcribimus*: ὑμᾶς νουθετοῦντες ἐπιστέλλομεν νουθετεῖν. Germani dicunt: **Den Kopff zu recht ſetzen.** pag. 17: *Humiles ergo mente ſimus, fratres, faſtum omnē, ſuperbiam, amentiam & iras deponentes, & qvod ſcriptum eſt, faciamus. Dicit enim Spiritus S. Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, &c.* Pag. 18: *Juſtùm igitur & pium eſt, Viri fratres, Vos Deo potius obedientes, qvàm in ſuperbia & turbulentia, deteſtandæ æmulationis duces ſeqvi, &c.* Pag. 19: *Jungamur amoris glutine eis, qvi cum pietate tranqvillè vivunt, non autem eis, qvi fictâ ſimulatione pacem colunt.* Pag. 30: *Videte dilecti, ne benefacta ejus, qvæ numero ſunt multa, nobis in condemnationem cedant, &c.* Pag. 33: *O fatui, comparate vos arbori, ſumite vitem in exemplum, qvæ primum deſrõdeſcit, &c.* Pag. 37: *Cùm omnia igitur oculis & auribus ejus pateant, metuamus eum, & impuras concupiſcentias pravorum ope-*

operum deſeramus. Pag.39: *Qvum ſancta portio ſimus, demus operam ſanctitati, devitantes obtrectationes, ſceleſtos & inceſtos complexus, ebrietates & inſolentias, concupiſcentias abominandas, adulterium impurum, ac deteſtabilem ſuperbiam, &c.* Ne qvid nimis Romanenſes! Peluſiotæ ajunt, injuriam eſſe talia ſcribere: ſcelus hominis, Nebulones eſſe, qvi vicinos de talibus monent. Lege tamen pergentes Romanos, pag.50.51.53.54.57.58: *Φιλόνεικοι eſtis fratres; inſpicite ſcripturas,*
62 *diſcite, &c.* Iterum cap. 59.60.61: *Schiſma Veſtrum multos pervertit: multos animum deſpondere, multos dubitare fecit: nos omnes mœrore affecit, & ſeditio veſtra durat, nec adhuc ceſſat. Epiſtolam Pauli Apoſtoli in manus ſumite, & qvid ille vobis ſcripſerit, perpendite, &c.* Pag. 62: *Turpia fratres, Turpia valde & Chriſtiana converſatione indigna famâ percrebreſcunt: Antiqvam ſcil. & in fide firmiſſimam Corinthiorum Eccleſiã, unius aut duorum cauſa, contra Presbyteros ſeditionem movere: Et hic qvidem rumor non tantum ad nos, ſed ad eos etiam, qvi à nobis & à fide animo ſunt alieno, manavit, ita, ut propter veſtram AMENTIAM nomẽ Domini blaſphemetur, & vobis ipſis periculum creetur.* Pergunt Paræneſin p.63.64. ſeqq. Et cumprimis pag. 70,71. oſtendunt: *ob tranqvillitatem in Eccleſia ſervandam, nonnunqvam injurias devorandas eſſe.*

63 Juſtini Martyris Epiſtolæ ad Zenam, Serenum, &Diognetum totæ ſunt epanorthoticæ, &prior qvidem acerbior, qvæ nullum prope vitium non perſtringit, in vitâ communi obvium.

64 Libri Tres Theophili, Sexti in ordine Antiocheni Epiſcopi ad Avtolycum, nec Chriſtianum planè nec gentilem, toti in elencho ſunt, & non ſolùm errores, ſed etiam morum vitia inAvtolyco ſatis acerbè perſtringunt.

65 Euſebius IV. hiſtor. C.23: multas epiſtolas recenſet *Dionyſii, Corinthiorum* Epiſcopi, (qvi Soteris Romani coætaneus fuit) ad alios extra diœceſin, de fidei & morũ pietate obſervanda miſſas. *Dionyſius,* inqvit, *cùm in parœcia Corinthiorum Epiſcopalem ſedem teneret, divinã ſuam induſtriam non modo ſuis ſubditis, ſed etiam Exteris abunde communicavit, ſeq; univerſis utiliſſimum per Epiſtolas eas præſtitit, qvas Catholicas Eccleſiis exaravit.* E qvibus eſt ea, qvæ ad Lacedemonios ſcripta, *Orthodoxiæ inſtitutionem, paciſq; & unitatis admonitionem habet: Qvæ*

verò

verò ad Athenienſes ſcripta eſt, animos fidelium ad fidem & Evangelicam vitæ converſationem excitat: qva contemptores illius ac negligentes REDARGUIT, qvod parum abſit, QVIN à DOCTRINA FIDEI DEFICIANT, &c. Fertur & alia illius Epiſtola ad Nicomedienſes ſcripta, in qvâ Marcionis hæreſin impugnans, cum veritatis canone confert. Et Gortynenſi Eccleſiæ unà cum reliqvis per Cretam parœciis ſcribens, Philippum Epiſcopum eorum laudat, & ſimul ADMONET, ut hæreticorum perverſitatem caveant. Et Eccleſiæ Amaſtrim incolenti unà cum reliqvis per Pontum ſcribens, & divinarum ſcripturarum Expoſitiones adjecit, & Epiſcopi eorum, nomine Galinæ, meminit. Multis autem eos admonet de Nuptiis, & de Caſtitate: Et eos qvi qvalicunq; ratione, ſive per delictum, ſive hæreticâ ſeductione lapſi ſunt, ſi convertantur, recipi MANDAT. Iſtis & alia accenſetur Epiſtola ad Gnoſios ſcripta, in qvâ Pinytum, parœciæ illius Epiſcopum hortatur, ne grave ſervandæ caſtitatis onus neceſſariò fratribus imponat, ſed multorum ſeſe imbecillitati attemperet. Ad qvam Epiſtolam Pinytus reſpondens, ſuſcipit qvidem ac laudat Dionyſium, verùm viciſſim hortatur, ut jam ſolidiore cibo tradito, populum ſibi concreditum perfectioribus literis paſcat, ne perpetuò lacteis ſermonibus immorantes, in puerili inſtitutione negligentes conſeneſcant. Adhæc alia Dioniſii Epiſtola ad Romanos ſcripta, ac Soteri tunc Romano Epiſcopo nuncupata circumfertur, &c. Præter has & alia Dionyſii Epiſtola Chryſophoræ fideliſſimæ ſorori ſcripta circumfertur, in qvâ illi competentem ſpiritualem alimoniam impertit. Hæc de Epiſtolis Dionyſii Corinthii Euſebius.

66 Qvid juris *Polycarpo Smyrnenſi* Epiſcopo in Eccleſiam Philippenſem fuit, ut hanc argueret officii in Oneſimum Epheſinum Epiſcopum minus alacriter impenſi?

67 Qvid juris *Ignatio*, Tertio Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopo fuit *in Trallianos*, Polybio Epiſcopo potientes, ut eos *moneret obedire Epiſcopo & Presbyteris ſuis, juberet fugere Simonem, Menandrum, Baſilidem, Ebionitas, Nicolaitas, Cleobulum & Theodorum, Nicolai nepotes?* objurgaret eos *ob odia & æmulationes mutuas? Opto*, inqvit, *ut in charitate me audiatis, ne hæc ſcriptio aliqvando ſit teſtimonium contra Vos!* Qvid juris illi in *Magneſianos*, ut carperet eos, *qvod juniori Epiſcopo ſuo, Damæ, juſtam detrectarent obedientiam? Vos decet*, inqvit, *non contemnere*

ata-

ætatem Epiſcopi,ſed juxta Dei voluntatem omnem reverentiam ei impertire,non reſpicientes eam; quæ videtur adoleſcentiam, &c. Decet nos obedire Epiſcopo,& in nullo ei refragari: terribile enim eſt,tali cõtraditere. Et poſt adducta ſupplicia refragantium, Core, Dathan,Abironis, Abſolonis,Oziæ,& cujusdam Abeddadam,(ex *Conſtit. Clementis l.2. c.27.*) applicat hoc: *Oportet itaq; vos revereri Præpoſitos, decetq; non modo vocari Chriſtianos,ſed eſſe.* Paulò poſt pag.56. ex edit. Vedelii: *Ne patiamini Vos ſeduci heterodoxiis,nec fabulis attendite, neq; interminis genealogiis,neq; indecoris faſtibus.* Pag.57: *Unusqvisq; noſtrum Sabbatum ſanctificet,meditatione legis,non corporis refocillatione & remisſione,non pridiana comedens,non tepida bibens, nõ ad præſcripta ſpacia obambulans,non ſaltationibus plauſibusq; inſanis gaudens, &c.*

68 Qvis Ignatio poteſtatem dedit,talia Magneſianis præſcribendi? Qvis objurgandi eos de ejusmodi flagitiis,qvorum non erant convicti: *Abjicite igitur illud vetus,malum & putridum fermentum,& transmutemini in novum fermentum gratiæ: Sunt,qvi ſub Chriſti nomine & prætextu mercatum exercent,verbum Dei adulterant, Jeſum vendunt,mulieres corrumpunt,aliena appetunt, & pecuniarum violentisſimi raptores: A qvibus Dei miſericordia vos liberet,per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum,* ὧν ῥυσθεῖητε ἐλέει θεοῦ, *&c. Scio,qvod rubore ſuffundamini,ſicut ſcriptum eſt; juſtus accuſator ſuiipſius, &c.*

69 Qvis eidem Ignatio poteſtatem dedit Tharſenſibus in Cilicia Qvinqve capitales errores,ut: (1) *Chriſtum* δοκήσει *eſſe natum & pasſum.* (2) *Chriſtum non eſſe Deum ſuper omnia*, (3) *eſſe* ψιλὸν ἄνθρωπον. (4) *Carnem non reſurgere,& deniq; Epicureiſmum: Voluptuariam vitam eſſe ſectandam;* exprobrare? *Qvod oporteat* (inqvit) *pudicè & juſtè vivere,cõſtat ex iis,qvæ Paulus dicit: Ne erretis,neq; Adulteri,neq; molles,&c. His enim ſi ſuccubuerimꝰ,qvid diſcriminis erit inter nos & canes,& aſinos, qvi futurorum nullam rationem habentes,ſolùm edendi & luxuriæ appetitum habent? Sobrii igitur eſtote. Abjicite unusqvisq; omnem malitiam,& ferinam excandeſcentiam,detractionem, calumniam, ſycophantiam,turpiloqvium,ſcurilitatem,ſuſurros,faſtum,ebrietatem, libidinem, avaritiam,&c.*

70 Qvis eidem Ignatio conceſſit facultatem corripiendi *Philip-*

tiam

penſes, qvod Dies & Feſta Dominica dehoneſtarent, ἀτιμάζουσι, qvum Epiſcopum ſuum haberent *Vitalium*, qvem ſalutari jubet, ead. Epiſt? Qvis eum juſſit legem præſcribere *Epheſiis*, & obſervantiam Jejunii Qvadrageſimalis? *Poſt Paſſionis Dominicæ hebdomadam jejunate feriis ſextis & qvartis* &c: Qvis Ignatio facultatem decidendi conceſſit; qvod: *ſi qvis Dominicâ die, aut Sabbatho* (*uno excepto*, ſcil. ſabbatho ſancto) *jejunarit, eū eſſe Chriſti interfectorem?* Qvis monendi *Smyrnenſes*, qvibus S. Polycarpus tunc præerat, ne Chriſtum δοκήσει natum, paſſum &c. putent?

Qvis objurgandi *Epheſios, qvod Epiſcopo ſuo Oneſimo non obtemperent, diſciplinam Eccleſiaſticam non exerceant excommunicando impios, Eucharistiâ infreqventius* nec *tam juſtâ devotione utantur, charitatem fidei non adjungant, deniq; dogmata minus rectè dijudicent?* 71 Qvis ei facultatem dedit caſtigandi *Philadelphienſes, qvod ab hæreticorum conſortio ſe non ſepararent, qvod in Authentica exemplaria Epiſtolarum Apoſtolicarum, & Qvatuor Evangeliorum inqvirerent. Audio qvosdam dicentes* (inqvit) *Niſi Evangelium invenero in Archivis, non credam: Talibus ego dico, qvod JEſus mihi pro Archivis eſt. Credo gratiæ JEſu Chriſti; qvod ſolvet auferetq; à vobis omne vinculum iniqvitatis?* 72

Unde accepit poteſtatem Ignatius jubendi *Philadelphenſes*, ut Antiochiam Legatos mittant? *Audio pacem habere Eccleſiam Antiochenam qvæ in Syria eſt: Decet itaq; vos, tanqvam Dei Eccleſiam, ut eligatis Epiſcopum, qvi obeat legationem, ut concedatur illis nobiscum in unum locum congregatis glorificare nomen Dei.* 73

Qvis deniqve poteſtatem fecit Ignatio monere *Polycarpum* Johannis Evangeliſtæ diſcipulum, velut Tyronem etiam de minutis, de *honeſtâ tuitione loci ſui?* qvod bis in eadem Epiſtola repetitur: de *petendâ majore ſapientiâ, qvàm nunc habeat*, αἴτου σύνεσιν πλείονα ἧς ἔχεις. *Qvæ intelligis corrigas, qvæ non intelligis, ora ut tibi manifeſtentur. Tempus flagitat ut ores: Heterodoxi, etiamſi ἀξιόπιστοι videantur, ne te perterreant; ſta velut incus qvæ verberatur: Plus adjice huic ſtudio qvod in Te eſt; ardentius curre, temporis occaſiones diſce, &c. Viduæ non negligantur: Freqventiores celebrentur Synodi: Malas artes fuge, imò ne verbum de iis facito. Qvum Antiochena Eccleſia in Syria pacem ſit na-* 74

cta, decet TE, Polycarpe, ſanctum Concilium cogere, & eligere aliqvem qvi in Syriam proficiſcatur, & impigram charitatem veſtram illic celebret. Qvoniam verò omnibus Eccleſiis ſcribere neqvivi, qvod repente juſſus ſim à Troade navigare Neapolim, ſcribas reliqvis Eccleſiis, &c. Si qvis de hisce Diaconum Peluſinum hodie commonefaceret, naſum criſpaturus erat, opinor.

De his a. *Polycarpi & Ignatii* Epiſtolis legendus eſt *Euſebius lib. III.*
75 *hiſtor. 35. ſeqq.* Ubi de Ignatio ait, *qvod ſingulas Aſiæ parœcias prædicando obiverit* (qvæ ſuos tamẽ Epiſcopos habebãt) *easq; exhortatus fuerit, ut hæreſes recens exortas ſtudioſè caverent, idq; cautionis gratiâ ſcripto hoc teſtatus fuerit.*

76 *Apollinarius Hierapolitanus Ep.* voce & ſcripto Eccleſiam Ancyranam in Galatia & Eccleſias Ponticas monuit, *ut caverent ſibi à novâ Prophetiâ Montani & Maximillæ, præſente Zottico Vici comani, & Juliano Apamiæ Episcopis*, in qvorum diœceſibus Apollinarius docebat & diſputabat: *ap. Euſebium lib. V. c. 16. & 17.*

Qvod & *Irenæus* Romæ fecit, Eleuthero loci Epiſcopo præſen-
77 te, *& varias Epiſtolas contra eos ſcripſit, qvi Romæ ſincerum Eccleſiæ ritum corrumpebant*, ap. eundem *cap. 19.*

78 Qvod & *Polycarpus Smyrnenſis* Epiſc. Romæ *ſub Aniceto* præſtitiſſe dicitur, *docendo, ſcribendo, confutando hæreticos, ore & calamo*, in ipſa urbe Româ, *Euſebio lib. IV. c. 14. & Irenæo l. III. c. 3.* atteſtantibus. *Cùm Romæ ap. Anicetum ageret* (ſunt illorum verba) *multos dictorum hæreticorum* (Valentinianorum & Marcionitarum) *ad Eccleſiam Dei convertit, &c.* Sed Aniceto conſentiente & approbante. Et in recenſione hujus qvidem ſubſidiarii auxilii mutuo ab Episcopis præſtiti, *Euſebius Cæſarienſis* cæteros ſuæ ætatis hiſtoricos præcellit.

Singulis enim libris recenſet nomina non ſolùm Epiſcoporũ
79 qvi illâ ætate floruerunt, ſed etiam librorum & ſcriptorum qvæ reliqverunt, itinerum, circuituum, legationum, qvas obiverunt, tùm in Eccleſiis plantandis, tùm in confirmandis, tùm emendandis ſi corruptelæ irrepſiſſent, tùm deniq; commonefaciendis & corrigendis CoEpiſcopis ſuis, voce & ſcripto. Qvalia eẽxpla cumprimis *libb. IV. V. VI. & VII.* qvàm plurima exſtant, qvæ pariter oſtendunt; pleraqve

Digitized by Google

q; polemica ſcripta cũ heterodoxis commutata in forma epiſtolari ſcripta, adeoq; Epiſtolas fuiſſe, vide d.l. VII. Euſebii c.26. 27. 28. 29. 30. de Epiſtolis ad & contra *Sabellium & Paulum Samoſatenum* ſcriptis, anteqvam Conciliari ſententiâ hæretici declararentur.

Exſtant inter Epiſtolas Cypriani qvàm plurimæ elencticæ & epanorthoticæ ad Epiſcopos extraneos ſcriptæ, & plæræqve omnes vitia doctrinæ perſtringentes, aut vitia prudentiæ Eccleſiaſticæ in admittendis hæreticis & indignis ad communionem: qvarum aliqvæ etiã Romanos Epiſcopos, *Cornelium & Stephanum* in ordinem redigunt ob ſusceptionem eorum, qvi alibi peccaverant in doctrinam Chriſtianam, neqve cum Eccleſiis, qvas offenderant, reconciliati erant, ut apparet ex *Epiſt. 3. libri I.* ad Cornelium, apud *Pamelium LV.* qvem timiditatis & impatientiæ, partim etiam arrogantiæ arguit, qvod Circumcurſores Africanos, ut vocat, non illico ad ſua fora remiſerit, & cauſam ad ſe non pertinentem cognoſcendam ſumpſerit. *Nam cùm ſtatutum ſit omnibus nobis*, inqvit, *& æqvum ſit pariter ac juſtum, ut uniuscujusq; cauſa illic audiatur ubi eſt crimen admiſſum, & ſingulis Paſtoribus portio gregis ſit adſcripta, qvam regat unusqvisq; ac gubernet, rationem actus ſui Domino redditurus; Oportet utiq; eos qvibus præſumus, non circumcurſare, nec Epiſcoporum concordiam cohærentem ſuâ ſubdolâ & fallaci temeritate collidere, ſed agere illic cauſam ſuã, ubi & accuſatores habere & teſtes ſui criminis poſſunt: Niſi paucis deſperatis & perditis minor videtur eſſe autoritas Epiſcoporum in Africâ conſtitutorum, &c.* qvàm videlicet Romani, ad qvem confugiunt. Paulò poſt ait: ſe & Collegas ſuos in Aphricâ, à qvibus ratio Domino reddenda eſt, *anxiè ponderaſſe & ſollicitè examinaſſe, qvi recipi & admitti ad Eccleſiam debeant. Neq; enim ſic putamina qvædam colligenda eſſe, ut qvæ integra & ſana ſunt, vulnerentur: nec utilem aut conſultum eſſe Paſtorem, qvi ita morbidas & contactas oves gregi admiſcet, ut gregem totum mali cohærentis afflictatione contaminet. O ſi poſſes frater chariſſime iſtic intereſſe nobiscum, videres qvis mihi labor ſit, &c.* Ad hæc verba rectè notavit Pamelius: *Cyprianum cum aliis ſeverioribus fratribus, qvi de re totâ præſentes MULTO RECTIUS qvàm Cornelius & alii abſentes judicare qvibant, conſenſum coluiſſe, in non admittendo Feli-*

 ciſſ-

cisſimo, aliisq; Qvinq; Curſoribus à Fortunatiano Pſeudo-Epiſcopo Romæ ad Cornelium miſſis. Et hujus commatis Elencticæ ad Cornelium & Stephanum ſunt plures ejusdem Cypriani; inferius, ubi de *exceſſibus Clavis ligantis* agendum erit, allegandæ, qvomodo *Cyprianus, Firmilianus* Cæſareæ Cappadociæ, & *Pompejus* Sabratenſis Epiſcopi, horum flaminum arrogantiam caſtigaverint & repreſſerint. Epiſtolæ hæ ſunt apud Pamelium LXXII, LXXIII, LXXIV, LXXV. lixivio tàm acri diluentes Romanam proterviam in excludendis à communione qvibusvis diſſentientibus, & admittendis ad communionem iis, qvi poſt legitimam cognitionem alibi excluſi fuerant, ut melius habituræ eſſent res Romanæ, ſi poſteriora ſecula æqvè fidos monitores, & majore numero ac Zelo inſolenti Romæ dediſſent, aut potius, qvia Teſtes veritati nullo ſeculo defuerunt, Romana arrogantia æqvius de ſe ſentire voluiſſet.

82 Ejusdem *Cypriani* & vicinorum Epiſcoporum, *Liberalis, Caldonii, Nicomedis & Cæcilii*, aliorumqve numero XLII. Epiſtola Commonitoria, *de ſervando decreto Synodi Africanæ in recipiendis lapſis*, extat mox lib.I. ep.2. ap. Pamel. epiſt. LIV. Et cùm Cornelius ægrè ferret, Epiſtolam de Polycarpo Hadrumetino Epiſcopo, non ſibi ſed Clero Romano inſcriptam eſſe, corrigit illum *Cyprianus l.IV. Ep. 8.* Pamelio XLV. & oſtendit, *hoc deſtinatâ opera factum eſſe, ut Clero Romano conſtaret: qvia Cornelii* ordinatio controverti cæperat à Novatiano Antipapa Romano, qvi itidem ordinatus erat Rom. Epiſcopus, Hos XLII. Epiſcopos approbare Cornelii non Novatiani ordinationem.

83 Extat ejusdem Cypriani Epiſtola ad Stephanum, ut *Martianum Arelatenſem ad Novatiani ſectam delapſum, per Epiſcopos Galliæ excludi communione cohortetur,* qvemadmodum Africani Novatianum excluſerant. *l.III. ep.13. Pamelio LXVII.* in qvâ & cauſæ allegantur, ob qvas Epiſcopus poſſit alterius diœceſeos curam gerere, per admonitiones, exhortationes, correptiones fraternas, informationes, &c. *Iccircò enim frater chariſſime, copioſum corpus eſt ſacerdotium, concordiæ mutuæ glutinô atq; unitatis vinculo copulatum, ut, ſi qvis ex Collegio hæreſin facere, & gregem Chriſti lacerare & vaſtare tentaverit, ſubveniant cæ-*

Obligatio corripiendi vicinos heterodoxos.

teri,& qvaſi Paſtores utiles & miſericordes,oves Dominicas in gregem colligant. Qvid enim? ſi in mari portus aliqvis munitionibus ſuis ruptis infeſtus,periculoſus eſſe navibus cœperit ; nonne Navigantes ad alios proximos portus naves ſuas dirigunt,ubi ſit tutus & ſalutaris introitus & ſtatio ſecura? Aut,ſi in via ſtabulum aliqvod obſideri & teneri à latronibus cœperit,ut qvisqvis ingreſſus fuerit , inſidiantium illic infeſtatione capiatur? Nonne commeantes,hâc opinione compertâ,ſtabula alia in itinere appetunt tutiora,ubi ſint fida hoſpitia,& receptacula commeantibus tuta? Qvod nunc eſſe apud nos debet,frater chariſſime,ut fratres noſtros , qvi vitatis Martiani ſcopulis,petunt Eccleſiæ portus ſalutares,ſuſcipiamus,&c. Nam etſi Paſtores multi ſumus, Unum tamen gregem paſcimus,& oves univerſas,qvas Chriſtus ſangvine ſuo & paſſione qvæſivit,colligere & fovere debemus,&c. Servandus eſt enim Anteceſſorum noſtrorum , beatorum Martyrum,Cornelii & Lucii honor glorioſus,qvorum memoriam cum nos honeſtamus,multò magis Tu frater chariſſime,honorificare & ſervare gravitate & autoritate tua debes,qvi Vicarius & ſucceſſor eorum factus es. Significa planè nobis,qvis in locum Martiani Arelati fuerit ſubſtitutus , ut ſciamus,ad qvem fratres noſtros dirigere,& cui ſcribere debeamus.

In Epiſtola LXVIII juxta Pamelium, al.IV lib.I. ad *Clerum & plebes in Hiſpaniâ conſiſtentes,in Aſturica & Legionis regnis*, obſervandum 84
cumprimis eſt,qvæſtionem eſſe de removendis ab officio *Baſilide & Martiali* Epiſcopis,qvi *libellis Idololatriæ ſe commaculaverant* , ut mox in limine Epiſtolæ dicitur. Deinde,qvod Epiſcopi Africani definiāt in cauſa Epiſcoporum Hiſpanorum,*contra ſententiam Stephani Romani*. Qvum enim plebs in Baſilidis locum ordinaſſet Sabinum , & Baſilides Romam confugiſſet;docent hi Epiſcopi,Stephani Romani ſententiam de reſtitutione Baſilidis attendendam non eſſe , multisq; probant,competere plebi jure divino,ut Orthodoxos Epiſcopos eligant,& Heterodoxos ejiciant. *Propter qvod* (inqviunt) *plebs obſeqvens divinis præceptis* (qvæ allegaverant ex Hoſ. IX. Num. XVI. ſeparamini à tabernaculis iſtorum hominum, &c.) *& Deum metuens,à peccatore Præpoſito SEPARARE SE DEBET, nec ſe ad Sacrilegi ſacerdotis ſacrificia miſcere : Qvando ipſa maximè habeat poteſtatem vel eligendi dignos ſacerdotes, vel indignos recuſandi.*

Qvod

Qvod & ipſam videmus de divinâ autoritate deſcendere,ut ſacerdos plebe præſente,ſub omnium oculis deligatur,& dignus atq; idoneus publico judicio ac teſtimonio comprobetur. Sicut in Numeris Dominus præcepit, &c. Coram omni Synagoga jubet Deus conſtitui ſacerdotem: id eſt, inſtruit & oſtendit, Ordinationes Sacerdotales non niſi ſub populi aſſiſtentiæ conſcientia fieri oportere: ut plebe præſente vel detegantur malorum crimina,vel bonorum merita prædicentur,& ſit ordinatio juſta & legitima, quæ omnium ſuffragio & judicio fuerit examinata. Qvod poſtea ſecundum divina Magiſteria obſervatur in Actis Apoſtolorum,&c. Nec hoc in Epiſcoporum tantùm & Sacerdotum, ſed in Diaconorum ordinationibus obſervaſſe Apoſtolos animadvertimus,&c. Qvod & apud vos factum videmus in Sabini Collegæ noſtri ordinatione,ut de univerſæ fraternitatis ſuffragio,& de Epiſcoporum,qvi in præſentia convenerant,qviq; de Eo ad vos literas fecerant,judicio, Epiſcopatus ei deferretur, & munus ei IN LOCUM BASILIDIS imponeretur. NEC RESCINDERE ordinationem jure perfectam poteſt,qvod Baſilides poſt crimina ſua detecta, & conſcientiam à propria confeſſione nudatam,ROMAM PERGENS, Stephanum Collegam noſtrum,longè poſitum,& rei ac tantæ veritatis ignarum fefellit,ut exambiret REPONI SE injuſtè in Epiſcopatum,de qvo fuerat juſtè depoſitus.

85 Clariſſimum hoc exemplum correptionis fraternæ, etiam in aliena diœceſi exercitæ,& de cauſis alienæ diœceſeos.

Qvot præterea extant commonitoriæ,partim etiam Emendatoriæ & Correctoriæ Cypriani Epiſtolæ ad *Clerum Romanum*,ad *Caldonium & Herculanum* Epiſcopos,ut *Feliciſſimum à Cypriano abſentū, & ipſi à ſacra communione abſtinerent. Ep.XXXVIII. & XXXIX.* juxta Pamelium; ad *Antoninum*,ad *Fortunatum*,ad *Thybaritanos*, ad *Fidum*, ad *Epiſcopos Numidiæ & Mauritaniæ*,ad *Rogatianum*,ad *Euchratium*,ad *Pomponium*,ad *Cæcilium*,ad *Epictetum*: ad *plebem Aſſuritanorum*, de non recipiendo Fortunatiano in perſecutione lapſo, & propterea ab Aſſuritanis Epiſcopatu ſuo dejecto; ad *Florentium Pupianum*, temere,& fide obtrectatoribus de vitâ Cypriani imprudenter habitâ, *à communione cum Cypriano ſe abſtinentem*, qvæ eſt LXIX. ap. Pamelium; ad *Qvintum*,ad *Jubajanum*, ad *Magnum alioſq; Epiſcopos*; *Pompejum*

Digitized by Google

pejum & *Firmilianum* ſupra laudatos: qvæ correptionis fraternæ libertatem in alienas diœceſes,& per immenſa ſpacia exporrigunt?

Ipſe Clerus Romanus commendat Cypriani diligentiam, qvi 86 doctrinæ puritatem etiam in aliis diœceſibus conſervandam, per literas commonitorias & Elencticas adjuvet. Sic enim Epiſt.XXX.ap. Pamel.al.l.V,13: *Qvod autem pertinet ad Privatum Lambeſitanum* (cujus vexillarius erat Feliciſſimus,ut Epiſt.LV.dicitur) *PRO TUO MORE FECISTI,qvi rem nobis ſolicitam nunciare voluiſti. OMNES ENIM NOS DECET pro corpore TOTIUS Eccleſiæ,cujus per varias qvasq; provincias membra digeſta ſunt, excubare.*

Infinita ſunt Eorum Orthodoxorum,officii & diœceſeos ſuæ 87 probè ſibi cognitorum Epiſcoporum exempla,qvi aliarum diœceſeon Epiſcopos & greges ob hæreſes corripuerunt,de cavendâ hæreſi monuerunt,ab hæreſi reduxerunt,excurrendo ad eos,ſuamqve opem in hoc caſu neceſſitatis etiam aliis diœceſibus impenderunt. De *Athanaſio* Nazianzenus Orat.XVIII: *Leges rurſus Orbi terrarum præſcribit,atq; omnium mentes ad ſe convertit: aliis Epiſtolas mittens, alios accerſens,nonnullos etiam ultrò accedentes erudiens.*

De eodem Athanaſio *Baſilius Epiſt.LIII: Tantam geris omnium* 88 *Eccleſiarum curam,qvantam ejus,qvæ tibi peculiariter à Domino noſtro credita eſt.* Qvis Athanaſio commiſerat officium *cogendi* adverſus Arianam Sectam *Alexandrinam Synodum XC.Epiſcoporum:Italorum, Arabum,Ægyptiorum & Lybicorum,*atqve ex illâ Synodo ſcribendi Epiſtolas Synodicas & Eucyclicas in alios Patriarchatus,*ad Antiochenos,Euſebium,Luciferum,Aſterium,Cymatum,& Anatolium,*eisq; præſcribendi modum & normam recipiendi in gratiam, qvicunqve ab *Arianâ,Sabellianâ, aut Apollinariſtarum hæreſi ad pacem Eccleſiæ* reverti cupiebant; formam Palinodiæ,aliaqve permulta, qvæ in Epiſtolâ illa extant legeris T.1. Opp. Athanaſ.ed.Comelin.fol. 448. ſeqq.

Qvis ei commiſerat poteſtatem injūgendi *omnibus ubiq; per Æ-* 89 *gyptum,Syriam,Phœniciam & Arabiam:* ὀφείλετε,*debetis vos ſeparare ab Arianis,& non commiſceri hypocritis occultantibus ea qvæ ſentiunt*, ut habet Epiſtola Catholica,ſic dicta eod. Tom.fol.444.

Qvis facultatem ei dederat *Epiſcopis Africanis* præſcribendi,*ne* 90

ro,

tolerarent in cœtibus ſuis,provocantes ad ſuffragia Synodorum Arimini & Seleuciæ,Auxentium Mediolanenſem,Urſatium,Valentem,& ſocios,non obſtante qvod fateatur in eadem Epiſtola:*Damaſum Romanū, aliosq́; Epiſcopos de hoc eodem negotio Afros ſatis monuiſſe*. Ibid.fol.717. Imò verò Damaſum negligentiæ accuſat cum ſociis. *Non ſoli ſumus qvi iſta ſcribimus; ſed omnes in Ægypto & Africâ Epiſcopi XC. numero. Certè cùm hoc animo eſſemus,& contigerit nos in Unum conveniſſe; ſcripſimus dilecto Damaſo,Epiſcopo Magnæ Romæ,contra Auxentium invaſorem Mediolanenſis Eccleſiæ: Eumq́; non ſolùm in communione eſſe Arianicæ ſectæ, ſed præter hoc multorum ſcelerum reum,qvæ deſignavit cum Georgio,ſocio ſuæ impietatis. MIRAMUR QVE,cur nondum depoſitus ejectusq́; ſit ex Eccleſia.* Hæc admiratio caſtigatio erat Romanæ conniventiæ.

91 Qvis ei facultatem dedit *omnibus ubiq́; ſolitariam vitam agentibus*,leges fidei & vitæ præſcribendi? ibid.fol. 626.

92 *Qvis ad omnes ubiq́; Orthodoxos; ut communicantes Georgio Cappadoci*,Epiſcopo Ariano,qvem Euſebius Nicomedienſis,pulſo Athanaſio,in ſedem ejus locaverat,*excommunicarent,eiq́; Anathema dicerent?* Ibid.fol.731. ſeqq.

93 Qvis: ut Serapioni Timolenſi Epiſcopo mandaret *excommunicare eos,qvi vel Filium,vel Spiritum Sanctum κτίσμα Dei,i.e.facturam dicerent*. Ibid.fol.338.344. ſeqq.

94 Qvis: ut Epicteto Corinthiorum Epiſcopo præciperet, *anathemate percutere Auxentium Mediolanenſem,Urſatium, Valentem & Gajum Pannonem*,Arianos Epiſcopos,ludentes in voce Homouſios, & patrem carni Chriſti,carnem autem Chriſti Patri homouſion dicentes? i; utroſq; verâ ſed diverſâ ſubſtantiâ conſiſtere? *Ego*,inqvit, fol.455. *miror,Tuam pietatem hæc ſuſtinuiſſe, qvin ſimul & iſtos compeſceres,& rectam fidem illis proponeres,ut iis auditis vel in qvietem ſe darent,vel,ſi contradicere pergerent,hæretici judicarentur.* Sub finem Epiſtolæ ait: *Poſtulo igitur cumprimis à Tua pietate & deinde ab Auditoribus Tuis,ut hæc cū conſcientia bona accipiatis,& ſi qvid ad pietatem deeſt,id corrigatis,mihiq́; manifeſtetis.* Qvis commiſit Corinthios curæ Athanaſii, ut juberi poſſint ſignificare id Alexandrino Epiſcopo in Ægypto, ſi qvid erroris pullulare inciperet in Achaia?

Qvis

Digitized by Google

Qvis deniqve ipſi plebi Alexandrinæ poteſtatem dedit excommunicandi *Georgium*, Epiſcopum ſuum, & ſolenni libello proteſtari contra introductionem ejus, tanqvam irregularem? Certè DEUS. *Proteſtatio* extat ibid. fol. 856. 95

Qvis Epiſcopis Illyrii jurisdictionem conceſſit, ut per Epiſtolam præciperent omnibus Eccleſiis Dei, & Epiſcopis Aſiæ, Phrygiæ, Ca rophrygiæ, Pacatianæ, &c. ſibiqve hoc competere dicerent (*par fuit, ut literas ad Vos mitteremus*) *ut in Eccleſiarum harum Doctores inqvirerent per Elpidium Collegam ſuum, an coeſſentialitatẽ Patris, Filii & Spiritus Sancti fideliter prædicarent, & non prædicantibus anathema dicerent? Si qvi non prædicent coeſſentialitatem Trinitatis, anathema ſunto: ſed & Si qvis cum illis ſe conjũxerit, anathema eſto, &c.* Hæc profectò audebant in alienas diœceſes, ob intereſſe partium homogenearum in ſalute totius homogenei. 96

Innumera exempla ſuppetunt de Doctoribus aliis, corripientibus non ſolùm vicinos Epiſcopos & vicinas Eccleſias, ſi fermentum heterodoxiæ illic ſpargi comperiſſent: ex hæreſeologia *Epiphanii*, ex Epiſtolis *Baſilii, Nazianzeni, Chryſoſtomi, Hieronymi, Auguſtini, Cyrilli contra Neſtorium Patriarcham* & Superiorem: ad *Clerum Conſtantinopolitanum*, ad *Acacium Berrhoenſem*, ad *Acacium Melitinenſem*, ad *Juvenalem Ieroſolymitanum*, ad *Comarium & Polamonem*, ad *Maximianum, Joannem & Dynatam*, Epiſcopos Cyrillo non ſubjectos, qvæ maximam partem ſunt expoſtulatoriæ & elencticæ. Cumprimis autem *Duodecim illæ Synodales Epiſtolæ*, & defenſio XII. Anathematiſmorum Concilii Epheſini contra *Theodoretum Cyri Epiſcopum*. Ex recentioribus deniqve *Ivonis Carnotenſis & Bernhardi* Abbatis Clarevallenſis *Epiſtolis*: qvarum plæraqve continent elenchum doctrinæ & morum, in æqvalibus & ſuperioribus reprehenſorum. 97

Sic *Jvo* ad Metropolitanum ſuum Senonenſem Archiepiſcopum, cujus ille Suffraganeꝰ erat, epiſt. CC: *Qvoniam ſponſæ Chriſti cuſtodes & Paranymphi deputati ſumus, eandem ſponſam caſto amore zelare debemus, &c. ſi ergò macula vel ruga decorem ejus infuſcaverit, nos omni ſtudio curare debemus, rugam duplicitatis ad ſimplicitatem reducere, vel maculam turpitudinis nitro debitæ correptionis abluere, &c. Decet magni-* 89

tudinem veſtram,ut tales exceſſus non tepidè, non trepidè comprimatis; Decet,ut hæc vulnera ne latius ſerpent,medicinali cauterio circumcidatis, & à ſimili contagio cæteros horum exemplo compeſcatis. Qvod ſi per vos id efficere non ſufficitis; Adhibete vobiscum duos aut tres ex ſuffraganeis Epiſcopis,qvorum conſilio & auxilio ſcandalum hoc ſedare ſtudeatis. His gemina ad *Meldenſem*,ad *Rothomagenſem*, ad *Dunelmenſem in Anglia*, imò ad Papam ipſum Epiſt. LVII.

99 Qvid *Eugenio* Papæ non exprobravit Bernhardus Monachus, in libris *de conſideratione?* Qvid Cardinalibus, Archiepiſcopis & Epiſcopis & Abbatibus ille non objecit? Tribus Romanæ Curiæ Epiſcopis exprobrat Epiſt. CCCVIII: *Qvod Metenſis Eccleſia ipſorum culpa hæreſi inficiatur & corrumpatur: Ego,*(addit) *qvod in me eſt demonſtro lupum, inſtigo canes: jam, qvid interſit Veſtrâ, Vos videritis.* Ad Haimericum Cancellarium Epiſt. XX: *Etſi tanti non ſum, ut Romæ habeam propria negotia, nulla tamen qvæ Dei eſſe conſtiterit, à me duco aliena.*

100 Qvam aſperiter qvàm acerbè perſtrinxit *Petrum Abailardum, & Arnaldum de Brixia*, anteqvam à qvoqvam alio hæreſeos non dicam convincerentur, ſed inſimularentur? Legantur Epiſtolæ CLXXXVII. & ſeqq. ad *Epiſcopos Senonas*, ad *Epiſcopos & Cardinales Curiæ Romanæ*, ad *Innocentium* ipſum Papam, ad *Guidonem de Caſtello*, Cardinalem, poſtea Papam Cœleſtinum, ad *Ivonem Cardinalem*, & Epiſtola CXCI. qvæ eſt ſuſcitabulum Papæ à Bernhardo ſcriptũ nomine Archiepiſcopi Rhemenſis, Sueſſionenſis, Catalaunenſis & Atrebatenſis, ut Papa Petrum & Arnaldum *detrudat in infernũ, qvi aſcenderant in Cœlum*, ut ait: *Hos Sacrilegiorum, peſtilentiſſimarum hæreſium*, Arianiſmi, Pelagianiſmi & Neſtorianiſmi accuſabat; *Cùm de Trinitate loqvitur* (de Petro ait) *ſapit Arium; Cùm de gratia ſapit Pelagium: Cùm de Perſona Chriſti, ſapit Neſtorium: Minus de Veſtra æqvitate præſumo, ſi diu Vos rogavero, ut in cauſa Chriſti nullum Chriſto præponatis: Illud autem ſcitote, qvia expedit vobis, qvibus poteſtas data eſt à Domino, expedit Eccleſiæ Chriſti, expedit illi etiam homini, ut ei SILENTIUM imponatur, cujus maledictione os plenum eſt, & amaritudine, & dolo. Qvia ergo ille homo multitudinem trahit poſt ſe, & populum qvi*

ſibi

Digitized by Google

ſibi credat, habet; neceſſe eſt ut huic contagio celeri remedio occurratis

--- Sero enim medicina paratur

Cum mala per longas invaluere moras ---

Securus eſt tamen, qvonam Cardinales & Clericos Curiæ ſe diſcipulos habuiſſe gloriatur: & eos in defenſionem præteriti & præſentis erroris aſſumit, à qvibus judicari timere debuit & damnari. Si qvis Spiritum Dei habet, illius Verſiculi recordetur: Nonne qvi oderunt TE Domine, oderam: & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?

Ad Epiſcopum Conſtantienſem CXCV: *Arnoldum loqvor de Brixia. Et ſi vultis ſcire, homo eſt neq; manducans neq; bibens: ſolo cum Diabolo eſuriens & ſitiens ſangvinem animarum.* Ad dictum Guidonem, poſtea Papam, qvi etiam poſt excommunicationem Arnaldi, extantem apud Bernh. ep. CXCIV. hominem tamen familiariter fovebat, ſcribit epiſt. CXCVI: *Arnaldus de Brixia, cujus converſatio mel & doctrina venenum: Cui caput columbæ, cauda ſcorpionis, qvem Brixia evomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominatur, &c. fertur eſſe Vobiscum. Videte, ne Veſtra autoritate plus noceat &c. Hæreticum hominem familiarem habere, admittere ad convivendum, ſuſpicio favoris eſt, & inimici hominis fortis armatura. Fortè annunciabit & facilè perſvadebit qvæ volet, domeſticus & contubernalis Legati Apoſtolicæ ſedis: Arnaldum comitem habere, eſt ſugillare ſententiam Papæ.* De excurſionib. Bernhardi non vocati in alienas diœceſes, & actione in alienos ſubditos, vehementia in judicando, infinitū eſſet dicere. Lege Epiſtolas CCXL. & XLI. & libr. III. cap. X. vitæ ejus, de accuſatione & errore Gilliberti Porretani, Pictavienſis Epiſcopi, Et Serm. LXXX. in Cantic. de errore Henrici hæretici Tholoſani. Certè Epiſt. 238. ad Eugenium ſcribit: *Ajunt, Non vos eſſe Papam, ſed me.* 101

102 *Peculiaris facultas corripiendi alios ex conventione.*

Attendendum etiam venit circa perſonam corripientis; poſſe ſuperioritatem qvandam ordinis oriri ex conventione & conſvetudine ſociorum, cætera inter ſe parium, qvæ facultatem corripiendi complectatur. Ut in confraternitatibus, collegiis & ſocietatibus, qvæ conſtituerunt Decanum, Directorem, Præpoſitum in certis negotiis & cauſis: vel in collegio Charitatis, ubi ex conventione frater fratris correptioni ſe ſubjicit: Qvale nuper moliebātur Batavi,

Digitized by Google

ſub nomine *fraternitatis Marianæ*, & qvidem inter diſcrepantes religione & cultu, ſed cum periculoſa qvadam clauſulâ juratoriâ, *de conſervanda & defendenda Fraternitate B. Virginis*, ſine reſtrictione ſignificati famoſioris & indefiniti, ad ſenſum ſpecificum, qvid & qvantum *ſub Juribus Fraternitatis* propriè & ſtrictè intelligendum eſſet? De qvo plurima extant Polonica Theologorum Batavorum, imprimis *Mareſii & Voetii*.

103 Ad qvæ negocia autem & qvousqve ſe extendat illa facultas corripiendi vicinum non ſubditum, vi cõſvetudinis collegialis; decernendum eſt ex poſſeſſione & exercitio. Obſervant enim Politici, etiam in Directorio Collegii Electoralis Romani Imperii, multa conſvetudine aliter eſſe introducta, qvam vel litera AureæBullæ præſcribit, vel perſvaſum eſt vulgo: ita, ut *Moguntinus non habeat Directorium in colligendis ſuffragiis ab omnibus* Collegiis *& Principibus inferioribus; ſed Evangelici inter ſe habeant Directorem, qvi ab inferioribus ſuffragia colligat, Negocia proponenda dirigat, & exeqvatur.* Reinking *de Regim. Sec. lib. 1. Claſſe 3. cap. 5. n. 19. edit. Tert.* Limnæus *in additionibus ad librum 3. de jure publ. c. 10. n. 32.* Circa objecta illa Directorio ſuo competentia, habet utiqve Director etiam corripiendi facultatem, *tanqvam Decanus Collegii ſui:* Chaſſanæus *de gloria mundi p. II. conſiderat. 37. 38:* Decanus habet poteſtatem corripiendi Collegas ſuos, in iis, qvæ ad collegium & inſpectionem Decani ſpectant. *Gloſſa in Clem. Ne in agro. de ſtatu Monach. Archidiac. in C. Noluit ille 13. de judiciis, &c.*

104 Et qvemadmodum filiusfamilias natu major, qvando natu & ordine minorem moderatè corripit, præſumitur id facere animo corrigendi, neq; datur minori actio hoc nomine cõtra majorẽ, juxta *l. unicum. C. de emẽdat. propinq.* Ita in ſimili Decanus aut Præſes Collegii poteſt modeſtè corripere Collegarum unũ vel plures, nõ ſolùm ex charitate ſed etiam ex juſticiâ: Et non ſolùm regulariter ſed etiã in dubio Senior juniorem, & ordine ſuperior inferiorẽ animo corrigendi præſumitur corripere, juxta *gl. in C. nullus videtur. de reg. juris.* Jovan. de Cerier de *primogeniturâ l. 2. q. 2. n. 13. prærogativa vigeſ.* Tractat. Tract. *edit. MDXXCIV. Tom. X. Edit. Lugd. MDXLIX. Tom. XIII.*

Digitized by Google

XIII. Menoch. *de Arbitr. jud. ſent. caſ. 364. n. 7.* ex Plutarchi Lycurgo, & Platonis 9. de Leg. Atqve hæc facultas monendi in negociis religionis tantò amplior eſt, ut Præſes, Decanus vel Director Collegii poſſit aliqvem de collegio monere privatim de data ſuſpicione heterodoxiæ, vel de nō permittēdo aditu heterodoxiæ, qvantò occultius & nocentius hoc malum eſt & magis contagioſum, qvàm ſunt epidemia morum vicia, niſi in prima herba opprimatur.

De modo qvo corripiendus eſt ſuperior: Et tempore, qvando præſumatur adeſſe caſus neceſſitatis, mox erit agendum.

§ VIII.

De Subjecto corrigendo.

105
ORigeni paſſim impingunt Caſiſtæ, qvod Tract. *ſive homil. VI. in Matthæum*, qvi eſt in Regulam Chriſti Cap. XVIII: *Corripe eum inter TE & ipſum ſolum*, *&c.* neget, infideles, aut graves peccatores, qvales ſunt Maſculorum concubitores, Adulteri, Homicidæ, eſſe corripiendos, ex eo, qvod per tanta flagitia deſierint eſſe fratres. At Origenes non negat eſſe corripiendos; verùm more ſuo, problematicè diſputat de ordine & modo, An inter TE & ipſum ſolum, i: tantùm privatim ſit admonendꝰ, & Annon potius Prælato ſit denūciandꝰ, ut ab illo corrigatur, aut ſi corrigi noluerit, ejiciatur ex Eccleſia? *Neq; n. ſperādū eſſe, talē lucrifactū dici poſſe, ſi metu ignominiæ dicat fratri privatim monenti, ſe deſtiturum: Neq; conveniens eſſe, ut è contrario de minutis peccatis & qvotidianis bis vel ter admonitꝰ, neq; tamē deſiſtens à detractione, ſuperbia, epulis, verbo ocioſo, &c. illico habeatur pro Ethnico & publicano; Nec enim probabile fieri, ullum eſſe in Eccleſia, qvin de hiſce peccatis ter monitus, in eandem tamen culpam reciderit, adeoq; omnes & ſingulos habendòs fore pro Ethnicis & publicanis, & conſeqventer nullam ſuperfore Eccleſiam, qvæ alios pro Ethnicis, & publicanis habere qveat, ſed Chriſtianos Chriſtianis habitum iri pro Ethnicis & Publicanis*, qvod abſurdum ſit.

Hæc

Hæc inqvam, problematicè movet Origenes, & pro more ſuo
106 reſpondet probabiliter, qvid videatur: *Videamus, an fortè ſententia hæc non de qvocunq; peccato, etiam gravi & ſcandaloſo poſita ſit, &c. Non ignoramus, qvod alius ſeqvens ipſa verba Chriſti & aſpiciens ad immenſam miſericordiam ejus, opponere poſſit, qvum Chriſtus nullam differentiã faciat peccatorum, de qvibus jubemur corrigere proximum, eos nimis aſperos eſſe, & peccare in miſericordiam Chriſti, qvi negent gravia peccata ſola privatâ admonitione corrigi poſſe: Alium qvæſiturum differentiam, inter fratrem & ſcandaloſum peccatorem. Hunc enim videri amittere nomen fratris, qvia Apoſtolus I. Cor. V. jubet ab eo abſtinendum, &c.*

Hieron. Epiſtol. ad Pammac. & Occã. Et Præfat. de Tradit. Ebr. in Geneſin.

107 Sed qvicqvid de Origene ſit, qvem inde ab Epiphanii & Hieronymi ætate in multis præter meritum flagellari Hieron ipſe, Sixtq Senenſis & Eraſmus obſervarunt; tametſi inſulſi Monachi putaverint, ſe hominem Originis opinionibus infectum, odoratu poſſe diſcernere à bona fragrantia fratris Orthodoxi, ut eſt *in Vitis P.P. in Vitâ Pachomii;* certum eſt, qvemvis hominem peccantem à qvovis homine eſſe corrigendum, ſine diſcrimine religionis, cultus, ſtatus, nationis, ſexus &c. niſi vehemens cauſa deſperandi de lucrifaciendo ipſum ſubſit, ex regula Chriſti ſupra allegata: Qvæ conditio ad fines correptionis fraternæ pertinet: Nunc de ſubjecto ω̃ qværitur; qvod tàm latè patet, qvàm humana ſpecies patet, qvàm patet conditio ejus, qvi hoſtis noſter eſt, *cujus bovem & aſinum*, ipſummet verò qvàm maximè tenemur liberare, ſub qvocunq; faſce gemat, Exod. XXIII. Qvisqve in latronum manus delapſus, liberandus eſt; Samaritanus an Judæus fuerat. Luc. X. ſit enim applicatio per modum præcepti: *Tu vade & fac ſimiliter.*

108 Dominicus Bannez *in 22. q. 33. Art 2. Dub. 2. Concl. 2. ad 2. fol. 469.* carpendus potius erat à ſociis ſuis, Originem plærumqve carpentibus; Qvod ille infideles excepit numero corripiendorum: *Cæterum*, inqvit, *circa infideles excuſamur à correctione fraterna: Qvia qvamvis illi ſint proximi, non tamen dicuntur fratres in ſacris literis, eò, qvod non conveniunt nobiscum in religione & cultu cœleſtis Patriæ.* Qvanqvam enim negandum non ſit, Petrum interrogare, & Chriſtum reſpondere de tali fratre, qvi forum ejusdem Eccleſiæ agnoſcat, per

qvod

Digitized by Google

qvod excommunicari poſſit; & arctiorem eſſe obligationem qværendi ſalutem fratris ſpiritualis, qvam fratris per humanam ſpeciem; falſiſſimum eſt tamen *fratris* nomine in ſacris literis nõ venire qvemvis proximum: cùm contrarium manifeſtè pateat ex claſſico illo Levit. XIX,17: *Non habebis odio fratrem, ſed corripe proximum*, ubi hæc Synonyma convertuntur, *& Innocentius III.* l. paulò poſt adducendo, humanam fraternitatem etiam ad ſpeciem Aſinorum extendat; qvod *Bonaventura in Vita Franciſci*, vel millies ab hoc ſanctulo factum, iteratumqve commemorat: Aſinos, lupos, canes compellaſſe ſolenni hoc titulo: *Frater aſine, frater lupe, &c.*

Qværi à Caſiſtis hic ſolet: *An inferior teneatur etiam monere ſuperiorem?* Et à plerisqve rectè reſpondetur Teneri: Neqve enim ſuperior deſinit eſſe frater; neqve minor, ſed ut paulò ante dixi, major eſt obligatio præcavendi & avertendi damnum ſuperioris, qvàm paris & inferioris, præſertim ſi ſuperior non ſolùm ordine & gradu, ſed etiam juriſdictione & officio ſuperior, & inferior illo, ſit ſubditus. Qvod jura etiam Pontificia qvondam agnoverunt *Can. Sicut 46. Cauſſa 2. q. 7.* ſub nomine Gregorii PP: *Sicut laudabile diſcretumq; eſt, reverentiam & honorem debitum exhibere prioribus: ita rectitudinis & Dei timoris eſt, ſi qva inter eos correctione indigent, nulla diſſimulatione poſtponere, ne totum corpus incipiat morbus invadere, ſi languor non fuit curatus in capite.* Qvo dicto modus qvidem corripiendi ſuperiores, limitatur, de qvo Infra: Subjectum autem corripiendum ſatis apertè deſignatur. In eundem ſenſum *Innocent. III.* de plebe Metenſi ſcripſit. C. *cùm ex injũcto 12. de Hæreticis: In caſu occultæ correptionis poſſe intelligi illud qvod Bileam correptus fuerit ab Aſina*, etiam qvando *Pater admonetur à filio*: at ineptè negat, hoc ad corripiendum Patrem ſpiritualem extendi poſſe. 109

Huic cognata altera qværſtio eſt: *An liceat vel etiam oporteat corripere excommunicatos & hæreticos?* De licito pauci Caſiſtarum dubitant, plures de neceſſario. At ego ambigendum non cenſeo. Excommunicatio enim cùm ex intentione promulgantis ſit pœna ſuſpenſiva, habens pro fine correctionem excommunicati, donec in via eſt; tenetur qvisqve etiam Ethnicum & publicanum monere 110

ad

[illegible] am, non minus qvàm bovem aut aſinum ſublevare & [illegible] ere ſub qvo fatiſcit. De hæreticis lex clara Apoſtoli [illegible] *[illegible]endam* eſſe devitationi ejus, *Unam alteramq́; νȣθεσίαν* [illegible]. Et jubentur redargui ἀποτόμως hoc fine, *ſi qva eis det De*[illegible] *entiam, ut reſipiscant à laqveis Diaboli*: *Tit.I.13.II. Tim.II,26.* Q[illegible]ndiu igitur & qvoties ſpes emendationis adeſt, tandiu & toties corripiendi ſunt etiam hæretici & excommunicati. Clariſſimus locus extat II. Theſſ.III,14: *Si qvis non auſcultat, hunc notate, & nullum commercium habete cum eo, ut pudeat illum: Neq; tamen ut inimicum ducite, ſed admonete ut fratrem.* Ubi is, qvem jam excluſimus ab omni commercio, monendus tamen dicitur, ut frater.

111 Modus autem fraternæ & refutatoriæ correptionis differt, ut poſtea dicetur: Nempe communi ſollicitudine, *communi dilectione*, qvā Petrus Apoſtolus poſterioris Epiſtolæ c.1. ponit infra φιλαδελφίαν, qværenda & procuranda eſt excommunicatorū & excluſorū emēdatio: majore autē diligentiâ animiq; contentione urgenda eſt fratris nondū excluſi emendatio. Pulchrè Ambroſius ad illā ipſam doctrinam Chriſti de Gradibus correptionis fraternæ, etiā hæreticorum correptionē refert lib.VIII.c.17. in Lucam: *Apoſtolus, qvi divini eſt verus Interpres Oraculi: Hæreticum*, inqvit, *poſt unam correptionem devita. Qvia non eſt æqvè perfidia ut culpa Venialis. Et qvoniam plerumq; per imperitiā error obrepit; corripiendū præcepit, ut aut pertinacia vitetur, aut prolapſio corrigatur.*

§ IX.

De Objecto corrigendo.

112 Qvalitas objecti cognoſcitur ex fine obligationis, qvi eſt, ut anima *peccantis* ſalvetur, ſive lucrifiat: *Matth.XVII,15.* ut liberetur à culpâ & pœnâ, tàm peccans, qvàm is, qvi tenetur corripere: *Levit. XIX,17.* Hunc enim finem oportet intendi à qvovis privato, correpturo proximum. Eundem oportet eſſe in intentione etiam judicis primum, ut corrigatur delinqvens, ſed non ſemper ſolum: verum

et-

iam, ut ſcandalum amoveatur, & malum extirpetur ex Iſrael: *Deut. XIX, 13. 19. 20. &c.* Qvod officium ad privatum non pertinet, qvi de ſolis occultis delictis proximum tenetur monere, non de publicis, niſi judex officium ſuum negligat.

113 Cæterùm, qvia judex non præſumitur negligere officium ſuum, ſeqvitur, niſi de neglectu palam conſtet, non teneri privatum ad ſucipiendam curam corrigendi publicos peccatores, niſi in dicto caſu: qvi ad temporis rationem potius ſpectat, *Qvando* corrigendꝰ ſit proximus? qvàm ad objecti qvalitates

114 Pontificiorum autem communis doctrina eſt: De peccatis venialibus non teneri TE corripere proximum, neqve de peccatis ex invincibili ignorantia commiſſis: qvia ab his nullum immineat animæ committentis periculum. Neq; etiam de peccatis ex malitia commiſſis: qvia nulla ſpes emendationis ſeu lucrifaciendi ſit de hoc peccatore. Et hanc vocant *primam conditionem* reqviſitam ad obligationem corripiendi, *ut ſit materia ſufficiens*, & correptione non ſolùm digna, ſed correptionem etiam reqvirens.

115 Verùm qvia aberrant in definienda formâ & numero peccatorum venialium, & plæraqve peccata non ſolùm merito ac deformitate intrinſecâ reatum æternorum cruciatuum inducentia, ſed facto etiam ipſo delinqventem de ſtatu gratiæ apud DEum deturbantia, inter venialia peccata numerant, ideoqve venialia ſic dicta ajunt: *qvòd veniâ digna ſint, qvòd ob levitatem ſuam veniam mereantur,* (Filiucus & Bonacina ll. ſeqq.) *qvæq; Deus ſalvâ juſtitiâ ſuâ æternis ſuppliciis punire non poſſit*, qvalia ſunt: *Maledicta in Deum & homines conjecta ex vehementia primorum motuum, ex imperfectâ deliberatione, ex ſub: & obreptione iracundiæ: Torpor & ſomnolentia in invocando Deo, in obeundo ſacro cultu, in ſanctificatione Sabbati: gula & ingluvies, ſenſum humanum ſaltem non extingvens: moroſa delectatio partis inferioris in cogitatione de re turpi: furtum rei parvæ, precium ducatorum duorum aut trium non excedentis; jocoſa & ſalſæ contumelia in proximum animo lætificandi alios conficta & prolata*, atqve ejus generis plura peccata, ab Apoſtolo qvidem claris verbis relata inter mortifera, regno gratiæ & gloriæ committentem excludentia, *Gal. V. Eph. IV. & V.* Sed à

 Ca-

Caſiſtis & Criminipedis paſſim inter Venialia & veniâ digna, ſive levitate ſuâ veniam meritantia referuntur, ex Richardo de S. Victore, *de diſcrim. peccat. mort. à veniali*, à Navarro *Enchiridii præludio IX.* Filliucio *Tract. XXI. cap. 6.* Bonacina *Tom. II. Diſp. I. Q. I. p. 7. Unde poſſimus cognoſcere legem aliqvam obligare ſub mortali?* Et Diſp. 2. q. 3 Sair in *Clavi Regia l. II. cap. 14.* Reginaldo in *praxi fori pœnit. lib. XV. n. 31.* Vasqvez *in l. 2. diſp. CXXVII.* aliisq; *in l. 2. q 88. art. 2.* Ideò circa qvalitatem peccatorum, qvorum correctio cadit ſub præceptum, eosdem Pontificios aberrare neceſſum eſt.

116 Qvum autem Apoſtolus nos jubeat *cavere, ne qvis nobis perſvadeat:* Turpitudinem, ſtultiloqvium, Scurrilitatem, ſermonem ocioſum, jocoſam εὐτραπελίαν, immunditiem, &c. non eſſe peccatum; adſeveret potius, qvod *propter talia ſæviat ira Dei in filios incredulitatis* Eph. V, 4. 6. Et noti juris ſit, *Maledictum* fore, *qvi non permanet in omnibus Devt. XXVII. Qvi in uno delinqvit, omnium reum fore, Jacobi III* &c. Iccirco & iſta peccata, qvæ Caſiſtis dicuntur Venialia, corripienda & reprehendenda ſunt à qvovis proximo, ubi alius non eſt, cui ex officio proprio officium illud competat. Eſt enim univerſalis regula ad omnes, & omnia opera infrugifera tenebrarum, ad illas ipſas peccatorum ſpecies, qvæ veniales dicuntur, extenſa, eod. Cap. V. ad Epheſios verſu VII. & XI: *Nolite participes fieri eorum. Eratis aliqvando tenebræ, nunc autem lux in Domino: Nolite communicare operibꝰ infrugiferis tenebrarum, magis autem redarguite illa.*

Legendus eſt Chryſoſtomus ad h. l. & homil. V. in II. ad Theſ-
117 ſal. III. non ſolùm qvalitatem & latitudinem ſubjecti corripientis & corripiendi, ſed etiam objectum ſive materiam ſufficientem, & modum correptionis prolixè deſcribens.

118 Porrò reqvirunt Caſiſtæ ad qvalitatem objecti corripiendi, *ut pendeat in futurum*, id eſt, ut non ſolùm commiſſum ſit, ſed etiam probabile periculum iterandi, vel evidentia continuationis adſit. E. g: Si qvis homicidium commiſiſſet, nec periculum de recidiva adſit, non teneri TE corripere homicidam, qvia peccatum ſit purè præteritum, & non pendeat in futurum, id eſt, ſolus reatus peccati incumbat homicidæ, non affectio: Ita *Angelus, Sylveſter, Cajetanus &*

Saa

Saa in ſummis. V. Correctio. *Major, Paludanus*, & nonnulli Canoniſtæ apud *Azorium Tom. 2. Inſtit. lib XII. Cap. XIV. q. 5.* Famoſus ille Jeſuita Dillinganus *Paulus Laymanus, Theol. moralis l. 2. Tract. 3. c. 7. n. 2.* ait: ſe inter cauſas liberantes ab onere corripiendi, datâ operâ addidiſſe hanc: Si non credas, fratrem eſſe repetiturum illud peccatum qvod commiſit: *Qvæ verba ideò addo*, inqvit, *qvia valdè probabilis eſt ſententia Gloſſæ in C. Si qvis peccaverit. 24. q. 1. Syl. V. Correctio. q. 1. in fine. Turriani 2, 2 q. 86. dub. 2: Peccatum merè præteritum, ſi non ſubſit periculum recidendi, non cadere ſub obligationem præcepti correptionis, qvandoqvidem neq; ipſimet peccanti obligatio incumbit, peccatum præteritum per pœnitentiam ſtatim delendi, ut ex communi dicam l. 5. Tract. 6. c. 2, n. 5.* Eandem limitationem addunt & ampliant *Reginaldus in praxi fori pœnit. l. 4. c. 25. ſect. 2. n 331. ſeq.* Caſtro Palao *Tom. I. opp. mor. Tract. VI. Diſp. 3. puncto 2.* aliiqve. At rectè reſpondet *Azorius*: Hoc tàm ridiculum eſſe, ac dicere: *Teneri qvidem TE, ut fratrem moneas, ne incidat in flumen, lacum, &c. At qvando jam incidit, non teneri TE, ut inde liberes ipſum.* Qvem ſeqvuntur *Valentia Jeſ. puncto 2.* Tannerus *Diſp. 2. Qvæſt. V. Dub. 4. n. 78. peccatum nondum emendatum, ſive adhuc in futurum pendeat, ſive jam plenè transactum ſit, eſſe objectum correptionis fraternæ.* Abulenſis autem *q. 83. in cap. 18. Matth.* ita limitat hunc caſum, ut dicat: *Teneri qvidem TE ad liberandum etiam fratrem ex ſolo reatu peccati præteriti, at non ante Paſcha*, ut poſtea dicendum.

Alter error eſt qvorundam Caſiſtarum & Scholaſticorum Pontificiorum, circa *peccata publica*, qvæ Reſp. permittit impunita, ut *meretricium, uſuras, &c.* qvæ in Papatu ad evitanda majora, ut ajunt, mala permittuntur. An v. g. liceat reprehendere meretricem, cui Magiſtratus permiſit exercere meretricium? Et poſito: Inſtructum eſſe qvenqvam tantâ facundiâ, ut poſſet omnes meretrices & juvenes Romæ convertere, an hoc liceat? prima ratio dubitandi eſt, qvia Reſp. hoc permittit, (2) qvia ille occaſionem daturus erat, ut plura & graviora mala committerentur, uti adulteria, ſodomiæ, & beſtialitates, qvibus minuendis ajunt permitti lupanaria: Et, ut Chriſtiani in Chriſtianos uſurariam exerceant. Has dubitandi rationes adduxit *Bannez ad Art. 2. Dub. 2. Concl. 2.* & poſt eum *Regius*

119 *An publica peccata à Magiſtratu permiſſa, liceat corripere?*

Diſp.28.dub.3.n.33. Caſtro Palao *Tom. I. Tract. VI. Diſp.3.puncto 2. n.4.* Reſpondeo auté ad antecedens: qvod permiſſio ejus, *cujus ne mentionem inter Chriſtianos Apoſtolus fieri permittit Gal. V. Epheſ.V 3:* omninò ſit peccatum mortale: & qvi utuntur illâ permiſſione, omninò corripiendi ſint, tanqvam utentes permiſſione rei illicitæ, juxta Apoſtoli præceptum: *Corripite opera infrugifera tenebrarum, d.l.Epheſ. V.* Ad conſeqvens autem incommodum reſpondetur, qvòd ſit caſus fictitius: Omnes meretrices iri coverſum. Et deniqve poſito: non ſufficere tamen ad omnes meretrices è Rep. tollendas, ſi ſolæ præſentes emendentur, ſed reqviri, ut futuræ etiam præſerventur & impediantur à ſcortatione. Tametſi qvoq; tandem ſeqverentur plura adulteria; Nemini tamen licet omittere divinum præceptum, qvãdo ex ejus executione, per accidens, imò per meampte culpam ſecuturũ videtur majus malum: ſed tantùm, qvando majus exinde neceſſariò ſeqvitur. Cogantur, vel ſaltem admittantur ad matrimonia qvi ſe non continent: pauciora profectò audientur adulteria. Et rectè *Ariaga hìc Diſp.45.n.18: Non debeo terreri a certo fructu*, addo: à claro Dei præcepto, *ob dubium damnum.*

120 *Etiam poſitus in occaſione ad peccandum, corripiendus eſt.*

Ad objectum corripiendum pertinet etiam uſus ſolennis aut proximæ *occaſionis ad peccandum*, tanqvam *ſpecies mali*, à qvà non ſolùm jubemur abſtinere, ſed etiam dehortari invicem: ut patet ex connexione præceptorum Apoſtolicorum *I.Theſſ.V,14.& 22: Corripite inqvietos, &c. ab omni ſpecie mali abſtinete.* Ad mutuam commonefactionem Chriſtianorum inter ſe, *ut vitam inculpatam ducant inter infideles*, ne hi calumniandi anſam arripere poſſint, pertinet omninò *commonefactio de vitanda occaſione, qvæ præbere poteſt materiam calumniandi, I.Pet.II,11.12.15. Cap.III,16. Ad providendum bonum non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus Rom.XII,17:* pertinet etiam moralis remotio occaſionum, qvibus homines ſcandalizari poſſunt.

121 Hæc obligatio itidem fundatur in jure naturæ. Qvemadmodum enim teneor non ſolùm bovem & aſinum proximorum ſublevare, qvando in foveam vel ſub ſarcina concidit, ſed etiam præcavere & monere ne incidat: ita multò magis teneor monere fratrem, ne in pericuIoſa loca ſe præcipitet. Et qvemadmodum teneor non ſo-

Digitized by Google

ſolùm nõ ponere cœco offendiculum,ſed illud etiam removere ne impingat,*Levit.XIX.14.* Ita ad hoc præceptum negativum, Ebræis ordine CLXVIII. Rabbini,& ex Chriſtianis *Heſychius, Lyra, Abulenſis & Lorinus* rectè obſervant;præcipi oppoſitum,ſcilicet cohercitionem & impedimentum offendiculi.

Eodem ſpectat præceptum de impediendo lapſu cùm domeſti- 122
corum,tùm extraneorum de tecto alieno: *Deut.XXII,8.* & pœna ejus,per cujus negligentiam qviſqvam damnum cepiſſet,ut *Auguſtinus,Theodoretus & Abulenſis* ad illum locum obſervarunt.

Occaſionum autem harum aliæ ſunt remotiores,aliæ propio- 123
res, aliæ proximæ: aliæ per naturam, aliæ hominum opinione tales. Ab omnibus qvidem abſtinendum,ſed à proximis & naturalibꝰ qvàm maximè: ut converſatione familiari cum flagitioſis, ſpurcis, hæreticis hominibus: cum fœminis pro conditione noſtri & ipſarũ ſtatus,ætatis & conditionis ad peccatum diſpoſitis. At eas occaſiones,qvæ ex hominum ſolâ opinione tales ſunt,neceſſe non eſt vitare,ſi officii ratio exigat in iis verſari. Qvanqvam licitum & laudabile eſt,officium alteri demandare,ſi ſuppetit ejus copia:potius, qvàm etiam ſub officio ſcandalum præbere. *Namq; etiã à licita carnis comeſtione abſtinendum eſt,ſi frater meus ſcandalizetur, Rom.XIV,21.* Ab officio neceſſario ſive phyſicè propter periculum vitæ proximi: ſive moraliter propter vocationem meam,non eſt abſtinendum, niſi aliunde ſuppleri poſſit.

Diverſitas occaſionum peccandi.

Qvemadmodum verò ad præcipitia & lapſus præcavendos 124
magis obligabantur proprietarii,& patresfamilias in domibus ſuis, qvàm extranei in via publica,veruntamen & hi obligabãtur ad qvẽcunqve lapſum hominum & jumentorum impediendum, ubi occurrerent,illi autem etiam ſtudere,& ſollicitudinem adhibere, ne labendi occaſio cuiqvam præberetur: Ita dubium non eſt, qvin ad labendi ſive peccandi occaſiones,tùm phyſicè tùm moraliter impediendas magis obligentur patresfamilias in familia ſua, Paſtores, Magiſtratus,Patres,Mariti,Domini,Tutores, &c.reſpectu ſubditorum ſuorum,ut Dd. notant *ad C. Qvamvis omnes qvi præſunt. 9. de verborum ſign. & C. Qvamvis cauſæ 10.de Reg.juris*, ubi Gregorius ait: *Nõ poteſt eſſe Paſtoris excuſatio,ſi lupus oves comedit & Paſtor neſcit;*

Digitized by Google

Obligat tamen hoc præceptum qvemvis etiam proximum, non qvidem, ut indaget occaſiones, qvibus qvisqvam ad peccandum utitur, ſed ut objectas & undecunqve cognitas obſtruat moraliter, id eſt, piis monitis, præſertim eas, in qvibus eſt aut eſſe ſolet proxima ad peccandum potentia. Namqve etiam huc ſe extendit illud Siracidis juxta Vulgatum *Cap. XVII, 12: Deus mandavit unicuiq; de proximo ſuo.* Plura de qvalitate occaſionum peccandi, & obligatione proximi ad impediendum eas per correptionem fraternam, occurrent infra ad Gradum ſecundum correptionis, ubi ad Recidivam occaſio apparet.

Nimia reſtrictio objecti reprehendendi

125 Interea repetendum memoria: falſam & veteratoriam eſſe plærorumqve Caſiſtarum limitationem de obligatione proximi tunc ſolùm tenente, *qvando proximus jam peccavit, & verſatur in occaſione proxima iterum peccandi*, qvia Dominus non dixerit: Si peccaturus eſt frater tuus, ſed, ſi peccaverit frater tuus in TE, adeoqve lapſum præſupponat, ut *Ferdinandus à Caſtro Palao L. C. puncto 2. n. 2. ſeqq.* argutatur; ſecutus *Svareſium Tom. IV. de relig. lib. 10. cap. 8. n. 3. & 8.* Regium *de Act. ſupernat. diſp. 28. dub. 3. n. 35.* & alios. Hæc enim mera cavillatio eſt, ejusdem probabilitatis ac ſi dicerem: Chriſtus *Lucæ XIV.* jubet aſinum extrahere de puteo, poſtqvam inciderit, ἐὰν πέσῃ, non juſſit impedire, ne incidat primâ vice, ſed tantũ impedire, ne incidat ſecundâ vel tertiâ vice. Præterqvam, qvod ſignum futuri temporis: *Si peccaturus eſt*, & reſtrictio præcepti Chriſti ad futura peccata corripienda, includat omnes futuros lapſus, tàm iteratos, qvàm primos, adeoqve ex hâc hypotheſi aut nemo unqvam corrigendus ſit ob futurum peccatum, ſive iterato, ſive primâ vice id immineat: qvod verbis Chriſti apertè repugnat: Aut verò, ſi illi ſoli corripiendi ſunt, qvi in periculo recidivæ verſantur, omne futurum ſupponet præteritum, qvod per abſurdum eſt. Ex Grammaticis autẽ conſtat, aoriſtos, inter qvos eſt ἁμαρτήσῃ Matth. XVIII. & futuri & præteriti ſignificationem habere: Deniqve majoris cùm induſtriæ tùm laudis eſt, impedire, ne gloria Dei lædatur, qvàm, ne læſa qvalitercunqve reſtituatur, aut læſionis iteratio impediatur,

Du-

Dubitatur autem de affectione extrinſecâ peccati, qvoad ejus 126
certitudinem relativam: utrum oporteat peccatum corripienti eſſe *Secunda conditio objecti corripiendi.* omninò certum & exploratum, An verò liceat vel etiam oporteat ex ſola probabilitate, vel ſuſpicione de commiſſo peccato proximum arguere? Ratio dubitandi ſumitur ab eleemoſyna corporali: Qvemadmodum tutius eſt dare proximo, in dubio indigentiæ, & non ſolùm in extremæ neceſſitatis caſu: Ita tutius eſſe, in dubio de commiſſo peccato, corripere tamen proximum. Ita *Soto de ſecreto tegendo, membro 2. q. 2. Concluſ. 4.* Adrianus *in qvartum, diſt. 19.* Et ex iis alii. At non qvadrat hæc ratio ſimilitudinis. Eleemoſynæ enim largitio in ſe & ſuo genere eſt beneficium, qvod in dubio conferre licet non indigenti, ſed probabiliter tali: Correptio autem de aliqvo peccato ſupponit in corripiendo turpitudinem qvandam, & intuitu hujus ſuppoſitionis non eſt beneficiū, ſed tantùm ex fine & intentione ſuâ. Non ſunt autem facienda neqve imputanda cuiqvam mala, ut eveniant bona, multò minus ex ſola probabilitate mali commiſſi malum eſt faciendum, qvale eſt imputatio peccati, delicti aut criminis nondum explorati.

Et hoc qvidem dubium non habet, ſi inferiores ſuperiores ſu- 127
os, qvi parentum naturalium vel ſpiritualium locum tenent, corripere velint. Ex præcepto enim divino tenentur inferiores de ſuperioribus ſuis juſta & optima qvævis, nihil verò mali præſumere, anteqvam certis & infallibilibus documentis de malo conſtet. Hoc enim pertinere ad φόβον καὶ τιμὴν ſuperioribus debitum *Rom. XIII, 7* in expoſitione Decalogi docetur: usqve adeò, ut ſuperiorum peccata etiam evidentia & clara, qvale erat Nohæ, non niſi privatâ correptione in illis liceat emendare: Erga extraneos autem oporteat etiam tegere & obvelare, niſi Superiorum pervicacia acceſſerit. Uti poſt *Ambroſium in libro de Noê cap. 31.* B. Lutherus in Commentar. ad Geneſ. IX, multis oſtendit, & præclarus eſt locus *Eccleſiaſtici III. 14 15: Adjuva* (ἀντιλαβȣ̃, opitulare ei, fer infirmitates ejus) *patrem tuum in ſenectâ, & nunqvam contriſta eum per totam vitam ejus*, καὶ ἐὰν ἀπολείπῃ σύνεσιν, συγγνώμην ἔχε: *Et ſi defecerit judicio, condeſcende*, veniam da, καὶ μὴ ἀτιμάσῃς αὐτὸν ἐν πάσῃ ἰσχύι σȣ: *Et ne inhonores eum, qvantumvis præpolleas.* Gre-

128 Gregorius in illud Exemplum filiorum Noæ. *lib. XXV. Moralium: Si Magiſtrorum vita jure reprehenditur, oportet ut eos ſubditi etiã cùm diſplicent, venerentur, &c. Bonis igitur ſubditis ſic Præpoſitorum ſuorum mala diſpliceant, ut ea tamen ab aliis occultent. Operimentum averſi* (filii Nohæ) *deferunt, qvia improbantes factum, & venerantes Magiſterium, nolunt videre qvod tegunt.*

129 Correſpondet exemplum Conſtantini Magni, Caſiſtis & Moraliſtis tàm impensè laudatum, *de abjectis in focum delationibus adverſus mores Epiſcoporum, & pronunciatâ deſuper Imperiali ſententia abolitoria:* apud Theodoretum *l.I.cap.II.hiſtor.* & Rufinum *libro I. cap.8.* Qvanqvam hoc Imperatoris factum ſolam judicialem delationem Prælatorum à Collegis vel ſubditis, & publicam correptionem ſuperiorum ab inferioribus circumſcribat, privatam correptionem de crimine ſaltem certo non improbet, Improbabat tàm delationes qvàm correptiones ex ſuſpicionibꝰ natas: improbabat; qvod *privatarum offenſarum exagitatione, dogmatum inveſtigatio ſufflaminabatur, jubebatq́; accingi litigantes ad cauſam, ad qvam vocati erant*, ut Rufinus teſtatur.

130 Mandatúm autem Chriſti *Matth XVIII: Increpa ipſum inter TE & ipſum ſolum*, non ſolùm nullam facit libertatem inferiori, corripiendi ſuperiorem ex merâ ſuſpicione, ſed inter pares etiam correpturos invicem, ſupponit indubitatam noticiam, & certitudinem relativam qvoad corripientem, ut patet ex formatione caſus verſic. 15. *Si peccaverit in TE frater tuus, &c.* & interrogationis Petrinæ v.21: *Qvoties peccabit in me frater meus, & remittam ei, &c.* Hæc interrogatio certè ſupponit offenſam notoriam & indubiam. Præterea, peccatum de qvo qvis corripiendus eſt, ita comparatum eſſe dicitur *ut poſſit eventualiter denunciari teſtibus & prælato*; At his nunciare qvicqvam turpe de fratre, cujus certam noticiam non habemus, delatio & calumnia eſſet. Qvemadmodum igitur ut remiſſio ſit certa, reqviritur, ut offenſa ſit certa: ita ut correptio habeat locum, oportet ut delictum ſit certum.

Accedit ratio à ſimilitudine illic annexa à Chriſto, ad illuſtrandam qvalitatem objecti & ſubjecti corripiendi: Qvemadmodum
131
opor-

Digitized by Google

oportet eſſe evidens,ovem aberrare à mandris & caulis ſuis, anteqvam reducendi opera elocetur, *ibid.v. 12,13.ſeqq*: Ita oportet errorem proximi eſſe manifeſtum,*feſtucam in oculo oportet manifeſtò apparere*,anteqvam mihi liceat dicere fratri: *ſine, ejiciam feſtucam de oculo tuo: Matth.VII,4.*

Et hoc itidem eſt inter præcepta Sirachidis Cap. XIX, 4: *Qvi cito credit levis eſt corde*. Verſu 15: *ſæpe enim fit calumnia vana, & noli omni ſermoni credere.* Qvanqvam enim nonnullis videatur approbare Autor correptionis officium etiam in dubio,v.13. & 14: Corripe,ἔλεγξον amicum,*ne fortè non fecit, & ,ſi fecit, ne adaat facere,&c.* Obſervarunt tamen *Camerarius*, *Janſenius & Druſius*: verbum ἐλέγχειν h.l. nudam ſignificationem rumoris aut famæ, qvæ de iniqvo cujusqvam dicto aut facto ab uno vel plutibus fertur, proximo faciendam notare: Neminem verò propriè arguendum eſſe,niſi de culpa manifeſtâ crimineqve explorato. Qvi vulgatam verſionem ſeqvuntur,plærumqve ſic exponunt: *Suggere Amico famam qva de ipſo ſpargitur,ne fortè non intellexerit,qvid de ſe feratur,& à TE admonitus dicat,& oſtendat tibi,ſe non feciſſe illud,qvod ei imponitur. Sic & ille apud TE liberabitur à mali ſuſpicione,& Tu à mala de ipſo opinione.* Ita *Palacius,Janſenius,Bonerus,Cornelius & Duacenſes* in Bibliis Magnis. 132

Enimverò,cùm differant ſpecies mali,qvales ſunt occaſio,locus,tempus,qvibus ſolet agi malè,& malum ipſum; hinc differre neceſſe eſt etiam admonitionem de abſtinendo à ſpecie mali, à correptione de malo jam perpetrato. Cumqve præbitio ſpeciei malæ & ipſa ſub interdicto ſit,*I.Theſſ:V,23*: conſeqvens eſt,ut iſthæc apparentia mali aliqvando cadat ſub nudam admonitionem,aliqvando autem ſub correptionem paris erga parem. Inferioribus enim incumbere,ut de ſuperioribus præſumant juſta & ſancta, ſuperius oſtendi. 133

Itaq;, ſi dictum aut factum proximi per ſe ex prima impoſitione ſignorum viſibilium vel audibilium,ex conſenſu populi, ex more regionis,non ſignificat aliqvid per ſe malum, neqve connexum eſt regulariter,& ut plurimum cum conſeqvente aliqvo malo, locq 134

non eſt ſive admonitioni ſive correptioni,ſed eſt ſuſpicio temeraria ſuſpicantis;qvi propterea & ipſe corrigendus eſt, *I.Tim.VI,4.* Si autem dictum vel factum ob qvalitatem & circumſtantias perſonarum,locorum,temporum,geſtuum,ſermonum,&c. inclinet per accidens ad malum;*cadit ſub ſolam admonitionem fraternam*, ut, ſi probabiliter credam,illic latere aſpidem ubi reclinaturꝯ eſt frater,moneo,ut circumſpiciat: Si ut plurimum autem & freqventer, & ex opinione vulgi inclinet aut inclinare videatur ad malum,tunc cadit ſub correptionem fraternam,& referendum eſt ad εἶδος πονηρὸν, à qvo abſtinere jubet Apoſtolus: ut, ſi conſtet illic ſolere plærumq; latitare aſpides,impenſius moneo,vel etiam revoco fratrem ab illo loco.

135 Cæterùm,magnâ ſubactione affectuum opus eſt, ne noſtrammet opinionem,pro opinione populi,aut noſtram præſumptionem pro præſumptione populi vel etiam prudentium venditemus; præſertim ſi de dictis & factis Superiorum,in qvibus Vulgus etiam ſandalia,& minutisſima qvæq; notare & obtrectare ſolet,ferendum eſt judicium.

136 De ſcientia dicti aut facti reqviſita in Superioribus, ut ex officio poſſint corripere inferiores,longè alia ratio eſt. Cùm enim Paſtori ex officio incumbat providere,ne oves etiam ad ſuſpecta paſcua ducantur,adeoqve in mores ſubditorum etiam inqvirere, qvod privato non licet: poterit ille non ſolùm dehortari à qvacunqve mali ſpecie,ſed etiam arguere qvalemcunqve ſpeciem,etiamſi neq; neceſſarium neqve freqventem nexum cum malo habeat. Ut *Joſua* in dubio,cum incertum eſſet,qvâ fini Rubenitæ,Gadditæ & Manaſſitæ novum Altare excitaſſent ad occiduum littus Jordanis, *cap. XXII,16.* Vid. *Abulenſis hic q.XI.* Rex ad ſolam delationem Oeconomi,qvod dilapidaret bona Domini,expoſtulat cum ipſo. *Matth. XVIII.*

Superiores poſſunt corripere de objecto dubio, & qvando?

137 Ex correptione autem qvâ Joſua & X. Tribus uſæ ſunt erga contribules,etiam apparet ratio licitæ qvandoqve correptionis inter privatos & pares,ſi crimen dubium, ſit crimen infectivum, vel communitati aut pluribus nociturum,ut crimen hæreſeos, ſeditionis,

nis,proditionis,homicidii,&c. magnam cladem allaturum Eccleſiæ,Reip. aut communitati,vel etiam mortem proximo,niſi is corripiatur,qvi videtur illud parare,aut conſortium habere cum parantibus. In qvo caſu & privatis licere ut corripiant proximum, parem aut inferiorem,de objecto exiſtentiâ ſuâ adhuc incerto:cenſuit *Filliucius l. d. n.133.*

138 Videtur autem in his caſibus,ubi dubium malum adhuc imminet;ſi periculum in mora eſt,tutiorem fore denunciationem periculi ad Magiſtratum,ut antevertat periculum iſtis locis, tempore,circumſtantiis,ex qvibus tamen fratris ſuſpecti individuum non innoteſcat. Qvi enim iſta tàm nefaria animo conceperunt, non videntur emendandi privatâ correptione,ſed in hiſce jam videtur exſpiraſſe effectus privatæ correptionis, qvi eſt lucratio proximi Matth,XVIII: Si autem Magiſtratus accedi neqvit, non tenetur privatus cum vitæ periculo corripere in dubio de crimine atroci proximum,ſi ſuſpicetur tantùm,Titium v.g. ſtruere vitæ Seii inſidias. Grandis enim injuria eſt,grande periculum, corripere fratrem de propoſito incerto & dubio criminis capitalis, ut non ſolùm emendatio nulla ex correptione illa ſperanda,ſed aggravatio potius delicti,qvin & multiplicatio delicti & vindicatio injuriæ per corripientem illatæ timenda exinde ſit. Indubio autem qvod jam videtur eſſe commiſſum,& à qvo nulla infectio timenda eſt, decet abſtinere tàm à correptione, qvàm à denunciatione.

§ X.

De Modo Corripiendi.

MOdus corripiendi conſideratur,ut eſt vel in animo corripientis, 139
cumq; oportet eſſe erga pares charitate plenum &manſvetum, erga ſuperiores verecundum : erga Adverſarios morum, citra contumeliam & vindictæ cupiditatem: erga Adverſarios fidei & cultus divini,ex amore ſalutis proximi &honoris divini profectum:

Digitized by Google

qvi poterit appellari *Modus internus:* Vel conſideratur in executione, in qvâ talem modum etiam *externum* adhibere decet, qvalis debebat eſſe in intentione. Modeſtum ſcilicet erga pares, verecundum & reverentem erga ſuperiores: Erga adverſarios morum, honoris & fortunæ noſtræ æqvè ac fidei & cultûs initiò blandum, poſtea aſperiorē & ſeverum, Aſperiorem tamen in Adverſarios fidei & cultus, qvàm vitiis morum obnoxios, Et inprimis adverſus Doctores & propugnatores hæreticæ pravitatis, ut poſteà deducetur.

140 Hanc intentionem modi, & intenſionem graduum, pro diverſitate objectorū & ſubjectorum corrigendorum, docuit nos Salvator, qvando lucrifactionem ſive emendationem fratris, ſcopi loco ponit: Intenſionem autem graduum corripiendi inſinuavit, præſcribendo initium correptionis à privata commonefactione; Progreſſum cum adhibitione teſtium, qvi non ſolùm deponant de veritate præmiſſæ privatæ correptionis; ſed etiam juvent intendere modum correptionis: qvod apparet ex Climace & gradatione modi, qvo excipere oporteat fratrem peccantem, ſi agnoſcere & reſipiſcere nolit? Tandem videlicet deſerendum eſſe, & habendum velut Ethnicum & Publicanum, qvo cum nulla fraterna, ſed naturalis ſolùm & civilis ſocietas, in congreſſibus neceſſariis, non autem arbitrariis, conſervetur. *Matth. XVIII, 15. ſeqq. Luc. XVII, 3.* ἐπιτίμησον αὐτῷ: *Increpa illum*, cum qvâdam autoritate, qvalem Apoſt. Petrus affectabat in Magiſtrum ſuum, *Matth. XVI, 22.*

141 Patet hæc intenſio vehementiæ ex applicatione Regulæ à Chriſto traditæ ad exemplum *ſervi neqvam*, qvi poſt iteratum delictum aſperius tractabatur qvàm initio correptionis, uti liqvet ex collatione *verſiculi 25.* cum *32. Matth. XVIII.* Ad qvem locum *Chryſoſtomus* obſervat: *non ſolùm intendi aſperitatem correptionis, creſcentibus delictis; ſed Deum injurias fratribus illatas aſperius caſtigare, qvàm debita apud ſe contracta: Ob debitum enim ſervi, qvo Domino ſuo tenebatur, non fuiſſe aſperius objurgatum, neq; nuncupatum* Δοῦλε πονηρὲ: *Sed ob inclementiam & injuriam fratri illatam inclementius fuiſſe habitum.*

142 Modum motus interni in animo, & externum in geſtibus circum-

cumſcripſit *Sirachides Cap.X,6*: ἐπὶ παντὶ ἀδικήματι μὴ μηνίσῃς τῷ πλησίον, καὶ μὴ πράσσε μηδὲν ἐν ἔργοις ὕβρεως: Vulgatus, fatentibus *Janſenio, Cornelio, Bonero & Duacenſibus*, pro μὴ μηνίσῃς & μηνιάσῃς, *ne oderis, ne mineris & indigneris* proximo: legit μὴ μιμνήσῃς: *Omnis injuriæ proximi ne memineris*: at ſcopum Autoris non eſt aſſecutus. Agitur de officio judicis: & per morale, de officio cujusqve corripientis delicta aliorum, *ne ſimultatem aut vindictam exerceant in corripiendo*, ut ferè amat fieri, ubi occaſionem nacti fuerimus corripiendi fratris. Appoſitè Lutherus: **Reche nicht zu genau alle Miſſethat/und kühle dein Müthlein nicht/wenn du ſtraffen ſolt.** Noribergenſes legunt: **Rechne nicht zu genau.** Noli nimium accuratus eſſe in computandis delictis proximi, &c. Sed exemplar Lutheri anno M D XLV. Wittebergæ apud Lufftium, legit: **Rechte nicht zu genau.** *Leo Juda*, cujus verſio Libb. Apocryphorum inſeritur Translationi primæ Lutheri, *Argentinæ M D XXX. editæ*, qvem ſeqvuntur *Tigurini in Translat. Germ. apud Froſchoverum Anno M D LI.* inhæret Vulgatæ Verſioni, qvoad interpretationem Verbi μηνίειν: **Umb keinen Unbill werd erzürnet über deinen Nechſten/und handel du nicht mit Unbill und frevlen Gewalt.** Sed rectius cenſuit *Druſius*, τὸ μηνιᾶν & μηνίειν minus benè redditum: *Ne iraſcaris.* Verbum enim Græcum potius ſignificare, *odium & ſimultatem exercere.* Patet hoc ex repetitione ejusdem verbi apud Sirachidem XXVIII,7: μὴ μηνίσῃς τῷ πλησίον καταφθορὰν καὶ θάνατον καὶ ἔμμενε ἐντολαῖς: *Ne mineris proximo perditionem & mortem, ſed acqvieſce præceptis.* Tigur. latina verſ: *Exitium aut mortem alteri ne molire per iram.* Sic μηνίαμα Sir.XL,6: *In vita humana ſunt* θυμὸς καὶ ζῆλος, μηνίαμα καὶ ἔρις. Luth. **Neid und Zanck.** Vulg. *Iracundia perſeverans.* Complutenſis editio per manifeſtum errorem legit μίμημα, *imitatio*, fatentibus Cornelio & Bonero. Aldi, Baſileenſium, & Romana exemplaria legunt μηνίαμα, ut connexio legendum oſtendit.

Digitized by Google

Caſiſtis & Criminipedis paſſim inter Venialia & veniâ digna, ſive levitate ſuâ veniam meritantia referuntur, ex Richardo de S. Victore, *de discrim. peccat. mort. à veniali*, à Navarro *Enchiridii præludio IX.* Filliucio *Tract. XXI. cap. 6.* Bonacina *Tom. II. Disp. I. Q. I. p. 7. Unde posſimus cognoſcere legem aliqvam obligare ſub mortali?* Et Diſp. 2. q. 3 Sair in *Clavi Regia l. II. cap. 14.* Reginaldo in *praxi fori pœnit. lib. XV. n. 31.* Vasqvez *in l. 2. diſp. CXXVII.* aliisq; *in l. 2. q 88. art. 2.* Ideò circa qvalitatem peccatorum, qvorum correctio cadit ſub præceptum, eosdem Pontificios aberrare neceſſum eſt.

116 Qvum autem Apoſtolus nos jubeat *cavere, ne qvis nobis perſvadeat:* Turpitudinem, ſtultiloqvium, Scurrilitatem, ſermonem ocioſum, jocoſam εὐτραπελίαν, immunditiem, &c. non eſſe peccatum; adſeveret potius, qvod *propter talia ſæviat ira Dei in filios incredulitatis* Eph. V, 4. 6. Et noti juris ſit, *Maledictum* fore, *qvi non permanet in omnibus Devt. XXVII. Qvi in uno delinqvit, omnium reum fore, Jacobi III* &c. Iccirco & iſta peccata, qvæ Caſiſtis dicuntur Venialia, corripienda & reprehendenda ſunt à qvovis proximo, ubi alius non eſt, cui ex officio proprio officium illud competat. Eſt enim univerſalis regula ad omnes, & omnia opera infrugifera tenebrarum, ad illas ipſas peccatorum ſpecies, qvæ veniales dicuntur, extenſa, eod. Cap. V. ad Epheſios verſu VII. & XI: *Nolite participes fieri eorum. Eratis aliqvando tenebræ, nunc autem lux in Domino: Nolite communicare operibus infrugiferis tenebrarum, magis autem redarguite illa.*

Legendus eſt Chryſoſtomus ad h. l. & homil. V. in II. ad Theſ-
117 ſal. III. non ſolùm qvalitatem & latitudinem ſubjecti corripientis & corripiendi, ſed etiam objectum ſive materiam ſufficientem, & modum correptionis prolixè deſcribens.

118 Porrò reqvirunt Caſiſtæ ad qvalitatem objecti corripiendi, *ut pendeat in futurum*, id eſt, ut non ſolùm commiſſum ſit, ſed etiam probabile periculum iterandi, vel evidentia continuationis adſit. E. g: Si qvis homicidium commiſiſſet, nec periculum de recidiva adſit, non teneri TE corripere homicidam, qvia peccatum ſit purè præteritum, & non pendeat in futurum, id eſt, ſolus reatus peccati incumbat homicidæ, non affectio: Ita *Angelus, Sylveſter, Cajetanus &*

Sa

Digitized by Google

Saa in ſummis. V. Correctio. *Major, Paludanus*, & nonnulli Canoniſtæ apud *Azorium Tom.2.Inſtit.lib XII. Cap.XIV.q.5.* Famoſus ille Jeſuita Dillinganus *Paulus Laymanus, Theol.moralis l.2.Tract.3.c.7. n.2.* ait: ſe inter cauſas liberantes ab onere corripiendi, datâ operâ addidiſſe hanc: Si non credas, fratrem eſſe repetiturum illud peccatum qvod commiſit: *Qvæ verba ideò addo*, inqvit, *qvia valdè probabilis eſt ſententia Gloſſæ in C. Si qvis peccaverit. 24.q.1. Syl.V. Correctio.q.1. in fine. Turriani 2,2 q.86.dub.2: Peccatum merè præteritum, ſi non ſubſit periculum recidendi, non cadere ſub obligationem præcepti correptionis, qvandoqvidem neq; ipſimet peccanti obligatio incumbit, peccatum præteritum per pænitentiam ſtatim delendi, ut ex communi dicam l.5.Tract.6.c.2,n.5.* Eandem limitationem addunt & ampliant *Reginaldus in praxi fori pænit.l,4.c.25.ſect.2.n 331.ſeq.* Caſtro Palao *Tom. I. opp.nov. Tract.VI.Diſp.3.puncto 2.* aliiqve. At rectè reſpondet *Azorius*: Hoc tàm ridiculum eſſe, ac dicere: *Teneri qvidem TE, ut fratrem moneas, ne incidat in flumen, lacum, &c. At qvando jam incidit, non teneri TE, ut inde liberes ipſum.* Qvem ſeqvuntur *Valentia Jeſ. puncto 2.* Tannerus *Diſp.2. Qvæſt.V.Dub.4.n.78. peccatum nondum emendatum, ſive adhuc in futurum pendeat, ſive jam plenè transactum ſit, eſſe objectum correptionis fraternæ.* Abulenſis autem *q.83.in cap.18. Matth.* ita limitat hunc caſum, ut dicat: *Teneri qvidem TE ad liberandum etiam fratrem ex ſolo reatu peccati præteriti, at non ante Paſcha*, ut poſtea dicendum.

Alter error eſt qvorundam Caſiſtarum & Scholaſticorum Pontificiorum, circa *peccata publica*, qvæ Reſp. permittit impunita, ut *meretricium, uſuras, &c.* qvæ in Papatu ad evitanda majora, ut ajunt, mala permittuntur. An v.g. liceat reprehendere meretricem, cui Magiſtratus permiſit exercere meretricium? Et poſito: Inſtructum eſſe qvenqvam tantâ facundiâ, ut poſſet omnes meretrices & juvenes Romæ convertere, an hoc liceat? prima ratio dubitandi eſt, qvia Reſp. hoc permittit, (2) qvia ille occaſionem daturus erat, ut plura & graviora mala committerentur, uti adulteria, ſodomiæ, & beſtialitates, qvibus minuendis ajunt permitti lupanaria: Et, ut Chriſtiani in Chriſtianos uſurariam exerceant. Has dubitandi rationes adduxit *Bannez ad Art.2,Dub.2.Concl.2.* & poſt eum *Regius* 119 *An publica peccata à Magiſtratu permiſſa, liceat corripere?*

ſolùm nó ponere cœco offendiculum,ſed illud etiam removere ne impingat,*Levit.XIX.14.* Ita ad hoc præceptum negativum, Ebræis ordine CLXVIII. Rabbini,& ex Chriſtianis *Heſychius*, *Lyra*, *Abulenſis & Lorinus* rectè obſervant ;præcipi oppoſitum,ſcilicet coherciti-onem & impedimentum offendiculi.

Eodem ſpectat præceptum de impediendo lapſu cùm domeſticorum,tùm extraneorum de tecto alieno: *Devt.XXII,8.* & pœna ejus,per cujus negligentiam qvisqvam damnum cepiſſet,ut *Auguſtinus,Theodoretus & Abulenſis* ad illum locum obſervarunt. 122

Occaſionum autem harum aliæ ſunt remotiores,aliæ propiores, aliæ proximæ: aliæ per naturam, aliæ hominum opinione tales. Ab omnibus qvidem abſtinendum,ſed à proximis & naturalibꝰ qvàm maximè: ut converſatione familiari cum flagitioſis, ſpurcis, hæreticis hominibus: cum fœminis pro conditione noſtri & ipſarũ ſtatus,ætatis & conditionis ad peccatum diſpoſitis. At eas occaſiones,qvæ ex hominum ſolâ opinione tales ſunt,neceſſe non eſt vitare,ſi officii ratio exigat in iis verſari. Qvanqvam licitum & laudabile eſt,officium alteri demandare,ſi ſuppetit ejus copia:potius, qvàm etiam ſub officio ſcandalum præbere. *Namq; etiã à licita carnis comeſtione abſtinendum eſt,ſi frater meus ſcandalizetur, Rom.XIV,21.* Ab officio neceſſario ſive phyſicè propter periculum vitæ proximi: ſive moraliter propter vocationem meam,non eſt abſtinendum, niſi aliunde ſuppleri poſſit. 123 *Diverſitas occaſionum peccandi.*

Qvemadmodum verò ad præcipitia & lapſus præcavendos magis obligabantur proprietarii,& patresfamilias in domibus ſuis, qvàm extranei in via publica,veruntamen & hi obligabãtur ad qvęcunqve lapſum hominum & jumentorum impediendum, ubi occurrerent,illi autem etiam ſtudere,& ſollicitudinem adhibere, ne labendi occaſio cuiqvam præberetur: Ita dubium non eſt, qvin ad labendi ſive peccandi occaſiones,tùm phyſicè tùm moraliter impediendas magis obligentur patresfamilias in familia ſua, Paſtores, Magiſtratus,Patres,Mariti,Domini,Tutores, &c.reſpectu ſubditorum ſuorum,ut Dd. notant *ad C. Qvamvis omnes qvi præſunt. 9. de verborum ſign. & C. Qvamvis cauſa 10.de Reg.juris*, ubi Gregorius ait: *Nõ poteſt eſſe Paſtoris excuſatio,ſi lupus oves comedit & Paſtor neſcit;* 124

 Obli-

Obligat tamen hoc præceptum qvemvis etiam proximum, non qvidem, ut indaget occaſiones, qvibus qvisqvam ad peccandum utitur, ſed ut objectas & undecunqve cognitas obſtruat moraliter, id eſt, piis monitis, præſertim eas, in qvibus eſt aut eſſe ſolet proxima ad peccandum potentia. Namqve etiam huc ſe extendit illud Siracidis juxta Vulgatum *Cap. XVII, 12: Deus mandavit unicuiq; de proximo ſuo.* Plura de qvalitate occaſionum peccandi, & obligatione proximi ad impediendum eas per correptionem fraternam, occurrent infra ad Gradum ſecundum correptionis, ubi ad Recidivam occaſio apparet.

125 *Nimia reſtrictio objecti reprehendendi* Interea repetendum memoria: falſam & veteratoriam eſſe plærorumqve Caſiſtarum limitationem de obligatione proximi tunc ſolùm tenente, *qvando proximus jam peccavit, & verſatur in occaſione proxima iterum peccandi*, qvia Dominus non dixerit: Si peccaturus eſt frater tuus, ſed, ſi peccaverit frater tuus in TE, adeoqve lapſum præſupponat, ut *Ferdinandus à Caſtro Palao L. C puncto 2. n. 2. ſeqq.* argutatur; ſecutus *Suareſium Tom. IV. de relig. lib. 10. cap. 8. n. 3. & 8.* Regium *de Act. ſupernat. diſp. 28. dub 3. n. 35.* & alios. Hæc enim mera cavillatio eſt, ejusdem probabilitatis ac ſi dicerem: Chriſtus *Lucæ XIV.* jubet aſinum extrahere de puteo, poſtqvam inciderit, ἐὰν πέσῃ, non juſſit impedire, ne incidat primâ vice, ſed tantũ impedire, ne incidat ſecundâ vel tertiâ vice. Præterqvam, qvod ſignum futuri temporis: *Si peccaturus eſt*, & reſtrictio præcepti Chriſti ad futura peccata corripienda, includat omnes futuros lapſus, tàm iteratos, qvàm primos, adeoqve ex hâc hypotheſi aut nemo unqvam corrigendus ſit ob futurum peccatum, ſive iterato, ſive primâ vice id immineat: qvod verbis Chriſti apertè repugnat: Aut verò, ſi illi ſoli corripiendi ſunt, qvi in periculo recidivæ verſantur, omne futurum ſupponet præteritum, qvod per abſurdum eſt. Ex Grammaticis autẽ conſtat, aoriſtos, inter qvos eſt ἁμαρτήσῃ Matth. XVIII. & futuri & præteriti ſignificationem habere: Deniqve majoris cùm induſtriæ tùm laudis eſt, impedire, ne gloria Dei lædatur, qvàm, ne læſa qvalitercunqve reſtituatur, aut læſionis iteratio impediatur,

Du-

Dubitatur autem de affectione extrinſecâ peccati, qvoad ejus *certitudinem relativam*: utrum oporteat peccatum corripienti eſſe omninò certum & exploratum, An verò liceat vel etiam oporteat ex ſola probabilitate, vel ſuſpicione de commiſſo peccato proximum arguere? Ratio dubitandi ſumitur ab eleemoſyna corporali: Qvemadmodum tutius eſt dare proximo, in dubio indigentiæ, & non ſolùm in extremæ necesſitatis caſu: Ita tutius eſſe, in dubio de commiſſo peccato, corripere tamen proximum. Ita *Soto de ſecreto tegendo, membro 2. q. 2. Concluſ. 4.* Adrianus *in qvartum, diſt, 19.* Et ex iis alii. At non qvadrat hæc ratio ſimilitudinis. Eleemoſynæ enim largitio in ſe & ſuo genere eſt beneficium, qvod in dubio conferre licet non indigenti, ſed probabiliter tali: Correptio autem de aliqvo peccato ſupponit in corripiendo turpitudinem qvandam, & intuitu hujus ſuppoſitionis non eſt beneficiũ, ſed tantùm ex fine & intentione ſuâ. Non ſunt autem facienda neqve imputanda cuiqvam mala, ut eveniant bona, multò minus ex ſola probabilitate mali commiſſi malum eſt faciendum, qvale eſt imputatio peccati, delicti aut criminis nondum explorati. 126 *Secunda conditio objecti corripiendi.*

127 Et hoc qvidem dubium non habet, ſi inferiores ſuperiores ſuos, qvi parentum naturalium vel ſpiritualium locum tenent, corripere velint. Ex præcepto enim divino tenentur inferiores de ſuperioribus ſuis juſta & optima qvævis, nihil verò mali præſumere, anteqvam certis & infallibilibus documentis de malo conſtet. Hoc enim pertinere ad φόβον καὶ τιμὴν ſuperioribus debitum *Rom. XIII, 7* in expoſitione Decalogi docetur: usqve adeò, ut ſuperiorum peccata etiam evidentia & clara, qvale erat Nohæ, non niſi privatâ correptione in illis liceat emendare: Erga extraneos autem oporteat etiam tegere & obvelare, niſi Superiorum pervicacia acceſſerit. Uti poſt *Ambroſium in libro de Noë cap. 31.* B. Lutherus in Commentar. ad Geneſ. IX, multis oſtendit, & præclarus eſt locus *Eccleſiaſtici III. 14 15*: *Adjuva* (ἀντιλαβοῦ, opitulare ei, fer infirmitates ejus) *patrem tuum in ſenectâ, & nunqvam contriſta eum per totam vitam ejus*, καὶ ἐὰν ἀπολείπῃ σύνεσιν, συγγνώμην ἔχε: *Et ſi defecerit judicio, condeſcende*, veniam da, καὶ μὴ ἀτιμάσῃς αὐτὸν ἐν πάσῃ ἰσχύι σου: *Et ne inhonores eum, qvantumvis præpolleas.* Gre-

Digitized by Google

128 Gregorius in illud Exemplum filiorum Noæ. *lib. XXV. Moralium: Si Magiſtrorum vita jure reprehenditur, oportet ut eos ſubditi etiã cùm diſplicent, venerentur, &c. Bonis igitur ſubditis ſic Præpoſitorum ſuorum mala diſpliceant, ut ea tamen ab aliis occultent. Operimentum averſi* (filii Nohæ) *deferunt, qvia improbantes factum, & venerantes Magiſterium, nolunt videre qvod tegunt.*

129 Correſpondet exemplum Conſtantini Magni, Caſiſtis & Moraliſtis tàm impensè laudatum, *de abjectis in focum delationibus adverſus mores Epiſcoporum, & pronunciatâ deſuper Imperiali ſententia abolitoria:* apud Theodoretum *l.I.cap.II.hiſtor.* & Rufinum *libro I. cap.8.* Qvanqvam hoc Imperatoris factum ſolam judicialem delationem Prælatorum à Collegis vel ſubditis, & publicam correptionem ſuperiorum ab inferioribus circumſcribat, privatam correptionem de crimine ſaltem certo non improbet. Improbabat tàm delationes qvàm correptiones ex ſuſpicionibꝰ natas; improbabat; qvod *privatarum offenſarum exagitatione, dogmatum inveſtigatio ſufflaminabatur, jubebatq́; accingi litigantes ad cauſam, ad qvam vocati erant*, ut Rufinus teſtatur.

130 Mandatum autem Chriſti *Matth XVIII: Increpa ipſum inter TE & ipſum ſolum*, non ſolùm nullam facit libertatem inferiori, corripiendi ſuperiorem ex merâ ſuſpicione, ſed inter pares etiam correpturos invicem, ſupponit indubitatam noticiam, & certitudinem relativam qvoad corripientem, ut patet ex formatione caſus verſic. 15. *Si peccaverit in TE frater tuus, &c.* & interrogationis Petrinæ v.21: *Qvoties peccabit in me frater meus, & remittam ei, &c.* Hæc interrogatio certè ſupponit offenſam notoriam & indubiam. Præterea, peccatum de qvo qvis corripiendus eſt, ita comparatum eſſe dicitur *ut poſſit eventualiter denunciari teſtibus & prælato*; At his nunciare qvicqvam turpe de fratre, cujus certam noticiam non habemus, delatio & calumnia eſſet. Qvemadmodum igitur ut remiſſio ſit certa, reqviritur, ut offenſa ſit certa: ita ut correptio habeat locum, oportet ut delictum ſit certum.

131 Accedit ratio à ſimilitudine illic annexa à Chriſto, ad illuſtrandam qvalitatem objecti & ſubjecti corripiendi: Qvemadmodum opor-

oportet eſſe evidens,ovem aberrare à mandris & caulis ſuis, anteqvam reducendi opera elocetur, *ibid.v. 12,13.ſeqq*: Ita oportet errorem proximi eſſe manifeſtum,*feſtucam in oculo oportet manifeſtò apparere*,anteqvam mihi liceat dicere fratri: *ſine, ejiciam feſtucam de oculo tuo: Matth.VII,4.*

132 Et hoc itidem eſt inter præcepta Sirachidis Cap. XIX, 4: *Qvi cito credit levis eſt corde.* Verſu 15: *ſæpe enim fit calumnia vana, & noli omni ſermoni credere.* Qvanqvam enim nonnullis videatur approbare Autor correptionis officium etiam in dubio,v.13. & 14: Corripe,ἔλεγξον amicum,*ne fortè non fecit, & ,ſi fecit, ne addat facere,&c.* Obſervarunt tamen *Camerarius, Janſenius & Druſius*: verbum ἐλέγχειν h.l. nudam ſignificationem rumoris aut famæ, qvæ de iniqvo cujusqvam dicto aut facto ab uno vel plutibus fertur, proximo faciendam notare: Neminem verò propriè arguendum eſſe,niſi de culpa manifeſtâ crimineqve explorato. Qvi vulgatam verſionem ſeqvuntur,plærumqve ſic exponunt: *Suggere Amico famam qva de ipſo ſpargitur,ne fortè non intellexerit,qvid de ſe feratur,& à TE admonitus dicat,& oſtendat tibi,ſe non feciſſe illud,qvod ei imponitur. Sic & ille apud TE liberabitur à mali ſuſpicione,& Tu à mala de ipſo opinione.* Ita *Palacius,Janſenius,Bonerus,Cornelius & Duacenſes* in Bibliis Magnis.

133 Enimverò,cùm differant ſpecies mali,qvales ſunt occaſio,locus,tempus,qvibus ſolet agi malè,& malum ipſum; hinc differre neceſſe eſt etiam admonitionem de abſtinendo à ſpecie mali, à correptione de malo jam perpetrato. Cumqve præbitio ſpeciei malæ & ipſa ſub interdicto ſit,*I.Theſſ.V,23*: conſeqvens eſt,ut iſthæc apparentia mali aliqvando cadat ſub nudam admonitionem,aliqvando autem ſub correptionem paris erga parem. Inferioribus enim incumbere,ut de ſuperioribus præſumant juſta & ſancta, ſuperius oſtendi.

134 Itaq;, ſi dictum aut factum proximi per ſe ex prima impoſitione ſignorum viſibilium vel audibilium,ex conſenſu populi, ex more regionis,non ſignificat aliqvid per ſe malum, neqve connexum eſt regulariter,& ut plurimum cum conſeqvente aliqvo malo, locꝰ

non eſt ſive admonitioni ſive correptioni,ſed eſt ſuſpicio temeraria ſuſpicantis;qvi propterea & ipſe corrigendus eſt, *I.Tim.VI,4.* Si autem dictum vel factum ob qvalitatem & circumſtantias perſonarum,locorum,temporum,geſtuum,ſermonum,&c. inclinet per accidens ad malum;*cadit ſub ſolam admonitionem fraternam*, ut, ſi probabiliter credam,illic latere aſpidem ubi reclinaturꝰ eſt frater,moneo,ut circumſpiciat: Si ut plurimum autem & freqventer, & ex opinione vulgi inclinet aut inclinare videatur ad malum,tunc cadit ſub correptionem fraternam,& referendum eſt ad εἶδος πονηρὸν, à qvo abſtinere jubet Apoſtolus: ut, ſi conſtet illic ſolere plærumq; latitare aſpides,impenſius moneo,vel etiam revoco fratrem ab illo loco.

135 Cæterùm,magnâ ſubactione affectuum opus eſt, ne noſtrammet opinionem,pro opinione populi,aut noſtram præſumptionem pro præſumptione populi vel etiam prudentium venditemus; præſertim ſi de dictis & factis Superiorum,in qvibus Vulgus etiam ſandalia,& minutisſima qvæq; notare & obtrectare ſolet,ferendum eſt judicium.

136 De ſcientia dicti aut facti reqviſita in Superioribus, ut ex officio poſſint corripere inferiores,longè alia ratio eſt. Cùm enim Paſtori ex officio incumbat providere,ne oves etiam ad ſuſpecta paſcua ducantur,adeoqve in mores ſubditorum etiam inqvirere, qvod privato non licet: poterit ille non ſolùm dehortari à qvacunqve mali ſpecie,ſed etiam arguere qvalemcunqve ſpeciem,etiamſi neq; neceſſarium neqve freqventem nexum cum malo habeat. Ut *Joſua* in dubio,cum incertum eſſet,qvâ fini Rubenitæ,Gadditæ & Manaſſitæ novum Altare excitaſſent ad occiduum littus Jordanis, *cap. XXII,16.* Vid. *Abulenſis hic q.XI.* Rex ad ſolam delationem Oeconomi,qvod dilapidaret bona Domini,expoſtulat cum ipſo. *Matth. XVIII.*

Superiores poſſunt corripere de objecto dubio, & qvando?

137 Ex correptione autem qvâ Joſua & X. Tribus uſæ ſunt erga contribules,etiam apparet ratio licitæ qvandoqve correptionis inter privatos & pares,ſi crimen dubium, ſit crimen infectivum, vel communitati aut pluribus nociturum,ut crimen hæreſeos, ſeditionis,

nis,proditionis,homicidii,&c. magnam cladem allaturum Eccleſiæ,Reip. aut communitati,vel etiam mortem proximo,niſi is corripiatur,qvi videtur illud parare,aut conſortium habere cum parantibus. In qvo caſu & privatis licere ut corripiant proximum, parem aut inferiorem,de objecto exiſtentiâ ſuâ adhuc incerto: cenſuit *Filliucig l. d. n.133.*

Videtur autem in his caſibus,ubi dubium malum adhuc imminet;ſi periculum in mora eſt,tutiorem fore denunciationem periculi ad Magiſtratum,ut antevertat periculum iſtis locis, tempore,circumſtantiis,ex qvibus tamen fratris ſuſpecti individuum non innoteſcat. Qvi enim iſta tàm nefaria animo conceperunt, non videntur emendandi privatâ correptione,ſed in hiſce jam videtur exſpiraſſe effectus privatæ correptionis, qvi eſt lucratio proximi Matth,XVIII: Si autem Magiſtratus accedi neqvit, non tenetur privatus cum vitæ periculo corripere in dubio de crimine atroci proximum,ſi ſuſpicetur tantùm,Titium v.g. ſtruere vitæ Seii inſidias. Grandis enim injuria eſt,grande periculum, corripere fratrem de propoſito incerto & dubio criminis capitalis, ut non ſolùm emendatio nulla ex correptione illa ſperanda,ſed aggravatio potius delicti,qvin & multiplicatio delicti & vindicatio injuriæ per corripientem illatæ timenda exinde ſit. In dubio autem qvod jam videtur eſſe commiſſum,& à qvo nulla infectio timenda eſt, decet abſtinere tàm à correptione, qvàm à denunciatione. 138

§ X.

De Modo Corripiendi.

MOdus corripiendi conſideratur,ut eſt vel in animo corripientis, 139
cumq; oportet eſſe erga pares charitate plenum & manſvetum, erga ſuperiores verecundum: erga Adverſarios morum, citra contumeliam & vindictæ cupiditatem: erga Adverſarios fidei & cultus divini,ex amore ſalutis proximi & honoris divini profectum:

Digitized by Google

cumſcripſit *Sirachides Cap.X,6*: *ἐπὶ παντὶ ἀδικήματι μὴ μηνίσης τῷ πλησίον, καὶ μὴ πράσσε μηδὲν ἐν ἔργοις ὕβρεως*: Vulgatus, fatentibus *Janſenio, Cornelio, Bonero & Duacenſibus*, pro *μὴ μηνίσης* & *μηνιάσης*, *ne oderis, ne mineris & indigneris* proximo: legit *μὴ μιμνήσης*: *Omnis injuriæ proximi ne memineris*: at ſcopum Autoris non eſt aſſecutus. Agitur de officio judicis: & per morale, de officio cujusqve corripientis delicta aliorum, *ne ſimultatem aut vindictam exerceant in corripiendo*, ut ferè amat fieri, ubi occaſionem nacti fuerimus corripiendi fratris. Appoſitè Lutherus: **Reche nicht zu genau alle Miſſethat/und kühle dein Müthlein nicht/wenn du ſtraffen ſolt.** Noribergenſes legunt: **Rechne nicht zu genau.** Noli nimium accuratus eſſe in computandis delictis proximi, &c. Sed exemplar Lutheri anno MDXLV. Wittebergæ apud Lufftium, legit: **Rechte nicht zu genau.** *Leo Juda*, cujus verſio Libb. Apocryphorum inſeritur Translationi primæ Lutheri, *Argentinæ MDXXX. editæ*, qvem ſeqvuntur *Tigurini in Translat. Germ. apud Froſchoverum Anno MDLI.* inhæret Vulgatæ Verſioni, qvoad interpretationem Verbi *μηνίειν*: **Umb keinen Unbill werd erzürnet über deinen Nechſten/und handel du nicht mit Unbill und frevlen Gewalt.** Sed rectius cenſuit *Druſius*, *τὸ μηνιᾷν* & *μηνίειν* minus benè redditum: *Ne iraſcaris.* Verbum enim Græcum potius ſignificare, *odium & ſimultatem exercere.* Patet hoc ex repetitione ejusdem verbi apud Sirachidem XXVIII,7: *μὴ μηνίσης τῷ πλησίον καταφθορὰν καὶ θάνατον καὶ ἔμμενε ἐντολαῖς*: *Ne mineris proximo perditionem & mortem, ſed acqvieſce præceptis.* Tigur. latina verſ.: *Exitium aut mortem alteri ne molire per iram.* Sic *μηνίαμα* Sir.XL,6: *In vita humana ſunt θυμὸς καὶ ζῆλος, μηνίαμα καὶ ἔρις.* Luth. **Neid und Zanck.** Vulg. *Iracundia perſeverans.* Complutenſis editio per manifeſtum errorem legit *μίμημα, imitatio*, fatentibus Cornelio & Bonero. Aldi, Baſileenſium, & Romana exemplaria legunt *μηνίαμα*, ut connexio legendum oſtendit.

Digitized by Google

petratorum,cui Paulus Apoſtolus *Rom.I,20.28.ſeqq.* tàm immania & horrenda flagitia accepta refert? *Infidelibus & pollutis*(qvales erant Phariſæi & Judæi,etiam coram mundo vitam inculpatam ducentes,de his enim ſermo eſt) *omnia ſunt immunda, nihil purum , ſed polluta eſt eorum mens & conſcientia, ad Titum I,15.* Horrenda illa gentilium flagitia pullulabant ex radice *corruptæ opinionis de Deo & Chriſto,ex vanitate conceptuum, ex tenebris intellectus, ex converſatione extra veram Dei Eccleſiam,ex ignorantia veri,ex obturatione & πωρώσει cordis illorum*: Ex his radicibus illos flores pullulaſſe credimus Apoſtolo *Epheſ.IV,17.18.19.ſeqq. Cap.II,12. Cap. V,3. 4.* ubi radix illorum flagitiorum dicitur fuiſſe v.6.& 8: ἀπείθεια καὶ σκότος. E contra vera & clara cognitio de Deo & Chriſto,dicitur radix omnis ſanctitatis,caſtitatis,totiusqve mundi virtutum *Rom.VI,17.Cap.XIII,12.ſeqq. I.Cor.XII,2.3, ad Galat.IV,8.9.ſeqq.*

Qvamvis igitur & Errones & errores in fide initiò modeſtè corripiendi ſint; præſcripſit tamen nobis Apoſtolus metas temporis & modi,uti in correptione vitiorum moralium Chriſtus *Mat. XVIII. corripe eum,ſemel,bis,iterum: primò ſeorſim , poſtea adhibitis teſtibus,&c.* Ita correptionem erronum in fide ſemel iterumq; inſtituendam ait Apoſtolus *Tit.III,10.* Et hunc qvidem proceſſum præſcribit circa eos,qvi ex nobis egrediuntur,dum egrediuntur, ut *Hymenæus,Philetus*,& ejus commatis Apoſtatæ. 145

Qvi autem nunqvam noſtri fuerunt,ſed in hoſtico educati & exercitati hac fini ſunt,ut veritati & orthodoxiæ inſultent, illi utiq; tanqvam profeſſi hoſtes tractandi ſunt. Si emendatio non ſeqvitur,talem hominem vitandum & fugiendum Apoſtolus docet. Inauditum eſt enim in Chriſti Eccleſia: *Doctores heterodoxos*,ſive heterodidaſcalos,qvi diverſos à nobis cætus faciunt, diverſas Confesſiones & libros Symbolicos venditant & profitentur,in qvibus plura dogmata orthodoxa condemnant & rejiciunt ; qvi ab orthodoxis ad ipſos deficientibus aliam confeſſionem,alia ſacra,alios ritus exigunt,voce & ſcriptis orthodoxam Eccleſiam perſeqvuntur, cultum orthodoxum non niſi lucri ſui cauſa, aut ex contractu locati & conducti in ſeparatis à ſe locis tolerant; Hos inqvam in elencho 146

De apertis hoſtibus ſemper malū præſumitur.

do-

doctrinæ & fidei tractandos eſſe,ut fratres in Chriſto. Abſurdum & abſonum hoc eſt.

147 *Apellitarum,Arianorum*, *Donatiſtarum* aliorumqve manifeſtorum hæreticorum illæ fraudes erant,ut hujusmodi monita Apoſtoli *Rom.XIV,1: Infirmum in fide ſuscipite. II.Theſſ.III,14: Si qvis non obedit verbo noſtro,per epiſtolam hunc notate,& ne commiſcemini cum illo,ut confundatur: Et nolite ut inimicum exiſtimare,ſed corripite ut fratrem.* II.Tim.II 24: *Servum Domini non oportet litigare,ſed manſvetum eſſe ad omnes, Docilem,patientem,cum modeſtia corripientem eos, qvi reſiſtunt veritati,*& alia hujusmodi in ſe ſuamqve ſectam derivarent,qvò hæreſi ſuæ cubilia tutius ſternerent,& ad excludendos pullos nidos ſecurius ponerent,uti pulchrè docuit Athanaſius in epiſtola περὶ τῆς τῶν Ἐκκλησιῶν ταραχῆς, ſive *Tragœdiâ de Autoribus motuum Eccleſiaſticorum*,qvæ extat *Tom.2 Opp.Græcolat.Comelin.edit.fol.245.ſeqq.* ubi ex proſopopœiâ Arianorũ, hæc ipſa Teſtimonia adducũtur, qvibꝰ illi manſvetudinem ſuam laudabant,culpam omnem motuum publicorum in Eccleſiarum Antiſtites rejiciebant: Ταῦτα δραματουργεῖ διὰ πολλῶν ἱερέων: *Hoc drama* inqviebant Ariani, *excitant nobis Episcopi & Sacerdotes rigore ſuo:* Arianis autem peracturis ſacra, aut docturis populum,blandiſſima hæc ſalutatio in ore erat: *Pax ovibus &c. At ex fructibus eorum,*reſpondet Athanaſius,*cognoſcite eos. Hoc opus,hæc ſalutatio eorum: Diſperdere,non colligere: Expellere, non revocare ſignificat.*

Hæretici conniventiam vocant modeſtiam. Vide n. 184.

148 Donatiſtas eadem Teſtimonia Apoſtoli jactitantes ſæpisſimè retudit,*Tom.7. Auguſtinus l.1. contra Cresconium cap.6.l 3. contra literas Petiliani ca.4. De corrept. & grat.capp.15. & 16.* Manichæos eadem objectantes confutavit *Tom.I.lib.2.de moribus Manich.c.14. & contra Adiamantum Manich.cap.14.Tom.6.* ex qvibus poſtea nonnulla delibabo.

149 Teſtimonia verò ipſa inſpecta,luce ſuâ fidem faciunt, Neqvaqvam ſermonem eſſe de *Sectariis*,diverſos cætus,diverſos libros Symbolicos Sectantibus,& Eccleſiæ doctrinam, Eccleſiæ Symbola, Sacramenta & ritus improbantibus,perſtringentibus & abjicientibus, ut hodie Calviniſtæ,Arminiani,Pontificii palàm faciunt.

Ad

Digitized by Google

Ad Rom XIV, evidens ſermo eſt, ratione ſubjecti, de fratre e- 150
jusdem fidei & cætus, de converſis à Judaismo ad Chriſti doctrinam; Reſp. ad Rom.
& ratiõne objecti, de diſſentiente circa ſolas ceremonias externas, XIV, 1.
de comedendâ vel de non comedendâ carne, de comedendo vel
non comendendo in ſocietate eorundem Chriſtianorum, qvi non
à Judaismo, ſed à Gentiliſmo ſive Paganiſmo acceſſerant ad Eccle-
ſiam, qvod tàm clarum eſt, ut nullâ demonſtratione egeat.

II. ad Theſſal. III, 15. itidem ſermo eſt, ratione ſubjecti *de con-* 151
corpore ejusdem cætus, qvi inordinatè ambulabat *ἐν ὑμῖν inter vos*. ver- Reſp. ad II.
ſu II: Ratione Objecti autem non de diſſenſu circa dogmata fidei, Theſſal. III, 15.
ſed de inobedientia qvoad mores, & in ſpecie, qvod ad otium & a-
cediam Oeconomicam attinebat, *μηδὲν ἐργαζόμενοι, ἀλλὰ περιεργαζόμενοι*: Reprehenduntur ocioſi, nihil operantes; ſed curioſita-
tem exercentes in negociis ad ſe non ſpectantibus, His denunciatur,
ut operentur aliqvid manibus, & qvidem cum modeſtia, aliàs non
eſſe alendos ex publico. Qvod ſi talium qvisqvam huic ordinatio-
ni verbo & ſcripto Apoſtoli ſancitæ non obediat, eum denunciari
jubet, & corripi ab ipſis confratribus, neqve tamen haberi ut inimi-
cum, ſed ut fratrem. Ita Chryſoſtomus de pudore ejus, qvi, cùm
piger ſit, & laborare detrectet, cum opprobrio ſuo, & exprobratio-
ne ex publico alitur. *Non dixit Apoſtolus*, inqvit, *ignoſcite eis, donec
corrigantur; ſed, ſubtrahite vos ab ipſis & eos increpate, ne tamen eos, ut
fame intereant, deſpicite. Qvid ergò? Si noſtram ad ſe trahens obedien-
tiam, maneat otioſus? Adverſus hoc placidum & benignum ſuggeſſi me-
dicamentum: Subtrahite vos ab eo, hoc eſt: ne detis & fiduciam & lo-
qvendi libertatem, ſed oſtendite vos ei ſuccenſere, non eſt hæc parva pœna:
Talis ſit ad fratres increpatio, ſi verè eos volumus corrigere, διορθῶσασθαι: neq; enim ignoramus τρόπους τῆς ἐπιτιμήσεως: modos corripi-
endi, &c.* Qvid hæc ad modum corripiendi manifeſtos Sectarios,
& cumprimis Duxios, ut Lutherus vocabat, Choragos & Duces Se-
ctariorum?

Parænefis Apoſt. II. ad Tim. II, 25. videtur etiam ad Hæreticos 152
eorumqve Doctores extendi, qvia ſubjecta, qvibus ſervus Dei jube- Reſp. ad II.
tur exhibere in docendo & corripiendo manſvetudinem, deſcribi- Tim. II, 25.

tur à *μάχη* à pugna,&qvidem *μωϱαῖς καὶ ἀπαιδεύτοις ζητήσεσι, qvòd pugnent ſtultis & ineruditis qvæſtionibus.* Erga hos adverſarios, & ſic *ἀντιδιατιθεμένους jubetur eſſe ſervus Dei docilis,patiens , & cum modeſtia eos corripere.* Lyra,& qvædam exemplaria Latina addunt objectum, cui reſiſtunt corripiendi,nempe *τῇ ἀληθείᾳ* , *veritati.* At qvi genium phraſeos Apoſtolicæ obſervarint , deprehendent ,periphraſin hanc Erronum, propriè *ad Judæos nondum ad Chriſtum converſos* pertinere,non ad hæreticos, â veritate Chriſtianâ recidivos. Qvæſtionum enim Judaicarum *de Genealogiis , & obſervationibus Leviticis, de circumciſionis præſtantiâ: qvodnam ſit præcipuum præceptum in lege, &c.* freqvens hoc epitheton eſt,ut dicâtur *μωϱαὶ ζητήσεις ſtultæ qvæſtiones,litigia,pugnæ legales , inutiles , vanæ , ad Tit.III,9. I.Tim.I,4.5.6: μῦθοι καὶ γενεαλογίαι ἀπέϱαντοι.fabulæ & interminabiles genealogiæ; ματαιολογίαι τῶν δοκούντων νομοδιδασκάλων: Vaniloqvia , eorum qvi volunt eſſe Legis periti.* Sic cap.IV,7: *profanæ & aniles nugæ.* Et cap. VI,20: *profanæ novitates , & objectiones falſo appellatæ eruditionis* appellantur,uti & l.d. Apoſtoli v.*14.16.23. νομικαὶ μάχαι* præcipuè no-
154 tantur.

At faciles ſimus ad extendendum objectum corripiendum etiam ad errores capitales de fide: Meminerimus tamen limitum correptionis ab Apoſtolo illic poſitorum:ſcil, Nō ſemper nec perpetuo tales ferendos,ſed *poſt unam atq; alteram admonitionem devitandos & cobibendos eſſe*,ne diſſeminent virus ſuum:& tandem plane *deſerendos.* Hoc enim ſignificat illud *πεϱίστασο*,eopte capite: qvo præſcribitur modeſtia in corripiendis diſſentientibus: *II.ad Tim. II, 16. profanas vocum novitates, καινοφωνίας*, vel ut alii legunt, *κενοφωνίας, vanitates probibe,cobibe,circumſcribe, ne procedant ad majorem impietatem,ne ſerpant,ſicut cancer.* Sic *πεϱιίστασθαι πόλιν , circumſiſtere civitatem*,idem eſt qvod *κυκλῶσαι, cingere*,circumvallare,impedire exitum. *Joſuæ VI,3. Φϱουϱὰν πεϱιστήσασθαι πεϱὶ τὸ σῶμα*, apud *Appianum III. de bello civili*: captivis *dare cuſtodiam,ne elabantur.* Qvam allegoriam expoſuit Chryſoſtomus,jubens limites poni pravis doctrinis: *οὐ δὲ γὰϱ μέχϱι τούτου στήσονται; non enim conſiſtent in terminis initiorum ſuorum. Qvoties aliqvid fuerit introductum,ſemper plures καινοτομίας,plura ſegmenta novitatum gignit. Illimitatus eſt error , neſciens limi-*

Digitized by Google

limitem: ἄπειρος ἡ πλάνη τοῦ ἐξελθόντος τὸν λιμένα τὸν εὔδιον: *i. Infinitus ſit error ejus, qvi ſemel reliqvit tutum veritatis portum.*

Idem Chryſoſtomus monitum illud Apoſtoli, de Adverſariis modeſtè corripiendis, limitavit *ad initia*, qvando hoc modo conciliat præſens dictum Apoſtoli, cum illo ad Titum: *Hæreticum hominem poſt unam atq; alteram admonitionem devita: Hoc*, inqvit, *de illo monet, qvi corrigi non vult* (τὸν ἀδιόρθωτον λέγει, ὃν οἶδεν ἀνίατα νοσοῦντα, *qvem videt inſanabili morbo detineri. Ergo modeſtiam in corripiendo adhiberi jubet illi, de qvo ſpes eſt emēdationis, ut* è veſtigio in textu ſeqvitur. *Ne forte det eis Dominus ut reſipiſcant à laqveis Diaboli. Ac ſi dicat* (habet gloſſa Chryſoſtomi) *Fortasſis aliqva ſeqvetur emendatio, Fortasſis autem de rebus dubiis ponitur. Ergò, inqvit, ab illis ſolis abſtinendum eſt hortatione, de qvibus apertam ferre poſſumus ſententiam, & perſvaſi ſumus, qvantalibet fiant, eos nunqvam ad veritatis viam eſſe revocandos, ſed* (gr. μεταςήσονται,) *qvòd pertinaces futuri ſint.* Poſſumus autem de eo eſſe probabiliter certi ex limitibus ab Apoſtolo poſitis Tit. III, 10: *Sciens, qvod* poſt unam atqve alteram νουθεσίαν non emendatus, *perverſus ſit*, αὐτοκατάκριτος: *qvi habeatur & in ſua & in νουθετοῦντος mente pro convicto.* 154

Qvantum enim ſufficit, ut qvis in moralibus habeatur pro convicto, *Matth. XVIII:* Tantùm etiam ſufficit, ut in doctrinalibus & intellectualibus codice divino propoſitis, habeatur pro convicto, poſt unam alteramqve commonefactionem: uti poſtea qvando de Tempore tùm inſtanti tùm durante correptionis agendum, exponetur. 155 *Qvando qvis habendus pro convicto.*

De gravitate & ſeveritate corripiendi heterodoxos, præſertim Doctores, legendus eſt *Spencæus* in hoc caput ſecundum poſterioris ad Timotheum. *Si qvis venit ad Vos* (Pſeudoprophetarum eſt *venire* in veſtitu ovium, ſeqve ingerere non vocatos, uti h. l. & ad Joh. X. obſervavit *Auguſtinus*) *& hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in domum, nec Ave ei dixeritis: Qvi enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis*, habet ſvaviſſimi Diſcipulorum Chriſti vox. *II. Joh. verſu 10.* Paulus Tito ſuo Cap. I, 11. 13: *Oportet illis obturare os: Argue eos ἀποτόμως, ut convaleſcant in fide, nec attendant Judaicis fabulis.* Chryſoſtomꝰ ad illud ἀποτόμως. Βαρυτέραν, φησὶ, δίδου τὴν πληγὴν 156 *Hæretici graviter reprehendendi.*

*Profundiorem,*inqvit,*infflige plagam. Eoq́; ſic loqvitur,qvòd iſti ſint moribus valdè impudentes,ſubdoli & profligati : Neq; enim omnibus pari codemq; modo infligendum eſt vulnus correptionis* (ὐγδ πᾶσιν ἑνὶ τρόπῳ προσενεκτέον) *ſed diverſimodè, variè,*καὶ πρὸς τὰ ὑποκείμενα,*& habitâ ſubjectorum objectorumq; ratione. Neqvaqvam conſolatoriis h.l.verbis utitur Apoſtolus. Nam, Qvemadmodum qvi manſvetum & ingenuum,*(εὐγενῆ) *durius increpat,ipſum utiq; perimit ac perdit : Itaq; qvi blandius eum demulcet,qvi verborum acrimoniâ opus habet,utiq; hunc corrumpit, nec ſinit ad meliorem vitæ frugem exſurgere.*

157 Exemplo confirmavit Johannes Apoſtolus,qvod docuerat per
Epiſtolam : *detrectans eidem ſe cum Cerintho hæretico committere balneo,uti Gloſſa ordinaria,& Beda* ad hunc locum obſervant. Et*Polycarpi* Martyris reſponſum,qvod occurſanti blandientiq; Marcioni in faciem projectavit : *Agnoſco TE primogenitum Diaboli,*&c. ex Irenæo
etiam annotandum cenſuit *Euſebiq IV. Hiſtor.13.* Cyprianus mox i-
158 nit. Epiſtolarum ad Cornelium Romanum : *Declinent fortiter* (in-
Tituli hetero didaſcalorũ.
qvit)&*evitent fratres noſtri* (in Romana ſc. Eccleſia cõſiſtentes.Cornelio enim legẽ præſcribit,eumq; ſimul reprehendit,qvod hæreticos illic toleraret) *verba & colloqvia eorum,qvorum ſermo ut cancer ſerpit. Nulla cum talibus commercia,nulla convivia,nulla colloqvia miſceantur : ſintq; ab eis tàm ſeparati,qvàm ſunt illi ab Eccleſiâ profugi.* Hilarius in Orat. contra Auxentium, de Mediolanenſibus eadem templa freqventantibus cũ Arianis:*Malè vos,*inqvit,*parietũ amor cœpit: Malè Eccleſiã DEI in lectis ædificiisq; veneramini: Malè ſub his pacis nomẽ ingeritis.*

Collegit ſecundum ordinem Alphabeti,veterum Eccleſiæ Do-
159 ctorũ epitheta,qvæ Heterodidaſcalis impoſuerunt,*Abbas de Riviere, in Appellatione* à judice compromiſſario Petro Paulo de Bellis, qvi cauſâ Calvini & modernorum Dominicanorum communem eſſe pronunciaverat.Titulum libro præſcripſit:*Calviniſmus Beſtiarum religio. Ignatius* certè *Baſiliſcos* vocat,*Dracones,canes rabidos. in epiſt ad Antiochenos.* Irenæus: *Canes.* 2.adv. hær.c.12.Clemens.Alex.3. Strom. *Hircos.* Nazianz.Orat.XLII.*Porcos.* Hieronym. 1.cont. Jovin. *Sues,&c.* Nec futurum erit difficilè, ex ſolius Cypriani & Auguſtini ſcriptis integrum Alphabetum colligere conviciorum,qvibus illi vel ſolos *Novatianos & Donatiſtas* exceperunt, tàm grãdib9 erroribus neqvaqvam obnoxios,qvibus obnoxia eſt Calviniſta-

Digitized by Google

niſtarum & Pontificiorum doctrina publica: Et illi tamen freqvẽter audiunt *AntiChriſti, lupi, interfectores animarum, interfectores pœnitentiæ, fures, latrones, ſacrilegi, &c.* Totus ferè prior liber Aug. cõtra *Creſconium* eſt Apologeticus; qvod Donatiſtarum errorem *ſacrilegum errorem* appellaſſet. Act. I. Concilii Chalced. *Eutyches & Dioſcorus* aliqvoties vocantur φονεῖς καὶ λῃσταὶ: *Homicidæ & latrones: Blaſphemi, ſacrilegi,* qvi integram tamen Trinitatẽ aliaqve omnia Myſteria fidei confitebantur: ſolùm poſt incarnationem Chriſti duas φύσεις diſtinctas manere negabant. Et publica tamen voce clamabat Synodus; *Anathema Dioſcoro, Anathema Homicidæ, cumburatur totus, fiat in duo, qvi diviſit totum, &c.* teſtibus Actis apud Binium Tom. 2. parte 1. f. 80. ſeqq. *Symbolorum univerſalium* plena approbatio neqvaqvam eos liberare poterat ab ejectione è cætu, & anathemate. *Neſtorio* provocanti ad *Nicænũ & Conſtantinopolitanũ Symbolũ*, reſpondebatur à Synodo Epheſina, ap. *Bin. fol. 152: Nõ ſufficiet, ſi Reverentia Tua illud μόνον (ſolum) confiteatur nobiscũ; Verùm præter hoc etiã neceſſariũ eſt, ut ſcripto & qvidẽ jurato confitearis, qvòd anathematizes & exereeris & abjures, qvæ ſceleſtè & profanè hactenꝰ ſenſiſti, aliosq; docuiſti, &c.* Nazianz. Epiſt. 2, ad Caldonium, contra Apollinaris hæreſin ait: *opus fuiſſe explicare τὸ ἐλλιπῶς εἰρημένον à Synodo Nicæá, eo, qvod qvæſtio illa tunc nondum mota fuiſſet.* Ex Orthodoxis D. *Balduinꝰ*, Præcept. meus B. 160
m. *lib. IV. Caſ. Conſc. cap. VII:* caſu 3. aliqvot cauſas adducit, ob qvas: ratione *modi* acerbius, & ratione *individui* clarius atqve evidentius, ratione *temporis* maturius & citius inſurgendum ſit adverſꝰ corruptelas doctrinæ, qvam in corruptelas morum, qvia (1) Hæreſis ſub ſpecie pietatis & divinæ veritatis ſeſe inſinuat: flagitia ipſà ſui turpitudine exoſa ſunt. (2) Hæreſes occultè ſerpunt: Flagitia incurrunt in oculos (3) Illæ ſtudio ſparguntur: hæc ſtudio occultantur. (4) illæ ſive novitate objecti ſive modo proponendi alliciunt, iſta fœtent (5) Illæ radicem omnis piæ actionis, fidem inficiunt, iſta plærumqve ſola folia & frondes depaſcunt. (6) Chriſtus, Apoſtoli & Prophetæ, omnesq; Orthodoxi Doctores usq; qvaq; vehemẽtiꝰ invecti ſunt in Idololatras & fidei corruptores, qvàm eos qvi per ſola vitia morum ſcandala dabant. Conferendus eſt de hoc argumento ex Calviniſtis *VVolff. Muſculus in Locis Commun. L. LXVII. de Hæreſi.* & moderna praxis *in Arminianos, Amyraldiſtas, Fratres Marianos,* hodiernorum Calviniſtarum.

Univerſaliũ Symbolorum profeſſio neminem liberat ab hæreſi.

Qvi

Digitized by Google

161 Qvi hodie putant: Doctores Pontificios & Calvinianos nimis acerbè à nobis refutari, legant *Athanaſii, Hilarii, Cyrilli Alexandrini, Hieronymi, & Auguſtini polemica, Baſilii in Evnomium*, vel ſaltem *Epiphanii* hæreſeologiam, & componant eorum Zelum cum noſtro.

162 *Sulpitius in vita S. Martini Thuronenſis* Epiſcopi, Dial. 3. refert: *Sanctū illum correptum fuiſſe ab Angelo, qvod Ithacium Arianum nimis remiſsè argueret*: Addit, *ob conniventiam hanc, poſthac non æqvè prompte ab ipſo curatos fuiſſe Energumenos: Et Martinum eos, qvos poſtea vixit ſedecim annos, omni Synodo præ pudore abſtinuiſſe.*

163 Qvid in Julianum Apoſtatam, qvid in Conſtantium Arianum, qvid in Eudoxiam Imperatoris Matrem non dixerunt Hilarius, Lucifer Calaritanus, Athanaſius, Chryſoſtomus? *Hoc tibi prodam Conſtanti, qvod Neroni locuturus fuiſſem, qvod ex me Decius & Maximianus audirent: Contra Deum pugnas, contra Eccleſiam ſævis, ſanctos perſeqveris, religionem tollis, Tyrannus jam non humanarum ſed divinarum rerum es: Chriſtianum TE mentiris, Chriſti novus hoſtis es, Antichriſti præcurſor, &c* Paulò poſt: *Tu Conſtanti, omnium crudelium crudelisſimè, omnium mortalium ſceleſtisſimè, magis in nos qvàm Pagani deſævis.* Hæc Hilarius Orat. in Conſtantium.

164 *Lucifer Calaritanus*, qvem Athanaſius ſeculi ſui Eliam vocat, in Orat. *de morte appetenda pro Filio Dei*, eundem Conſtantium ſic inceſſit: *Arii vermis, indignè fers qvod defendamus Filium Dei? ſi tandem oculos ſerpentis morſibus confoſſos aperias, invenies ſtolidisſime Imperator, Chriſtianos ubiq; locorum, ſicut nos credere, ac pro Filio Dei, ſicut nos, mori cupere; At tua novella prædicatio ac recens religio blasphemia eſt.* Legatur tota Epiſtola Athanaſii *ad ſolitariam vitam agentes*: *Qvis auſit*, ait, *Conſtantium Chriſtianum appellare? ac non potius AntiChriſti imaginem? Qvid enim ex notis AntiChriſti huic deeſt? Aut qvid eſt, cur non omnibus modis Conſtantius AntiChriſtus, & viciſſim AntiChriſtus Conſtantius habeatur?* Et paſſim eum *Apoſtatam, fidei deſertorem, Judam Scarioth, Canem, Carnificem, Filium perditionis, peſtem, Belluam, malorum omnium voraginem appellat.*

Chryſoſtomus ad populum Antioch. de Imperatrice: πάλιν
165 ἡρωδίας μαίνεται, πάλιν ταράττεται, πάλιν ὀρχεῖται, πάλιν ἐπὶ πίνακι

ζη-

Digitized by Google

ζητεῖ τὴν κεφαλὴν ἰωάννȣ &c. πάλιν ἰεσαβὲλ ζητεῖ τὸν ἠλίαμ, &c *Iterũ inſanit Herodias, iterum tumultuatur, iterum ſaltitat: Iterum caput Joannis in patina ſibi dari petit.* *Iterum Jeſabel Eliæ caput avulſura eſt:* Qvid non dicturi erant hi Boanerges hominibus de Scholâ ? Legite *Hieronymi* invectivas *in Ruffinum, in Helvidium, in Jovinianum*, & ſummet Epiſcopum, *Johannem Hieroſolymitanum*: de fungis & peponibus, (ſi cum modernis controverſiis componantur) qvantos fluctus agitet?

Ad modum corripiendi externum, & inſtrumenta correptionis, pertinet etiam ſcriptura: qvemadmodum Elias corripuit Joramum, *II. Par. XXI, 12*: (qvanqvam hæc fuit Paſtoralis correptio:) qvales plurimæ reperiũtur Epiſtolæ monitoriæ Doctorum Eccleſiæ, ad ſuperiores, pares, & inferiores, in Actis Conciliorum, ſcriptis Patrum, & Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ: Verùm, qvemadmodum ex lege Chriſti, primam correptionem oportet eſſe privatam, *inter TE & ipſum ſolum*: Ita correptionem per literas non ſolùm oportet fieri per privatas & occluſas literas, ſi corripiens & corripiendus diverſis & diſſitis locis exiſtant; Verùm etiam tales, qvæ ante primæ correptionis fruſtraneum eventum in manus aliorum non veniant. Hoc enim ſi contingat, jam non monuiſti fratrem *inter TE & ipſum ſolum*. 166 *Correptio per literas.*

Deinde, cùm interſit fratris ſentire & ſcire, *ſe moneri à fratre*, fraterno animo, fraterno geſtu & affectu, non flagellari à Therſite aut æmulo; Iccircò nomen monentis apponendum eſt. Supponitur enim in Petri interrogatione & Chriſti reſponſione, *Matth. XVIII.* ubi de ſubjectis & modis correptionis fraternæ diſponitur, fratrem corrigentem & corrigendum ſe mutuò noviſſe *tanqvam fratres*; Igitur non ſolùm nefas eſt, diſſimulato vero nomine corripientis, corripere fratrem per ſubornatos libellos, vel nuncios, vel picturas contumelioſas: ſed ex intentione & ſcopo Chriſti etiam neceſſariũ eſt, ut in corripiẽdo corripientis cãdor appareat, ut emẽdatio fratris convenientibus verbis & geſtibus eò felicius promoveatur, vel etiam, ut excuſatio ejus tantò plenius percipiatur & expendatur. Hoc inqvam moraliter neceſſarium eſt ex lege Chriſti 167

Matth.

Matth. XVIII, ut corripiendus ſeorſim,coram, præſens & cominꝰ, vivis fraternisqve affectibus corripiatur,&evitentur omnia illa,per qvæ correptionis fructus, qvi eſt *lucratio fratris*, poſſit impediri. Qvod fieri amat per literas ſcriptas, faciliꝰenim in aliorũ noticiam venire poſſunt: qvo ipſo lex Chriſti *de privatâ correptione fratris inter TE & ipſum ſolum*,violatur: maximè verò per literas anonymas, ſine Autore,die & conſule ſcriptas; de qvibus probabiliter præſumitur,qvod privatæ non manſerint: qvod non à fratre, qvod non lucrandi animo ſint profectæ; qvo ipſo & modus & ſcopus præcepti divini evertitur,

168 De Antipatro Stoico refert *Plutarchus* in libro περὶ ἀδολεσχίας: *qvod cùm nec poſſet nec vellet congredi cominus cumCarneade,ad ſcribendum ſe verterit,multosq; libros maledicos & ineptos in Carneadem ediderit: qvamobrem vulgo nomen καλαμοβόας ſit indeptus.* Qvàm raræ autem hoc ſit prudentiæ,idem *Plutarchus* Socratis & Platonis,ſapientisſimorum & modeſtorum virorum exemplis oſtendit, in libro *de Discernendis Adulat. Cùm in familiari menſâ*, inqvit,*Socrates durius qvendam è convivis increparet: Satiusnè*, ajebat Plato,*erat, hæc ſeorſim ei dixiſſe?* Cui Socrates: *Tu verò rectius feciſſes,ſi hoc mihi dixisſes ſeorſum.*

Mecænatis prudentia laudatur *Dioni in Auguſto*: qvòd Cæſari pro tribunali ſedenti & ſententiam in æmulos laturo, nè injuſtos condemnaret,Schedulam,cùm ad eum aditus non pateret, in hæc verba ſcripſerit: *Tandem aliqvando ſurge Carnifex*. Qvâ lectâ Cæſar,nemine capitis damnato,ſtatim ſurrexerit.

Econtra qvàm malè ſuccedat non ſolùm finis perſonatæ correptionis: nempe ſine omni emendatione correpti; ſed ipſis etiam autoribus clandeſtina ſuggillatio,per comœdias, per emblemata, per ſatyras,per ςηλιτευτικὰ anonyma,&c. exemplis *Comœdiarum Ariſtophanis,ἱππέων,καὶ νεφελῶν*,qvibus Cleonem &Socratem fodicavit,nec nõ exẽplis obtrectatorũ Julii, Auguſti, Tiberii, Neronis,aliorumqve Cæſarum,oſtendit *Ludovicus Vives*,in ſecundum Auguſtini de Civit.c.9.

169 Qvanqvam verò in hiſtoria Veteris Teſtamenti etiam nuncii

àDeo

à Deo miſſi initium correptionis nonnunqvam perſonati fecerint, *ut: I.Reg.XX.* atqve alibi: ſemper tamen detexerunt nomen & conditionem ſuam, ut conſtaret, à qvibus corriperentur emendandi, & qvod animo corriperentur emendandi. Neqve enim ignorare poterant, etiam calumniæ, & occultæ detractionis ſpeciem, qvalem anonymos correptio præ ſe fert, prohibitam eſſe & anathemate damnatam: Loco verò occultæ & tectæ, ingenuam & planam correptionem præceptam. Levit. XIX 16, 17: *Non eris detractor in populo tuo.* Santes: *nõ ibis fraudulenter in populos tuos.* Chald. *non comedes placẽtas, i: non eris Sycophanta aut paraſitus in populo tuo* LXX ὐ πορεύσῃ δόλῳ ἐν τῷ ἔθνει. Ebr. רכיל alibi latronem & clandeſtinũ furẽ notat, *Ezech. XXII, 9.* ubi LXX. λῃστιῶ Symmachus & Theodot. reddiderunt ἄνδρας δολίυς. nec non Prov. XI, 13. Ebr. רכיל, δόλιον. Symmahus διαβολον. Tota Phraſis: *Ire* רכיל perambulare fraudulenter LXX: σκολιῶς, δολίως, *ad Jerem. VI, 26 IX, 4.* Legenda hîc *Fagii paraphraſis.* Eodem loco Levitici verſu 17. qvando occultum odium prohibetur, & eveſtigio aperta correptio præcipitur; etiam ſigna ordinaria occulti odii, qvalia ſunt libelli famoſi, prohiberi manifeſtum eſt. Anathema illud *Devt. XXVII, 23: Maledictus, qvi percutit proximum ſuũ in ſecreto,* refert Chald. *ad verbum lingva:* Referunt eodem *Rupertus Tuit. & Rabanus.* Qvantum autem interſit inter *libellum famoſum & injuriam ſcriptam,* conſulendi ſunt juris civilis interpretes.

De gentilium & Idololatraram libellis & picturis famoſis in 170 Chriſtianos ſub Juliano Imp. confictis & ſparſis: Et Chriſtianorum econtra planâ manifeſtaqve reprehenſione in gentiles, tanqvam de ſignis malæ & bonæ cauſſæ, legendus eſt *Theodoretus lib. III. cap. V.* ubi non diſſimulat, Eos ex Chriſtianis, qvi famoſas chartas & voces conviciis compenſarint, Rei ſuæ & publicæ malè conſuluiſſe: Verberibus n. indignum in modum fuiſſe mulctatos. Julianum Imp. notas & formas literarum, qvas Epiſcopi clericis peregrinantibus aut pauperibus dare conſuerunt, imitatum fuiſſe, ſuasq; literas, ac ſi Epiſcoporum Orthodoxorum eſſent, ſuppoſuiſſe; teſtes ſunt *Eutropius l. XI. & Sozomenus V. 16.* De periculo & odio in Anaſtaſium Patriarcham Conſtantinopolitanũ concitato, qvando ſolio

Digitized by Google

ejus furtim appinxerunt imaginem, ac ſi Imperatorem Andronicum Palæologum frenos in ore gerentem, veluti ferocientem eqvum, ut inſeſſor moderaretur Epiſcopus: teſtis eſt *Niceph. Gregoras hiſtor. lib. VII.*

§ XI.

171 *De Tempore Corripiendi Fratrem.*

QVum finis correptionis fraternæ à Chriſto intentus, ſit emendatio ſive *lucrifactio fratris, Matth. XVIII.* omninò prudentia adhibenda eſt, ne hoc fine excidamus. Excidemus autem ſi ob errorem aut exceſſum, qvi per intervalla corrigi poteſt, & ubi extremum periculum non eſt, perdendi vel ſuam vel alterius animam, corripias fratrem audientibus aliis, ſive ubi in æſtu contentionis, luxus, compotationis, &c. verſatur. *Eſt tempus loqvendi, eſt etiam tempus tacendi,* ait Eccleſiaſtes III. c. 7. *Cor ſapientis cognoſcit judicium, & tempus judicandi: Qvia omni inſtituto hominis eſt tempus ſuum & judicium ſuum.* Ibid. *Cap. VIII, 5. 6. Importuna diegeſis eſt velut muſica in luctu: Caſtigationem & correptionem oportet exercere in tempore Sir. XXII, 6. Eſt correptio, qvæ non eſt pulchra, ὡραῖος* (nō ſpectabilis, qvæ nō attenditur nec æſtimatur à correpto) *Et aliqvando tacens, & ipſe eſt prudens, ibid. XIX. ult.* Qvem locum communem de ſuſpendenda aliqvando coreptione, punitiva cumprimis & judiciali, egregie pertractavit *B. Lutherus* in Exegeſi Teutonica Pſalmi CI. & *Cajetanus* in Summa V. *Correctio. n. 2.*

172 Ut exempli cauſa: ſi in proceſſione Papali aut publica adoratione Imaginum, qvisqvam Ignotos, inter qvos peregrinandi cauſa verſatur, reprehendat, qvi ſummum Dei cultum in hiſce ponunt, importunum eſſet. Neqve enim exemplum Chriſti, Matth. 21. aut Apoſtoli Act. 17. huc qvadrat. Excipienda tamen circumſtantia extremi periculi, qvod imminet ſive alterutri vitę peccantis, naturali aut ſpirituali, ſive utriqve ſimul: ut: ſi compotatores ad duellum, ad lupanaria, aut ad alia peccata necem animæ *ἐπ' αὐθαιρέτῳ* inferentia provolent, qvalia ſunt illa; qvibus Deus extirpationem è populo ſuo, & corporis atqve animæ exitium dictavit; His

His etiam ebriis & iracundis injiciendæ ſunt morales manus correptionum & dehortationum: ſive effectum ſortituræ præſumantur, ſive nihil obtenturæ. Si enim in caſu extremæ neceſsitatis expectandum eſſet, donec probabilis diſpoſitio agri ad ſuſcipiendum ſemen verbi divini, (qvale eſt, qvod à peccandi propoſito dehortatur, *à qvocunq; ſpargatur, Philp.I,15.18*) appareret ſacris colonis, vel etiam cuivis fratri; plærisqve ex vehementiâ affectuum in peccata prolabentibus & prolapſis, multis etiam clinicis decedendum ſine ſolatio, & pereundum eſſet. Perinde autem eſt in caſu extremæ neceſſitatis, ſive objectum paſſum inidoneum videatur ad recipiendum ſolatium, ſive ad recipiendam correptionem. Virtuti inſitæ verbo divino, & promiſſioni revelantis, illud videlicet *non reverſurum eſſe vacuum, Jeſ.LV,10.ſeqq.* fidendum, & ſub hâc fiduciâ officium fraternæ correptionis præſtandum eſt, juxta illud *Eccl,XI,6: Manè ſemina ſemen tuum, & ne in veſpera qvidem qvieſcere facias manum tuam, qvia neſcis an hoc ſucceſſurum ſit vel illud, qvod ſi ambo ſuccedant, tanto melius eſt.*

Falſum enim eſt, ut infra de *Ordine correptionis* plenius oſtendam, qvod Caſiſtæ plæriqve docent, apud Vaſqvezium in 1.2.diſp.65. Eſſe omittendam omnem correptionem, niſi probabilis certitudo lucri ſpiritualis, ſive emendandi fratris appareat. Aſſero contrarium: Non eſſe omittendam, qvandiu non adeſt violenta præſumptio infructuoſitatis. Solus enim probabilis metus infructuoſitatis non ſufficit, ut correptio fraterna omitti poſſit: Hunc metum enim ſuppoſuit Chriſtus, qvando infructuoſo gradui primo, ſubordinavit adhibitionem ſecundi gradus: *Si TE non audierit, aſſume duos, &c.* & ad probabilem metum non ſecuturi effectus ad ſecundum gradum; ſurrogavit etiam tertium: (*Dic Eccleſiæ*) Et ob probabilem metum de infructuoſâ etiam publicâ correptione, juſſit excommunicare talem (*ſit tibi velut Ethnicus, &c.*) 173

Ad obligationem corripiendi ſufficit ſola abſentia violentæ præſumptionis, ne correptus fiat deterior.

174 Itaqve, qvemadmodum in extremo vitæ corporalis periculo, periti Medici adhibent etiam medicamenta talia, qvæ certò non ſciunt eſſe profutura, dummodo ſciant, nõ eſſe noxia: Ita in extremo periculo inſtantis peccati ipſo facto mortiferi, non eſt omittenda

correptio,ob probabilem metum infructuoſitatis, ſed omninò adhibenda eſt,dummodo non obſtet violenta præſumtio infructuoſitatis. Eſtq; capitalis error Caſiſtarum,in praxi maximè nocivus: *Etiam leviſſimum metum infructuoſitatis,vel nudam abſentiam certæſpei de emendando fratre,excuſare à debito correptionis fraternæ.*

175 Reperio tamen apud *Valerium Reginaldum in praxi fori pœnitentialis l.IV.cap.25.n.339.340.341. & Tannerum in 22.Diſp 2,q. V.n.86.* qvod diſcedat à communi doctrina Caſiſtarum,& ſuorum etiam ſociorum Ieſuitarum,qvando docet: *Non eſſe omittendam correctionē, ex qva ſcitur proximus futurus ſaltem non deterior,etiamſi neſciatur, an ſit futurus melior: Imò etiamſi dubitetur, An ullo modo ſit profitura.* Qvin etiam qvando dubitatur,ne fiat deterior proximus ex mea correptione,tamen in extremo vitæ etiam animæ periculo eam eſſe adhibendam,ſi alia ſpes non appareat,eum liberandi ab æterno interitu. Ut: ſi qvis invadat alium & occidatur ab eo qvem invaſit,etiamſi frendeat invaſor,qvod ſpe ſua cecidit, & conatus tàm infeliciter ceſſit,monendus tamen eſt ab invaſo,ſi nemo adſit alius. Qvemadmodum bos aut aſinus inimici,liberandi erant â ſarcina ſub qva perituri erant,etſi morderent,calcitrarent,& moleſtiam liberaturo facerent, qvantam ſine extremo corporis periculo ſuſtinere poterat.

176 At non facio cum *Reginaldo*,neqve facient cum eo Chriſtiani Medici,in hoc (1)qvod liceat propinare ægroto in extrema neceſſitate medicinam,de qvâ æqve probabiliter exiſtimat medicus,qvod mortem ei ſit allatura,qvàm exiſtimat,qvod ei ſit profutura. Non habeo enim parem facultatem inclinandi ad malum, & inclinandi ad bonum proximi. Præcepta moralia negativa ſemper obligant & pro ſemper,ut nullo tempore illud liceat facere,qvod omittendum eſt: At præcepta affirmativa ſemper obligant, qvando occaſio eſt & tempeſtivū exeqvendi ea: Et aliqvando poteſt omitti bonum, Mala verò nunqvam licet committere: ut *Bannes ad Artic.2.* rectè docet. Ideoqve falſum eſt,qvod ſub finem n.342. attexit: *In extremo animæ periculo licere etiam corripere,qvando æqvaliter præſumitur nociturum animæ,atq; præſumitur profuturum.* Qvod qvidem impoſ-

poſſibile eſt,tùm ratione medii qvod adhibetur,tùm ratione etiam judicii,qvod concipitur. Non enim ut qvædam herbæ ſunt intrinſecè noxiæ, ita etiam verbum Dei intrinſecè & per ſe cuiqvam odor mortis eſt, ſed tantùm per accidens. Deinde dubitare qvidem æqvaliter qvisqvam poteſt ex defectu judicii,an profutura vel nocitura ſit correptio in extremis agenti; at exiſtimare æqvaliter non poteſt nec debet,qvum propinet medicamentum in ſe & ſecundum ſe ſalutare,neq; judicare poſſit,an e,gr. latro agonizans datus ſit in ſenſum reprobum nec ne? Itaq; inſtandum eſt piis monitis ad extremum usqve halitum.

(1)Non aſſentior Reginaldo in eo,qvod commune habet cum reliqvis ſuis Caſiſtis: *Omittendam aut differendam eſſe correptionem privatam*,qvæ cum periculo aut incommodo corripientis conjuncta eſt,*niſi concurrat utrumq; periculum,& vitæ temporalis & ſpiritualis.* 177
Si ſolius vitæ ſpiritualis etiam extremum periculum occurrat,citra periculum vitæ temporalis,ut in ingrediente lupanar;omitti debere correptionem,niſi certa ſpes emendationis affulgeat. Teneor enim ignominiam gloriæ divinæ, & extremum animæ fraternæ periculum magis ac vitæ temporalis periculum impedire: Teneor diligere Deum ſuper omnia,ſuper meipſum: Et contumeliam in Deum qvavis poſſibili ratione impedire.

Pertinet qvoq; ad prudentiam corripientis,ut habeat ingenium fratris corripiendi perſpectum: qvæ magis dicenda eſſet *opportunitas perſonæ*,ſi loqvi ita fas erat, qvàm opportunitas temporis: ne ignotos illicò invadamus,qvos cõtingat blasphemare & maledicere Deo,aut beneficiis & myſteriis divinis: ſi corripiantur. In dilatione igitur correptionis ſpectandum,An corripiendus ſoleat facilè & freqventer recordari auditorum. Qvæ enim reponuntur imis ſenſibus,etſi mox arrepta non edunt efficaciam, per intervalla tamen procedunt ad effectum. Qvemadmodum *Petrus Apoſt.* per intervallum recordatus eſt præmonitionis à Salvatore factæ,cujus memoria non ſuccurrebat in æſtu tentationis & metus, *Matth. XXVI. ult.* Et filius ille præceps, ex primorum motuum intemperie *negans paritionem eundi in vineam,ex intervallo tamen paruit. Matth. XXI.29* 178

Tempeſtivitas corripiendi,qvo modo ex correpti ingenio captanda.

Qvan-

Qvando itaqve probabilis ſpes eſt, fratrem, qvi in procinctu ſtat ad facinus aliqvod patrandū, ſive ante patrationem ejus, recordaturum correptionis, ſive à commiſſo facinore, per reminiſcentiam acceptæ correctionis eò facilius ad pœnitentiam converſum iri, vel à recidiva in ſimile aut aliud peccatum ſibi cauturum per meam correptionem, neqve violentus metus adeſt, fratrem per intempeſtivam correptionem meam ad blasphemiam in Deum, vel aliud ſive grandius ſive æqvale peccatūm prolapſurum, qvàm illud eſt, cujus commiſſionem prævenire intendo correptione meâ; Tunc videtur etiam is licitè corripi, qvem non illicò qvidem & mox, ſed ex intervallo tamen per meam correptionem apparet emendandandum. Ita *Bannes in 2.2.q.33. art.2.dub.1.*

179 Verùntamen, qvum finis, qvi in correptione fraterna ex præcepto Chriſti intendendus eſt, *Matth. XVIII.* præcipuè æſtimandus ſit ex præſenti & inſtanti conditione fratris, qvando à nobis corripitur; An rebus ſic ſtantibus, ſperetur ſecutura vel non ſecutura emendatio? non verò à dubiis & ſaltem posſibilibus intervallis peccantis, qvæ alio tempore ineſſe poſſunt: Iccirco puto, privatum teneri, ne differat correptionem etiam in illo momento, qvando corripiendus tàm malè diſpoſitus eſt, ut ab imminenti præſente peccato probabiliter avertendus non videatur, ſi adſit extremum periculum talis flagitii & damni, qvod reſtitui non poſſit, ut blasphemiæ in Deum, adulterii, homicidii, mutilationis membrorū &c. Si corripiēs autē novit, fratrē ſubjectum eſſe intervallis, ſuſpendat potius & differat correptionem circa peccata qvotidianæ incurſationis, usqve ad ortum boni illius intervalli, qvo ſperat aut probabiliter ſperare poteſt, ſe lucraturum eſſe fratrem.

180 Limitanda enim eſt illa facultas differendi correptionem in dubio, ſub violēto metu nō ſecuturæ extēplò emendationis, & probabili ſpe ſecuturæ paulò poſt emendationis, ad ſola peccata qvotidianæ incurſationis, & nonnulla conſvetudinis, *ut ebrietatis, gulæ, ſcurrilitatis, jurisjurandi aut imprecationis temerariæ, &c.* Ad atrocia autem ſcelera libertas differendi correptionem extendenda non eſt, qvia hæc præſentem animæ perditionem ſecum trahunt; Neq; ad

Correptio heterodidaſcaliæ nō eſt differenda.

ad delicta inRemp. aut plures redundantia,ut:ad conſpirationé adverſus plures,vel etiam civitatē *ad hæreſin,*&c. Salus enim multorū unius ſaluti præferenda eſt: Honor & reſpectus multorum,honori &reſpectui uni9.In extremo vitæ periculo,Medicus(ut dixi)ægroto qvodvisPharmacum propinare poteſt,qvod novit non nociturū,etiamſi dubitet,an ſit profuturum: Ita in dubio profuturæ correptionis ob delictum capitale,qvod ſpiritualem perniciem committenti,& perniciem ſive ſpiritualem,ſive temporalem aliis adfert , horum certa ſalus præferenda eſt dubiæ emendationi fratris peccaturi,ſive propoſitum eos lædendi habentis.

Poſito etiam,metum eſſe,ne novo peccato aggravet immorigerus ſupplicium ſuum,rejiciendo meam admonitionem; Qvia tamē non primùm contrahit,ſed tantum aggravatur ſupplicium per meam admonitionem ſi perit: Econtra verò ſalus tota obtinetur, & damnationis totus ſtatus evertitur,ſi eum lucror;hoc utiqve bonum præponderat,& conſeqventer propter metum aggravandi ſolùm gradum perditionis,non eſt omittendum in dubio id,per qvod poteſt averti omnis damnatio.Ita rectè *Bannes in 22.q.33.Art. 2. Dub. 4. concluſ. ult.* Cajetanus *in ſumma. V. Correctio,n.3* 181 *Qvi per correptionem pejor ſit,non primam ſed graviorem damnationē incurrit.*

182 De Paſtoralis autem &Magiſterialis correptionis opportunitate & tempore longè alia ratio eſt, qvàm de tempore & fatalibus correptionis fraternæ. Paſtores enim & ſuperiores, uti in dubio objecti reprehendendi,ad præſervationem filiorum ſpiritualium corripere poſſunt: Ita etiam in dubio finis ſalutaris,juxta illud *Ezech.II,5.& 7.& III,27: Domus rebellis ſunt: ſive audiant ſive non audiant,prædicabis tamen, ut intelligant Prophetam fuiſſe inter ipſos.* & II.Tim.IV,2: *Inſta opportune,importunè,argue,obſecra,increpa,&c.*Ubi nonnulli qvidem urgent limites conſtructionis Germanicæ, qvod adverbia,*oportunè.importunè*,non componantur cum verbis *argue, obſecra,increpa*,ſed cum verbo *inſta:* At ratio & finis etiam arguendi,deſumptæ *à luxurie auditorum*,qvib9 nunqvam opportunum fuerit redargui; ſed qvi *pruritu aurium laborent ad audiendos & adſciſcendos Placentinos*,verſu illico ſubſeqvente: *Erit enim tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt,ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi*

Ma-

Digitized by Google

Magiſtros, prurientes auribus, & à veritate qvidem avertent auditum; Ad fabulas autem convertentur, &c. ſatis maneſeſtò oſtendunt; hos luxurioſos & prurientes etiam invitos eſſe corripiendos. Eadem ratio addita fidem facit: Apoſtolo non eſſe ſermonem *de inopportunitate temporis, in relatione ad Doctorem*, ſive Doctori in ſqvalore carceris docendum ſit, ſive aliàs malè tractetur, qvod ei tunc opportunum non ſit docere alios, ſi deſpiciatur ab auditoribus, vel ſalario & alimentis privetur, &c. ſed potius eſſe ſermonem de impatientia auditorum tergiverſantium, & luxuriantium ad ſupparaſitationes Mercenariorum & Placentinorum.

182 *Chryſoſtomus* certè utramqve interpretationem inopportunitatis conjunxit, Et eam, qvæ increpanti, & hanc, qvæ increpando videri poſſit inopportuna. Opportunitatem igitur, & ex indigentia peccantis, & ex ſpe emendationis metiri jubet. *Tunc,* inqvit, *Increpatio opportuna erit, qvum arguẽdo profeceris, qvum opus redarguendum fuerit evidens. Increpationi addi oportet obſecrationem. Qvod ſi arguas vehementer & increpes, obſecrationem autem ſubducas, rurſus omnia perdis. Reprehenſio ſecundum ſe intollerabilis eſt, niſi habeat admixtam obſecrationem. Sicut & ſectio ſalutaris ſit licet, niſi plurima dolorem leniant, non ſuſtinebit eam ægrotus.* Hæc Chryſoſtomus

183 Auguſtinus autem *inopportunitatem* reſpectu ſolorum auditorum exponit, Comment. in Epiſt. ad Gal. Cap. 6: *Inſta opportune: qvod ſi hôc modo non proficis, importunè, & licet illi videaris importunus, qvi nõ libenter audit, qvæ in eũ dicuntur, Tu tamẽ ſcias, hoc eſſe illi opportunum. Et dilectionem curamq; ſanitatis ejus animo teneas manſveto, modeſto, & fraterno.* Idem in expoſit. Pſ. CXVIII: *Sonet Verbum Dei, volentibus opportunè, nolentibus importunè.* Qvod dictum repetitur in libris *de Paſtoribus & ovibus, cap. 7. ab init.* Qvomodo etiam invitæ & recalcitrantes oves ad redeundum monendæ ſint? *Prorſus audeo dicere, importunus ſum. Audio enim Apoſtolum dicentem, Prædica Verbum, inſta opportunè, importunè. Qvibus opportunè? Qvibus importunè? Opportunè utiq; volentibus: importunè nolentibus. Prorſus importunus ſum, audeo dicere. Tu vis errare, Tu vis perire, Ego nolo: Non vult poſtremò ille, qvi me terret, &c.* Hanc Auguſtini interpretationem

Digitized by Google

nem ſeqvuntur *Primaſius*, *Dionyſius Carthuſianus*, & recentiores plæriq;. Etiam Cæſarius Arelatenſis homil. XXVI. repetens Auguſtini verba: *Qvid eſt importune, opportunè? &c. Volentibus audire Verbū Dei, offerendum eſt: faſtidientibus ingerendū, ne fortè contra nos ante tribunal Chriſti ſtantes dicant, ſe à nobis admonitos non fuiſſe.*

Indicavi ſupra, qvando de *Modo Correptionis* agebatur, priſcos etiam hæreticos conatos fuiſſe ſufflaminare officium elencticum Paſtorum & Doctorum Eccleſiæ, objectione illarum paræneſium Apoſtolicarum, qvæ in corripiendo modeſtiam & longanimitatem præſcribunt: Iisdem dictis etiam Tempus corripiendi conatos fuiſſe circumſcribere, qvaſi importunum & intempeſtivum eſſet, hæreticos jam ab Eccleſiâ avulſos, & ad cætum Catholicum non pertinentes, corripi ab Auguſtino aliisqve Eccleſiæ Doctoribus, oſtendūt *Creſconii, Parmeniani, Gaudentii*, aliorumq; Donatiſtarum cavillationes, & patet *ex principio primi libri contra Creſconium Grammaticum*, qvi ab hâc inoportunitate & incompetentia fori Diſputationis initium accerſiverat. Cap. a. VI. reſpondet Auguſtinus ad objectum Apoſtoli dictum ex cap. 2. Poſterioris ad Tim. *Servum Domini nō oportet litigare, ſed eſſe mitem ad omnes. Voluit tamen* (reſpondet Auguſt.) *in modeſtiâ corripere diverſa ſentientes, ne Dei ſervus prohibitionem petulantiæ, occaſionem eſſe putaret pigritiæ. Verùm, qvia multi & ipſam correptionem QVÆ MODESTE fit, vel peccatis ſuis faventes, vel qvid reſpondeant non invenientes, nec tamen veritati acqvieſcentes onerosè ac moleſtè ferunt; Eos qvi ſecum ſedulò agunt, nec ab eorum errore convincendo diſſimulant, litigioſos & contentioſos vocant; nunqvid ideò tamen ab hac inſtantia deſiſtendum eſt? Vide, qvemadmodum Timotheum idem adſtringat Apoſtolus; ne propter homines, qvibus inſvavis eſt prædicatio veritatis, aliqva ei ſegnitia prædicandi ſubreperet: Teſtificor, inqvit, coram Deo & Chriſto JESU, qvi judicaturus eſt* &c: *prædica verbum, inſta opportunè, importunè, argue, increpa, &c. Qvis hæc audiens, ſi Deo fideliter ſervit, ſi doloſus operarius non eſt, ab hac diligentia & inſtantia conqvieſcat? Qvis ſub tantâ teſtificatione ſegnis eſſe audeat? Num igitur nobis obſtrepat in hac cauſa facundia tua? Prædicamus omninò* 184

Digitized by Google

in adjutorio Domini Dei noſtri Chriſtianæ unitatis utilitatem, ſanctitatem, pietatem: (Concordiæ Eccleſiaſticæ ſtudium à ſe ſolis urgeri, à Catholicis litigando impediri, jactitabant Donatiſtæ: perinde ut hodie Calviniſtæ, aliiqve ſingulares methodiſtæ) *prædicamus volentibus opportunè, nolentibus importunè: Et qvantis valemus viribus, iſtam inter nos partemq; Donati qvæſtionem, & qvod poſſumus, olim finitam eſſe monſtramus. Agnoſcant in ſe CONTENTIOSÆ ANIMOSITATIS nomen & crimen, qvi vel pervicaci aſtutiâ præbent patrocinium falſitati, vel invidâ jactantiâ miniſtrant præconium unitati &c. Puto neqvaqvam juſtè reprehendi miniſterium noſtrum, ſi contra qvoslibet Adverſarios veritatis, fervente ſpiritu pro veritate certèmus. Nam, ſi CONTENTIOSUS habetur à vobis, vel animoſus, paratorq; rixarum, qvisqvis cuiqvam ſermonis altercationem vel inferre vel referre curaverit; Videte qvid de ipſo Domino Jeſu Chriſto, ejusq; ſervis, Prophetis & Apoſtolis ſentiatis? &c.*

Donatiſtæ elenchos hæreſeos ſuæ, vocabant turbationem pacis Eccleſiaſticæ.

185 Idem Auguſtinus cum *Tertio contra Petilianum* oſtendiſſet; *propter crimina fratrum, non eſſe deſerendam ſocietatem Eccleſiæ viſibilis, in qva ſuperſint aliqvi innocentes*, ſubjicit cap. IV: *Neq; hoc ideo dixerim, ut negligatur Eccleſiaſtica diſciplina, & permittatur qvisq; facere qvod velit, ſine ulla correptione, & medicinali vindicta, & ſanabili lenitate, & charitatis ſeveritate: Nam ubi erit illud Apoſtoli? Corripite inqvietos, &c: Videte ne qvis malum pro malo reddat. I. Theſ. V, 15. ſatis oſtendit, non eſſe mali pro malo redditionem, corripere inqvietos, qvamvis pro culpa inqvietudinis reddatur pœna correptionis.*

186 Idem ſub finem *libri de Corrept. & gr. Neq; enim dilectionis viſcera majora geſtamus, ait, qvàm beatus Apoſtolus, qvi dicit: Corripite inqvietos, &c. videte ne qvis malum pro malo alicui reddat. Ubi intelligendum eſt, tunc potius malum pro malo reddi, ſi corripiendus non corripiatur, ſed pravâ diſſimulatione negligatur. Dicit enim, peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant. Qvod de his peccatis accipiendum eſt qvæ non latent: ne contra Domini ſententiam putetur locutus. Ille enim dicit: Si peccaverit in TE frater tuus, corripe eum inter TE & ipſum ſolum. Veruntamen & ipſe ſeveritatem correptionis eo usq; producit, ut dicat: Si nec Eccleſiam audierit, ſit*

Tibi

Tibi ſicut Ethnicus & publicanus. *Et quis magis dilexit infirmos, qvàm ille, qvi pro omnibus eſt factus infirmus, & pro omnibus ex ipſa infirmitate crucifixus?* Plura & egregiâ de Donatiſtarum illa hypocriſi, criminantiū veritatis defenſionem, tanqvam animoſas rixas, &c. attulit *I. contra Ep. Parmeniani, & II. contra Gaudentium,* idem Auguſtinus.

Qvemadmodum igitur ſupra de *objecto correptionis* dixi; Oportere fratrem correpturum alium de vitio qvodam morum, eſſe certum de crimine vel commiſſo, vel certe parato: In rebus autem fidei, qvando opinio erronea facile propagari poſſe præſumitur, aut periculoſa eſt; ad ſolam famam de heterodidaſcalia eſſe conſurgendum, ad opprimendam pravam illam doctrinam in herba, juxta legem *Devt. XIII, 12. ſeqq. Si audiveris de una aliqva Urbium, qvod ſint aliqvi filii Belial in ea, qvi averterunt habitatores Urbis ſuæ, dicentes: Eamus, & ſerviamus Diis alienis: Qvære ſollicitè & diligenter.* Ebr. Et qværes, & inveſtigabis, & interrogabis benè, *& ſi veritas, ſi certum eſt verbum, jam eſt abominatio, &c.* Vulgatus conjugata illa *interficiendo interficies* v. 8. 9. 15. per adverbium temporis expoſuit: *STATIM interficies.* prout laudatur Exemplum *Joſuæ, in dubio inqvirentis acriter.* Cap. XXIII: Ita de tempore qvoqve ſentio: qvanqvam nemo facilè in ſuſpicionem hæreſeos aut Sectæ adducendus, nec temere ſchiſmati occaſio ſit danda, ſed deſcendendum qvantum poteſt & expedit; non licere tamen ad propalationem & propagationem erroneæ doctrinæ connivere, donec universam provinciam vel regnum infecit, ſed Tribus Iſrael maturè monendas eſſe, ut caveant ſibi ab iſta novitate, qvæ ipſa pube & novellâ ætate ſuâ arridet luxuriantibus ingeniis, & prurientibus ad novitates auriculis: neqve ſuper ſedendum tantiſper à contradictione, donec malum eundo vires acqvirat. 187

Nihil freqventius dolent ac deplorant *Athanaſius*, *Hieronymus*, *Epiphanius in hæreſi Dimœritarum*, ſeu Apolliniſtarum, *Arianorum, Evnomianorum*, Cyrillus in hæreſi *Neſtorianorum, & Dioſcoriſtarum*, qvàm qvod pacis & tranqvillitatis publicæ imprudenti & intempeſtivo amore, veneno illi nimis ſero fuerit itum obviā, 188

Damna ex ſilentio erga hæreſes.

Non credebamus Diſcipulis Apollinaris, inqvit Epiphanius, *cùm talia nobis referrent: Credebamus eos Præceptoris ſui ſententiam non rectè aſſeqvutos.* Qvid Arianam hæreſin magis fovit & provexit, qvàm interdicta *Conſtantini*, de non contradicendo, nec confutando Ario, ſed pace & ſilentio tenendis? Qvid gangrænam illam fovit, niſi extenuatio & vilipendium initiorum: *Eſſe λογομαχίαν, & futilem contentionem de uno vocabulo ὁμοουσίου*, ap. Socrat. *lib. 1. cap. 15 16.* πολλοὶ λῆρον ἡγοῦντο τρίβεσθαι περὶ τὰς τοιαύτας ἔριδας τῶν λόγων. inqvit *Sozom. III, 12. i. pleriq; nugas putabant, occupari circa talium verborum litigia.* Vid. *Nicol. Vedelius de prudentia Veteris Eccl. l. III. cap. 23.* prudenter & verè ſubjiciens: *Videt unusqvisq;: Pacem Eccleſiæ non in eo conſiſtere, ut unicuiq; liceat innovare dogmata Eccleſiæ Orthodoxæ, & novitates ſuas ſpargere. Sed contra Pacem Eccleſiæ in eo conſiſtere, ut unusqvisq; pro officii ſui ratione Novatoribus ſe opponat.*

189 Qvemadmodum enim venenum mentis & intellectus ſubtilius eſt, qvam virus volantis illius Draconis in oculos & ſenſus incurrentis, id eſt: contagium vitiorum moralium, ſcortationis, ebrietatis, gulæ, avaritiæ, &c. Sic initia illius majori ſollicitudine oportet cohiberi, ne dilatentur. Ut ſupra oſtendi ex nativâ indole verbi περιΐστασο, qvo Apoſtolus uſus, in eadem Epiſtolà & eodem *capite ſecundo ad Timotheum*, qvando de remediis prophylacticis, adſtringentibus, & revellentibus gangrenæ ſpiritualis, ſeu heterodoxiæ agit. Et rationem maturæ cohibitionis ſubnectit, *à nativa malitia illius gangrenæ* deſumptam, qvod per furtivas vias ſerpat, verſic. 16. 17: *Profanas vocum novitates cobibe*, ἐπὶ πλεῖον γὰρ προκόψουσιν ἀσεβείας: *magnos enim & celeres progreſſus facient ad impietatem*, ad Atheiſmum: *Et ſermo eorum ſerpet*, νομὴν ἕξει, paſtum habebit, progreſſum faciet. Gloſſa interlin: *A parvo ad majus paulatim tenaunt, corrumpendo qvæ bona ſunt, & ita ad impietatem trahendo.* Sic & *Lyra* in h. l. *Haymo* in Comment h. l. ait: *Sicut cancer ſerpit, hoc eſt, creſcit de membro in membrum: Ita error creſcit, transeundo de uno in plurimos.* Cornelius ſic: *poſſet* τὸ περιΐστασο *cum Budæo propriè verti: Circumſiſte, circumda: ut ſcilicet cohibeas & comprimas profana*

ſana hæc vaniloqvia, ne, ut ſeqvitur, qvaſi cãcer latius ſerpant, & plures inficiant. Ad hoc enim vel maximè advigilare & curare debent Epiſcopi & Paſtores.

Chryſoſtomus græcè doctiſſimus: Illud ὀρθοτομεῖν, qvod eodem loco ad officium Paſtoris & Doctoris reqviritur *verſic. 15.* exponit *de peritia maturè exſcindendi* τὸ ἀλλότριον τοῦ κηρύγματος, *qvod de extraneo & alieno adſpergitur doctrinæ*; Noviloqvia enim illa non ſtare intra primam ſphæram: οὐδὲ γὰρ μέχρι τούτου στήσονται, *non conſiſtent intra ſua initia, &c.* (qvod Teſtimonium ſuperius qvoqve adduxi) *Qvoties enim aliqvid novi fuerit introductum, continuo parturit alias novitates, & neſcit terminum error illius, qvi tranqvillum fidumq́; veritatis portum ſemel reliqvit. Amplius enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum ſicut cancer, latius, usq́; ſerpit:* ἀκάθεκτον κακὸν, οὐκέτι ἰατρείας καθαιρεθῆναι δυνάμενον, ἀλλὰ τὸ πᾶν λυμαίνεται. Brixiana verſio emphaſin non eſt aſſecuta: *Morbus utiq; horrendus, &c.* In Græco eſt: *Malum irremorabile*, (ut 2. Theſſ. 2. *qvid remoretur AntiChriſti revelationem*, τὸ κατέχον, *noviſtis, &c. Et qvod contineri nullâ medicinâ poteſt, ſed omnes indies inficit & corrumpit. Oſtendit, qvòd ſit morbus omni morbo gravior, &c.* Declarat hoc Chryſoſtomus ſubjuncto Hymænæi & Phileti exemplo. *Benè*, inqvit, *dixit Apſtolus*: ἐπὶ πλεῖον προκόψουσι: *progredientur ulterius*: *Videtur ſolus iſte error, qvòd reſurrectio jam facta ſit, eſſe gravis: At vide, qvàm longè plura inde generentur incommoda? Nam ſi reſurrectio jam facta eſt; non ſolùm hoc damno afficimur, qvod magnâ illa gloria qvam expectamus, fruſtramur, verùm etiam judicii metus tollitur, & evaneſcit omnis retributionis ſpes, &c.* 190

Oecumenius τὸ δὲ περιΐστασο, ἢ παραιτοῦ, περιοστῶς ἵστασο, εἰς τὸ παῦσαι, καὶ κωλῦσαι: Illud περιΐστασο, inqvit, aut *ſignificat expelle, aut multa ſollicitudine obſiſte, ut novitati finem imponas, & cohibeas,* Et ad illud: *plus enim proficient ad impietatem: Si qvid* (ait) *adulterinum inſectum fuerit, ſemper progreditur ad majorem abſurditatem, & majus incrementum indies aſſumit.* 191

Digitized by Google

192 Theophylactus Chryſoſtomi verba retinet: Hieron. ad illud Galat. V. *Modicum fermenti fermentat totam maſſam* : *Senſus eſt* (inqvit) *Nolite putare, paucorum hominum, qvi de Judæa venientes aliud docent, inſidias eſſe contemnendas: Scintilla res parva eſt, & pæne dum cernitur, non videtur: Sed ſi fomitem comprehenderit, & nutrimenta ſui, qvamvis PARVUS ignis invenerit, mœnia, urbes, &c. conſumit. Fermentum qvoq; res modica videtur & nihili; ſed cum farinæ conſperſum totam maſſam vigore ſuo corruperit, in illius vim tranſit omne, qvod mixtum eſt: Ita & doctrina perverſa AB UNO INCIPIENS, vix duos aut tres PRIMUM IN EXORDIO reperit auditores; ſed paulatim CANCER ſerpit in corpore, & unius pecudis ſcabies totum commaculat gregem. Itaq; & ſcintilla STATIM ut apparuerit, extingvenda eſt: Et fermentum à maſſæ VICINIA removendum: ſecandæ putridæ carnes, & ſcabioſum animal à caulis ovium repellendum, ne tota domus, maſſa, corpus & pecora, ardeat, corrumpatur, putreſcat, intereant. ARIUS in Alexandria, una ſcintilla fuit, ſed qvia NON STATIM oppreſſa eſt, totum orbem ejus flamma populata eſt.*

193 *Primaſius* ad h.l. qvem exſcripſit *Eſpencæus: Cancer ulcus eſt, qvod in mammillis naſcitur fœminarum, & niſi EI SUBITO fuerit ſubventum, cùm ad cor ſerpendo pervenerit, nullum ultrà remedium eſt: Ita & hæreticorum ſunt vitanda colloqvia, ne per aures irremediabiliter vulnerent mentem.*

194 Flacius ad h.l. *Addit hîc rationem, Qvia tales homines paulatim ad majorem impietatem prolabantur: ut etiamſi per ſe non viderentur ejusmodi diſputationes extremè impiæ, attamen ſint aditus ad majorem manifeſtamq; impietatem. Rectè qvidem dicitur: Parvus error in principio, fit magnus in fine: Et, dato uno inconveniente, multa ſeqvuntur. Sed illud qvoq; hîc accedit, qvod Satan & propria malitia iſtos curioſos oſtentatores, ambitioſaq; ingenia ſubinde longius à vera via ſubducat, & in graviores errores præcipitet, ac magis magisq; in reprobũ ſenſum inducat, & induret, &c. Pergit declarare, qvomodo iſtæ curioſæ nugæ paulatim longiq in majores errores & plures homines, inſtar cancri, ſerpant. Qvò tantò magis impellat Epiſcopum & alios, ut MATURE principiis mali obſtent.* Hæc Flacius.

Fa-

Faber Stapulenſis: *Prophanis vocum novitatibus obſiſtito, aliogvi magis proficient ad impietatem. Proficient per futurum, id eſt,* 195
promovebunt momentumq; habebunt.

Beza: *περιΐστασο, circumſiſte: id eſt, obſerva, & velut obſide, nempe* 196
ne in Eccleſiam irrepant. Gangrænæ comparat falſas doctrinas, ex inanibus ambitioſorum hominum argutiis, qvaſi ex eqvo Trajano prodeuntes. Eccleſiam viciſſim conferens corpori, cujus ſi partes aliqvas invaſerit gangræna, officium Paſtoris eſt, tanqvam periti Chirurgi, proſpicere, ne in νέκρωσιν & σφάκελον degeneret: & contagione ſuos qvaſi fines circumſcribere, ne ſana membra invadat.

Exemplis gangrænæ hæreticæ Hiſtoria Eccleſiaſtica abun- 197
dat, ſed luculentius vix apparebit, qvam grandis illius mali, ex conniventia (ut paulò ante dicebam) ad initia Arianæ hæreſeos orti: Qvandoqvidem enim Eccleſia ſub Conſtantino vix reſpirare cœperat à vexationibus & afflictionibus Tyrannorum, qviq; etiam optimi & religioſiſſimi Epiſcopi, veriti ne domeſticis diſſidiis tranqvillitas illa recens moveretur, conſilendum aliqvantiſper & connivendum ad Arii Presbyteri novationes cenſebant, vitioqve vertebant *Athanaſio rigorem & Zelum* in perſtringendis & perimendis paucis qvibusdam vocibus & phraſibus Arianis: ſed *Euſebius Nicomedienſis*, aliiqve Fautores Arii ſub illâ malaciâ diſſeminabant Arii pravitatem in aulâ Imperiali, per Presbyterum qvendam, vultu ſimplicē, aſtu duplicem, qvi virus ſuū initiò propinavit effœminato cuidam cubiculario, & Eunucho viduæ Tyranni Licinii, ſororis Conſtantini M. Eunuchus iſte, cui *Euſebii* nomen erat, primùm qvidem ſociis ſuis aliis emaſculatis fungis: hi gynæcéo, gynæcéum viduæ, vidua Imperatrici. Mox controverſia illa innoteſcebat prætorianis militibus, inde divulgabatur inter populos, &c. His pœne verbis initia & progreſsū Arianæ Sectæ deſcribunt *Socrates* lib. II. cap. 2. & *Sozomenus* lib. I. Cap. 1. ſeqq.

Addit Sozomenus cap. 14: *Arium per epiſtolas ad vicinos Epi-* 198
ſcopos humiliter & ſubmiſsè ſcriptas, præoccupaſſe eorum animos, & ſingulorum benevolentiam ſibi conciliaſſe, qvum ſe informari peteret & doceri;

Diſſeminatio Sectæ per familiares literas.

ceri; Intereà autem calamum ſuſpendi, & Epiſcopi ſui Alexandrini vehementiam mitigari. Hoc ipſo,inqvit,*artificio,non ſolùm dogma ſuum ubivis terrarum ſparſit,ſed etiā Epiſcopos induxit, ut nonnulli Alexandrum de modeſtia & tolerantia monerent,plariq; manum removerent,neq; controverſiæ illi ſe miſcere cuperent: Alii conſpirarent, Alii conniverent,donec*,ut Hieronymus inqvit,*univerſus orbis miraretur, ſe tàm ſubitò Arianum factum eſſe.* Binos certè *Euſebios,Vercellenſem & Cæſarienſem*,Orthodoxos utiqve Epiſcopos, tranqvillitatis publicæ causâ ſiluiſſe ad prævisum & evidens malum Arianæ novationis, ex *Euſebii Cæſarienſis epiſtola*,qvam poſt Nicænam Synodum ad Diœceſanos ſuos ſcribere coactus fuit, ut ſuſpicionem collusionis cum Arianis à ſe amoliaretur: Et *Vercellenſis Euſebii* diſſimulatione ad Meletianorum cum Arianis conſpirationem, ſatis manifeſtò patuit ap. *Socratem lib.II.cap.4.6.7.* Theodoretum *lib.III,cap.5.* Rufinum l.I,29.30.

199 Eutyches Abbas Conſtantinopolitanus,accuſatus in Concilio Chalcedonenſi per Euſebium Dorylæi Epiſcopum, noluit judicio ſe ſiſtere,opponens votum à ſe emiſſum,qvod Monaſterio egredi non vellet. Interea miſit ſocios ſuos *cum Epiſtolis & libellis fidei per civitates & monaſteria,& furatus eorum ſuffragia*,provolavit ad Imperat. Theodoſium,nactusqve miniſtros Imperatoris & milites,cum pompa militari ſe ſtitit; At ex ſcriptis jam convictus condemnatꝰ erat,ut eſt in Actis *Conc. Conſtātinopolitani* petitis *Chalced. Act.3. ap. Biniū T.2.fol.81.82. Act.5 p.85.* Et qvanqvā juſſu Imperatoris relegi oportuerit Acta,coram Legato Patricio, propterea qvod Eutyches malam fidem Notariorum accuſaſſet; qvia tamen apertè fatebatur: *ſe poſt unionem, μετὰ ἑνώσεως, non agnoſcere duas in Chriſto naturas*,excommunicatus, degradatus, & ab officio Abbatis remotus eſt. *Act.7.fol.92.93.*

200 Hæc eſt prima limitatio,obſervanda circa objecti corripiendi diſcrimem,qvando qværitur: *Qvô tempore corripiendus ſit proximus?* Videlicet,ad corripiendos errores in doctrina, non eſſe tantiſper cunctandum,qvantiſpet cunctari licet in corripiendis plærisqve morum vitiis; qvia contagium heterodoxiæ occultius,

cc-

celerius & nocentius ſerpit,qvam contagium morum epidemiorum: Econtra pauciores illiqve periti Medici ſunt,qvi noverint mederi doctrinæ vitiis,*qvàm qvi vitiis morum.* Qvemadmodum igitur in incendio Urbis vel Pagi,non licet cunctari à demolitione vicinæ domus,eàdem contignatione vel etiam contiguitate adhærentis ei,qvæ ardet,donec flamma tectis jam incumbere cœperit,neqve à ſigno incendii dando ceſſare tantiſper licet, donec flamma mediam domus partem,in qva orta fuit, jam depopulata eſt ; neqve indicium invadentis hoſtis tandiu differendū,donec portas Urbis jā occupavit: Ita neq; hoc loco. Averſio n. mali & periculi ſaltem probabiliter imminentis toti qvantæcunqve communitati ab heterodidaſcalia qvâcunqve; præferenda eſt averſioni infamiæ heterodidaſcaliam concomitantis, ab uno alterove,etiam benè merito Doctore Eccleſiæ: per communem regulam: Ex duobus malis,qvorum alterum tolerandum eſt, minus eſſe eligendum.

Alterum obſervandum circa tempus correptionis fraternæ, 201
intuitu perſonæ corripiendæ,eſt præſens & evidens defectus alterius monitoris,cui ſive ex officio, ſive ex charitatis regulâ magis incumbit corripiendi munus. Qvanqvam enim, ut ſupra dixi, ſicut in corporalis eleemoſynæ largitione non eſt differenda nec omittenda collatio ex probabili præſentia & voluntate aliorum, mendico huic ſubventurorum; Ita nec in ſpiritualis eleemoſynæ largitione differenda vel omittenda videatur applicatio,ex probabili præſentia & voluntate aliorum monitorum ; Diſcrimen tamen ſumitur à differentia nativæ qvalitatis eleemoſynæ corporalis & ſpiritualis. Eleemoſyna corporalis per ſe nulli ægrè facit: Correptio autem peccati per ſe & ſemper ægrè facit, ſupponit enim aliqvid turpe & correptione dignum. Et qvanqvam privatim ſemotis arbitris fiat,de peccatis cognitis & certis, conjuncta eſt tamen cum aliqvâ offenſione fratris & periculo provocandi eum ad indignationem,blasphemiam,maledictionem,odium,vindictam,aliiqve nonnunqvam graviora delicta,atqve illud ipſum eſt,de qvo eundem fratrem monemus: Igitur in civitate,

Alterum circa Temp. corripiendi obſervandum.

Digitized by Google

in communitate,& citra extremæ neceſſitatis caſum, ubi probabiliter præſumitur,qvod de peccato confratris etiam aliis cognito,ab aliis vicinis,cognatis,Superioribus & Paſtoribus ſuis peccator monitus vel monendus ſit; debeo tanqvam privatus abſtinere à correptione fraterna: At de occultis delictis, certo mihi cognitis,de qvibus conſtat,nondum pœnituiſſe delinqventem neqve præſumitur qvisqvam alius, officio aut conditione peccanti propior,habere noticiam,teneor ipſum corripere,*& è flammâ extrahere*,ut Judas Apoſtolus loqvitur *Epiſt.verſu 23.*

202 Tempus & locus,qvo non licebat Samaritano expectare, donec Sacerdos,Levita,aut alius qvidam popularium liberaret eum, qvi in via Hierichuntina inciderat in latrones Luc.X. determinant talem loci & temporis circumſtantiam,ubi extremum adeſt vitæ periculum: ubi non certò præſumitur ante obitum qvisqvam alius affuturus,qvi vulneratum & ſeminecem ab exitio liberet.

203 Enormis hîc Abuſus Regulæ Papiſticæ,*Omnis Utriusq;:de pœnit. & Remiſſ.* qvæ repetitur *à Concil.Trid.Seſſ.13.Can.9.*defendi ſolet à Caſiſtis,nempe: Qvia vi hujus regulæ,nemo tenetur,niſi ſemel in anno & qvidem die Paſchatos confiteri Sacerdoti, ac conſeqventer ex ipſorum mente non niſi ſemel in anno pœnitentiam agere; uſqve adeò,ut qvi die Palmarum,vel in octava Paſchatos confeſſus fuiſſet,huic præcepto Eccleſiæ neqvaqvam ſatisfeciſſe cenſeatur: ex ſententia *congregationis Concil.Cardinalium d.18.Feb. 1598. & 21. Maji 1607. uti Joannes Gallemart & Sotcallus* notarunt ad illum Canonem Concil.Trid. Hinc inferunt Caſiſtæ: Qvanto tempore peccator habet ſpacium non pœnitendi, tanto habet & ſpacium non reſipiſcendi, qvia illa eſt hâc ordine prior: Qvanto autem tempore peccator ſpacium non reſipiſcendi habet, tanto tempore & proximus ſpacium habet eum non admonendi de pœnitentiâ; ſed,qvemadmodum iniqvus exactor eſt,qvi debitum in diem contractum,exigit ante diem ceſſum: Ita iniqvum Monitorem fore,qvi ante diem Paſchatis, vel ante hebdomadam pœnoſam dehortetur proximum à qvovis peccato commiſſo. Ita

Enormis cavillatio Papiſtica, de immunitate ab officio correptionis intra tempus Paſcha.

Abo-

Abulenſis ſupra allegatus *in Cap.XVIII. Matth.q.83: Qvia peccator nullo præcepto tenetur, ut ſtatim agat pœnitentiam, igitur neq; nos teneri ad eum ſtatim monendum ante Paſcha.* Sylveſter *Voc. Correctio Fraterna q.1.* Summa Angelica *ibid.n.1.* & alii ap. *Azorium l.d.* Et Commentatores Thomæ communiter *in 2.2.q.33.Art.2.* Cùm qværitur de Tempore, *Qvando obliget præceptum correptionis?* Lorca *Diſp.41.* Turrianus *diſp.86.* Qvod miror defendi ab Ægidio Regio, ſive Koninck. *de Sacramentis Tom.2.Diſp.3.dub.3.* Et de Act. Supernat. *Diſp.68.Dub.6.n.116.ſeqq.* hoc ſchemate: Qvia non magis obligor ad procurandam emendationem proximi, qvàm ipſe obligatur ad ſuam; Ille verò non obligatur tempore medio inter Paſcha & Paſcha, reſurgere à peccato: ergò nec ego obligor currente illo annui ſpacio monere ipſum ad deſiſtendum à peccato.

Imò, inqvit, *poſſum ſvadere peccatori, ne confiteatur ante tempus* 204
ab Eccleſia præſcriptum, in Cap. Omnis utriusq;; et ſi ſciam, eum neq; juſtificari ante confeſſionem illam poſſe: E. multò magis poſſum abſtinere ab exhortatione ipſius ad agendam pœnitentiam, donec veniet pœnitendi tempus ab Eccleſia definitum. Miror, inqvam, hæc à *Regio & Laymano Theol.moral.l.5.Tract.6.c.2.n.5.* Ferdinando de Caſtro Palao *Tom.1.Moral.Tract. VI. Diſp.3 puncto 2.* aut qvoqvam alio defendi; qvum manifeſtò pugnent cum præcepto divino illicò revertendi: *Hodie ſi vocem ejus audieritis, &c. Pſ.XCV.* Et ad *Ebr. III.* cum ſcopo Chriſti Luc.XIV,6. de non deferendo tantiſper aſino proximi in fovea, donec præterierit Sabbatum. Sic Cap.XIII,15.16: *Hypocrita, Tu non differs potationem Aſini tui ad diem proximum; nunqvid ego differam ſolutionem hujus ligatæ filiæ Abraham? &c.*

Et prætereà manifeſta cavillatio eſt ipſius Canonis Tridentini, *ſaltem in Paſchate eſſe confitendum. Tò ſaltem* enim comparati- 205
vum eſt, & tantundem notat, *qvod ad minimum eſſe ſemel in anno communicandum:* non excluſivum. Qvomodo, ſi cuiqvam Collegio præſcriptum eſſet, ſingulis ſaltem menſibus habere Diſputationem publicam: Collegium autem exinde conaretur interdicere ſuis membris, ne qvis ſæpius ad diſputandum prodiret, ἀδοξία futura erat.

Digitized by Google

206 *Thomas* ipſe hoc non docuit. Qvanqvam enim *Art.2.ad.3.* dicat: *Correptionem tripliciter omitti poſſe: Uno modo meritoriè, qvando aliqvis ex charitate correptionem omittit, ne videatur peccantem pro indiſpoſitione præſenti ad majus malum, majus damnum aliis, majus ſcandalum dandum irritare*: idq; ſuffragio Auguſtini probet, *1. de Civit.c.9: Si propterea qvisq; objurgandis & corripiendis malè agentibus parcit, qvia opportunum tempus inqviritur, vel iisdem ipſis metuit, ne deteriores exinde efficiantur: vel ad bonam vitam & piam erudiendos impediant alios infirmos, & premant, atq; avertant à fide; non videtur eſſe cupiditatis occaſio, ſed conſilium charitatis. Alio modo prætermitti correctionem fraternam cum peccato mortali, qvando ſcil. formidatur judicium vulgi & carnis excruciatio*, (ſunt ejusdem Auguſtini verba) *vel peremptio: dum formido illa ſic dominatur in animo, ut fraternæ charitati præponatur.* Hoc contingere; qvando probabiliter præſumitur de aliqvo delinqvente, qvod poſſes eum à peccato retrahere, & tamen propter timorem incommodi, vel propter cupiditatem commodi, illud prætermittis. *Tertio modo fieri omiſſionem correctionis veniale peccatum: qvando timor & cupiditas tardiorem faciunt hominem ad corrigenda delicta fratris, non tamen ita, ut, ſi ei conſtaret, qvod fratrem poſſet à peccato retrahere, correptionem propter timorem vel cupiditatem omittat, vel omiſſurus ſit, ſed hisce affectibus charitatem fratris ſit præpoſiturus: Et hoc modo qvandoq; Viros ſanctos negligere correptionem delinqventium;*

207 Non ſic tamen inſaniit Thomas, ut doceret: differendam eſſe correptionem proximi à Paſcha ad Paſcha, etſi *Decretalis illa Concilii Lateranenſis* jam prodiiſſet, ut ex Chronologia, & *ſupplemento Thomæ Qvæſt.VI.Art.3.* conſtat, ubi Thomas ſibiipſi hanc Decretalem objicit, qvando qværit: *Utrum omnes, etiam qvi ſolis venialibus obnoxii ſunt, teneantur ad confesſionem?* & reſpondet ad 3: *Qvod Decretalis prædicta non obliget niſi illos, qvi habent peccata mortalia*, qvia Decretalis jubet *Omnia peccata* confiteri. Hoc non poſſe de venialibus intelligi, &c. (Qvod eſt contra communem hodiernam doctrinam & expoſitionē hujus Decretalis) Qvinpo-

potius eopte loco paulò ante allegato, ubi de opportunitate correptionis fraternæ agit, ad object. 4: *Si correctio mihi incumbit ex debito, tunc teneor qværere occaſionem corrigendi proximum, & inqvirere in ſingulorum lapſus: Qvemadmodum teneor inqvirere in egenorum & mendicorum conditionem, ut ſubvenire iis poſſim:* At illud eſt abſurdum, &c. Sic reſpōdet: *Illud, qvod debetur alicui certæ & determinatæ perſonæ, ſive ſit bonum corporale ſive ſpirituale, oportet ei impendere, non expectantes donec nobis occurrat, ſed debitam ſollicitudinem habentes, ut eum inqviramus, ſicut debitor tenetur inqvirere creditorem, ubi tempus ſolutionis ceſſit, &c. Ita, qvi habent ſpiritualem curam alicujus* (ut Paſtor) *debet peccatorem qværere, ad hoc, ut corrigat eum de peccato: ſed illa beneficia qvæ non debentur certæ perſonæ, ſed communiter omnibus proximis, ſive ſint corporalia ſive ſpiritualia, non oportet nos qværere qvibus impendamus, ſed ſufficit qvod impendamus eis, qvi nobis occurrunt juxta illud Auguſtini, Serm. XVI. de Verb. Domini: Admonet Dominus noſter, non negligere invicem peccata noſtra: Non, qværendo qvid reprehendas, ſed videndo qvid corrigas: Alioqvin efficeremur exploratores vitæ aliorum, &c.*

Hinc videas angi qvosdam Thomæ commentatores, ut concilient ſpacium ad agendam pœnitentiam conceſſum (juxta modernam opinionem) in illa Decretali *Omnis utriusq;* cum ſpacio ad corripiendum peccatorem. *Bannes ad Art. II. Dub. 2. ad* 4. diſtingvit inter dominium actionum ſuarum, qvod peccans habet ex conceſſione Decretalis, & inter obligationem meam de cuſtodiendâ ſalute proximi: Illum qvidem poſſe differre pœnitentiam ſuam usqve ad Paſcha, ſed non ſeqvi, qvòd ego propterea poſſim differre exhortationem meam usqve ad Paſcha. At verò caſtigatur ab aliis, & oſtenditur ei: Me non teneri ad plus diligendum proximum, qvàm ipſe tenetur ad diligendum ſemetipſum ex præcepto Eccleſiæ: At ille non tenetur in tantum ſe diligere, ut agat pœnitentiam ante Paſcha: E. nec me teneri ad exhortandum ipſum ad id ante tempus, qvod definivit Eccleſia. 208

Digitized by Google

209 Itaqve aliter reſpondet *Malderus eod l Art.2. Dub.1. ad3.* Diſtingvendo inter fatalia confitendi,&fatalia pœnitendi. Sed Bannes evicit: *neutrum ex his,qvæ ordinata ſunt ad ſumptionem Sacramenti,*ut contritionem cordis,confesſionem oris&ſatisfactionem operis,*prærеqviri tempore,niſi qvando continuitas intercedit inter illa & communicationem Sacramentalem*: Et qvantum qvisqve habet, ſpacii ad confitendum, tantum etiam habere ſpacium ad pœnitendum.

210 Ferdinandus à Caſtro Palao,*Qvalificator ſanctæ inqviſitionis* l. mox citando,utitur hâc ratione: *Non poſſum corrigere proximum, niſi mediante ipſius voluntate: Qvandiu igitur proximus non tenetur apponere voluntatem ſuam ad admittendam tuam correctionem: Tandiu Tu immunnis es ab illo corrigendo. Si enim nec Te,nec Teſtes, nec Eccleſiam tenetur audire,neq; tu teneberis correctionemTuam apponere.* Bella ratio, illuſtre effatum à Qvalificatore ſanctæ inqviſitionis! Integro anno qvi labitur à die Paſchæ ad diem Paſchæ,nemo Chriſtianorum tenetur audire ſive fratrem ſolùm,ſive adſcitos teſtes, ſive ipſam Eccleſiam corripientem audire: ſufficit ſi incipiat aures arrigere in Sabbatho Sancto.

211 Hoc monſtrum prævidens Antvverpienſis Epiſc. *Joannes Malderus,q.8.ad h.l.Thomæ,*neqve audens tamen diſcedere à communi ait: *Fortè* nondum præceptum pœnitendi urget fratrem, ſed Te urget præceptum corripiendi,ipſumqve præparandi ad pœnitentiam&c.Cū eadem trepidatione loqvuntur *Amicus & Ariaga* ad h.l. Thomæ,ſed non expediunt ſe,ob definitionem Cardinalium: *Qvod præceptum de confesſione annua,die ReſurrectionisDominicæ faciendâ,ſit excluſivum.*

212 Dicam amplius. Videlicet: Ex communi hypotheſi Moraliſtarum & Caſiſtarum Pontif. ſeqvi, Qvod ne qvidem adveniente fatali confitendi in Paſchate,neqve ullo alio tempore, niſi ſolo mortis Articulo;teneor corripere peccantem, & cumprimis Principes Viros,& Magnates circa regimina ſtatus publici occupatos. Ratio hæc eſt: (1) Qvia ad implendum præceptum poſitivum Eccleſiæ de confesſione,& Sacramenti ſumptione annuâ, non

Myſterium impietatis Pontificiæ,de obligatione pœnitendi & conſeqq. corripiendi.

*non reqviritur perfecta pœnitentia, neq; perfectus dolor de præterito, neq; actualis emendatio de futuro; ſed ſufficit pœnitentia imperfecta, id eſt: ſufficit ſola attritio,*exhalans ex naturali fœtore & turpitudine peccati,qvatenus lædit honeſtatem naturalem: imò ſufficit *virtualis attritio,*id eſt,diſpoſitio animi: Me ſcil.de præſenti qvidem non dolere; appetere tamen ſenſū doloris de peccato commiſſo, ubi magis vacat aut opportunum eſt à ratione ſtatus,à qvalitate officii mei,qvod de præſenti nō patitur,iſtis mortificationibꝰ me dedere. *Ita virtualem attritionem* deſcribunt *Cajet.in 3. Thom. q. 86. art.1.* Nugno Cabezudo *ibid. ad 6. & in Supplem. Thom.q.2.Art. VI. Diſp.I.* Layman ipſe l. mox citando. *Et Cap.IV.n.14.* Ideoqve etſi periculoſam fatentur dilationem usqve ad extremum mortis articulum; negant tamen reqviri inſtantaneam pœnitentiam de præcepto Dei aut Eccleſiæ. Negant,*dilationem iſtam cenſeri poſſe pro novo impœnitentiæ actu:* & hæc eſt communior ſententia, uti ex*Thoma,Durando,Cajetano,Navarro,Soto,Svarez,Henriqvez* aliiſqve docent *Ægid. de Koninck* ſive Regius,l.d.*Saa,Lorca, Villalobos,* ap.Torrē,ſive Turrianū *Diſp.3.de Sacr.pœn.dub.3.* Layman *l. V.Theol. moral.Tract.VI.Cap.2.n.2.* & Caſtro Palao.*T.1.moral.Tract.V.Diſp.3. puncto 2.* *(2)* Deinde ſeqvitur hæc illatio ex communi eorundem Caſiſtarum doctrinâ de reqviſito concurſu ſimultaneo ex- 213
tremæ neceſsitatis *ſpiritualis & corporalis*: & diſtinctione inter *præſentem,gravem,& extremam neceſsitatem,*anteqvam privatus teneatur corripere peccantem,nempe: Si ſola ſpiritualis, etiamſi extrema neceſsitas,ſeu extremum periculum peccandi mortaliter adſit,non conjuncto tamen extremo vitæ corporalis periculo; tunc non teneri privatum,ut corripiat ſic conſtitutum fratrem: Qvia ipſe,qvum vita probabiliter ſuperfutura videatur,poſſit ſe corrigere & præſumatur velle. Hæc eſt apud eosdem Autores. Ergo non exiſtente mortis articulo non tenetur frater corripere fratrem: Et conſeqventer præcepti Chriſti nullus eſt uſus in vitâ communi,*qvandiu in via ſumus.*ut Matth.V. dicitur, *neq; ſepties, neq; ſeptuagies ſepties,*ſed in universâ vita ſemel tantùm obligat hoc præceptum Chriſti,ex modernorum Caſiſtarum doctrinâ. Op-

po-

Digitized by Google

poſitum tenentes refutare conatur *Caſtro Palao l. c. num. 6.* Et citat pro ſuâ ſententiâ laudatos ante Scriptores. Qvaſi verò id, qvod contingit ſeptuagies ſepties evenire, non niſi concurrente extremo periculo vitæ corporalis & ſpiritualis ſimul eveniat. Niſi fortè Jeſuitæ ſeptuagies ſepties de vita utraqve agonizant.

(3) Principes & Magnates autem ideò neqve audent cor-
214 ripere, qvia ex communi Caſiſtarum doctrina, non ſolùm *poſſunt colere juſtitiam univerſalem* reqviſitam ad conſervationem Reip. etiamſi particularem juſtitiam ſive œconomicam ſive civilem neqve habituàliter neqve actualiter colant: (ſecus autem Apoſtolus docuit: *Si qvis domi ſuæ non bene præeſt, qvomodo communitati præerit? I.Tim.III.Tit.I.*) Sed præſumitur qvoq; de Principibꝰ: qvādo juſtitiam particularem violant, v. gr. qvādo Rex Scotiæ utitur jure ſuo, de qvo *Cambdenꝰ, Buchananus* & alii, & vitiat ſpōſas ſubditorum: qvando Isboſeth diſſimulat pravam conſvetudinem N.N. cum matre ſua, &c. *id facere Eos ad conſervanda jura Majeſtatis ſuæ, & ſtatum publicum.* De qvo myſterio iniqvitatis præſtat ſilere in ſcholis, qvàm curioſitatem adoleſcentum provocare.

§ XII.

De Loco Correptionis fraternæ.

Circumſtantia hæc, uti cognata eſt Circumſtantiæ temporis, ita non multum difficultatis habet, ubi de illa conſtat. Cùm e-
215 nim conſtet, correptionem fraternam oportere adhiberi privatim, & de privatis delictis, niſi in extremo caſu neceſſitatis, ſeu extremo vitæ aut animæ, aut utriusqve periculo, & ubi monitores alii deſunt, qvos in publico, & de peccatis publicè notis fratres aut ſubditos ſuos corripere oportet: facilè liqvet, citra hunc caſum non licere, ut fratrem in publico corripias. Determinatio modi Matth. VIII. *Inter Te & ipſum ſolum, &c.* deſcribit etiam locum & forum correptionis fraternæ. Alia autem ratio eſt obligationis, ſi frater deprehendatur in flagranti flagitio, qvod cum præſentiſſimo

ſimo animæ exitio & vitæ periculo conjunctum eſt. v.gr. in duello, in ſeditione, in idololatriâ, &c. imminente pariter vitæ fine: Hîc enim corripiendus eſt proximus, etiamſi nulla probabiliter ſperetur emendatio, ſi abſint alii, qvibus ex officio incumbit correptio; Vi regulæ, *de liberando bove & aſino proximi periclitante ſub ſarcinâ Exod.23. Deut.22.* ut exempli gratiâ: refert *Eſſencæus in II. ad Tim.III.* Martyribus ad rogum damnatis Pariſiis, & miſericordiam Jeſu implorantibus acclamatum fuiſſe ab obeqvitãtibus Sacerdotibus: *Stulte, dic Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ, &c.* & reprehenſos adeò, qvod Dei miſericordiam propter Jeſum implorarent. Si contigiſſet igitur, decipi damnatum impia Sacerdotum voce, & omiſſa invocatione Chriſti, invocare Mariam iſto modo: Maria, &c. Tu me ab hoſte protege, in horâ mortis ſuſcipe; tenetur qvilibet, etiam cum vitæ periculo corripere miſerũ miſerè deceptũ: At Alaſtoras ipſos non tenetur illicò corripere, qvia præſumuntur incorrigibiles per primam & ſecundam correptionem, non probabili, ſed violentâ præſumptione: Iſte verò ad Rogum damnatus confeſſor, non præſumitur incorrigibilis: igitur inſtante vitæ & animæ periculo, etiam in publico corripiendus eſt.

De loco correptionis Paſtoralis alia ratio eſt. Habent & illi tribunal ſuum in Cathedra: at non excluſivum, qvin extra Templum aut Cathedram, ſi periculum ſeductionis, aut alia qvædam prægnans cauſa ſubſit, corripere poſſint publicè peccantes. 216 Idqve ἐπ' αὐτοφώρῳ: uti *Samuel Saulem*, deprecantem correptionem publicam, *I.Sam. XV.* Et nota eſt indignatio Amoſi Cap.V. in eos, *qvi detrectabant corripi in publico*, qvum tamen non puderet eos peccare in publico. Ad *locum* etiam correptionis fraternæ pertinent loca Conciliorum, non ſolùm Diœceſanorum, ad qvæ vocantur Paſtores & Laici diœceſani, ſed etiam extraneorum, ad qvæ citantur Extranei, vel in qvibus judicantur extranei; non ſecus, ac in vicinis Provinciis deliberatur de bello propulſando, qvando in vicinia bellum geritur, & metus eſt, ne flamma noſtram qvoqve ditionem corripiat. Uti ſupra §. de *ſubjecto corri-*

Locus corripiendi in Conciliis.

 gen-

Digitized by Google

gente oſtendimus: Extraneos corripuiſſe extraneos in cauſis fidei. Sic *Epiphanius, Cypri Epiſcopus*, Joannem Ieroſolymitanum: *Cyprianus Carthaginenſis* Cornelium & Stephanum Romanos: *Oſius Cordubenſis, Lucifer Calaritanus, Euſebius Vercellenſis*, plæroſqve extraneos corripuerunt. Verùm hæc ad *correptionis tertium gradum*, ſive Eccleſiaſticam correptionem ſpectant.

§ XIII.

De Ordine Correptionis fraternæ.

217 Frivola qvæſtio eſt, qvam Minorita *Bernardinus de Arevalo* in libro deCorreptione fraternâ, & pauci alii Caſiſtæ *apud Bannem Art.7.Concl.1.* movent, de principio obligante ad ordinem in correptione fraterna ſervandum, *An ſolum ſvadeatur à Chriſto, Mat. XVIII.* ut frater ante ſecretò corripiatur, qvàm adhibitis teſtibus arguatur, & qvàm denuncietur Eccleſiæ: *An verò etiam præcipiatur?* Et, ſi præcipitur, An præcipiatur *ex jure poſitivo*, ex poteſtate legislativâ Chriſti, qvemadmodum præcepit Baptiſmi & S.Cœnę uſum? *An verò ex jure naturali*, hactenus qvidem incognito, ſed qvod Chriſtus tanqvam Novus Legislator declaraverit, & ſervandum inculcaverit, qvale præceptum eſſe ajunt de *diligendis inimicis*: *de injuriâ perferendâ*, aliaqve fingunt eſſe ſuperaddita legi naturæ & Moſis?

218 *Ordo à Chriſto præſcriptus, eſt legis naturæ.* Qvod ad *primum* attinet, manifeſtum eſt; Petrum ap. *Matth. XVIII.* qværere de rigore debiti naturalis, & agere pro limitatione illius debiti, non pro ejus ampliatione & extenſione: Videbatur enim ei indignum, toties remittere peccanti. Patet idem ex verbis præceptivis Chriſti reſpondentis, *Argue, Aſſume, Dic Eccleſiæ: ſit Tibi ſicut Ethnicus, &c. Mat. XVIII. 3; L. XVII* προσέχετε ἑαυτοῖς, *cavete vobismetipſis à nimio rigore: Si autem peccaverit in Te frater tuus, corripe eum, &c.* At ſic conveniebat Mangonibus divinorum beneficiorum, qvibus conſtitutũ erat omninò lucrari ſupero-

erogationis qvædam opera. Si enim omnia ex præcepto debebantur, nihil ex ſola ſvaſione melioris perfectionis; ſupererogatoriis operibus nullus futurus erat locus. Et mirandum eſt: *Ariagam* hic velle tueri *probabilitatem ſolius ſvaſionis*; unàqve cum *Fr. Amico. Sect. II.* qvalitatem fidei, adhibendæ huic propoſitioni: *Qvod correptio fraterna ſit ex præcepto: Qvod ordo correptionis fraternæ ſit ex præcepto ſervandus:* audeant facere dubiam: *An etiam ſit de fide hoc credere, qvod fraterna correptio ſit res præcepti, qvod ordinis obſervatio ſit res præcepti?* Negat enim hoc *Sotus Tract. de tegendo ſecreto.* Scil. ut tantò majus precium accedat corripienti cum ſervaverit hunc ordinem, neq; gratis ſervare cogatur ordinem præceptum à Chriſto.

Rectius *Joannes Malderus Antverp. Epiſc. de Virtutibus Theologicis*, ſive Commentario *in 22. Thom. ad hanc q. Art. 8. Dub. 1: An Chriſtus poteſtate ſua legislatoriâ hic aliqvid addiderit Legi naturæ, qvod illa nō continebat?* Cenſuit reſpondendū eſſe hunc modum: *Certum eſt, Chriſtum nihil addidiſſe poſitivè juri naturæ, qvando regulam iſtam poſuit de ordine correptionis fraternæ. Eſt enim communis ſententia: In lege Evangelica nullam eſſe factam additionem ad legem naturæ, per aliqvam merè poſitivam, niſi in illis, qvæ pertinent ad Sacramenta, &c.* Supereſt ergò, ut ille correptionis ordo *lateat in legibus juris naturæ, ſicut dilectio inimicorum, & alia nonnulla qvæ in luce Evangelica à Sole juſtitiæ magis illuſtrantur, qvamvis reverâ ſint juris naturæ.* 219

220

Ratio eſt manifeſta: jure naturæ teneor *proximum diligere ſicut meipſum.* Teneor honorem proximi mei tueri, qvandiu poſſum: jure naturæ teneor proximâ etiā compendioſisſimâ via ire ad emendationē proximi, ex ſententia *LL Exod. 23. Levit. 19. Deut. 22.* ſupra allegatarum: At proximum omiſsâ privata admonitione, ſive etiam in publico mox redarguere, ſive illico ad judicem deferre, non eſt via proxima & compendioſisſima ad eum emendandum, neqve eſt tuitio honoris proximi omnibus poſſibilibus modis: neqve eſt æqvalis dilectio proximi atqve meiipſius: Nemo

mo enim cupiet errorem ſuum mox propalari, nemo, non admonitus accuſari, &c. E. præceptum de ordine in correptione fratris ſervando, eſt præceptum Legis naturæ.

221 Ejusdem commatis eſt qvod movent *de objecto adæqvato* ſermonis Chriſti, Matth. XVIII, qvi videtur diſponere ſolùm de *injuriâ aut damno mihi in ſpecie illato*, & de ordine procedendi circa horum emendationem: non autem de qvovis alio peccato proximi, ſive in Deum, ſive in alium extra meam perſonam commiſſo: Igitur fieri ſaltum de cauſa in cauſam, qvando ordo præſcriptus in corripienda injuria mihi illata, extenditur ad ordinem præſcriptum in corripiendo proximo, de qvovis alio peccato in qvemcunvis commiſſo. At inanis cavillatio eſt. Infero enim à fortiori: Qvam εὔνοιαν teneor ſervare in correptione injuriæ mihi ipſi illatæ, eam multò magis teneor ſervare in correptione injuriæ cuivis alteri illatæ, niſi Reip. ſalus aliud reqvirat, nempe, ut propter periculum incendii, infectionis, rebellionis, &c. illicò fiat denunciatio ad judicem.

Objectum qvodvis ordine corripiendum eſt.

222 In qvam ſententiam Auguſtinus etiam pronunciavit, exponens illam Chriſti regulam, Matth. XVIII. *Serm. XVI. de Verb. Dom. Sic agamus & ſic agendum eſt, non ſolùm qvando in Nos peccatur ab aliqvo, ut ab altero neſciatur; in ſecreto debemus corrigere, in ſecreto arguere: ne volentes publicè arguere, prodamus hominem. Nos volumus corripere & corrigere: Qvid, ſi inimicus cupiat audire qvod puniat? Novit enim neſcio qvem hominem Adulterum Epiſcopus, & alius illum nemo: Ego nolo eum publicè corripere, & Tu qværis eum inſcribere. Prorſus nec perdo nec negligo eum: Corripio in ſecreto, Pono ante oculos Dei judicium, Terreo cruentam conſcientiam: Perſvadeo pœnitentiam: Hâc charitate præditi eſſe debemus.*

Teſtimonium Auguſtini.

223 *Aliqvando homines reprehendunt Nos, qvòd qvaſi non corripiamus; aut putant, Nos ſcire qvod neſcimus; aut putant nos tacere qvod ſcimus. Sed fortè qvod ſcis, & ego ſcio; ſed non coram Te ego corripio, qvia curare volo, non accuſare. Sunt homines Adulteri: in domibus ſuis in ſecreto peccant: Aliqvando nobis produntur ab uxoribus ſuis ple-*

plerumq; zelantibus, aliqvando Maritorum ſalutem qværentibus: Nos non prodimus palàm ſed in ſecreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum, &c. Hæc Auguſtinus.

Conſonat ſententia *Chryſoſtomi* homil. IV. in poſteriorem ad Theſſal. qvando etiam ſuam Epiſcopi perſonam à Parochianis conveniri rogat, anteqvam deferatur aut accuſetur apud Plebem. *Hanc à vobis*, inqvit, *peto gratiam, ut accedatis, ut expoſtuletis, & excuſationem à nobis accipiatis. Argue, ait ille, ne fortè non dixerit: Argue: ne fortè non fecerit, & ſi fecerit, ne addat amplius. Aut enim excuſabimus, aut condemnati veniam petemus: & de cætero ſtudebimus, ne in eandem culpam incidamus. Hoc & nobis confert & vobis. Vos qvidem, abſq; ratione nos fortè accuſantes, ubi veritatem rei intellexeritis, corrigemini: Nos autem ignoramus peccaſſe, & corrigimur. Vobis qvidem non prodeſt: Nam illis conſtituta eſt pœna, qvi verbum ocioſum de nobis emittunt: Nos autem crimina tàm vera qvàm falſa repellimus* (exuimus) *Falſa qvidem falſa eſſe oſtendentes; Vera autem, Ea non amplius facientes.* 224 Chryſoſtomi.

Mox digreditur ad excuſationem errorum ſuorum, ex multitudine negociorum ſurrepentium: *Omninò neceſſum eſt, ut cui tùm nulla ſunt curæ, & ignoret, & peccet ex ignorantiâ. Nam, ſi unusqvisq; Veſtrum domum habens, & uxorem, & filios, & ſervos, qvos regat, alius qvidam plures alius pauciores; In tam paucis tamen & numeratu facilibus, multa peccare nolens cogitur* (ἀναγκάζεται) *aut neſciens, aut volens aliqvid corrigere; Multò magis Nos, qvi tanto præſumus populo! Et vos adhuc multiplicet Deus, &c. In omnibus ſumus æqvales, in baptiſmi perceptione, in ſacris epulis, &c. In qvonam ergo exupero? In curis, in laboribus, in ſollicitudinibus, &c.* 225

Eandem exhortationem repetit homil. V. ad illud capitis Tertii: *Corripite ut fratrem, non autem contumelia afficite* (ἐχ᾽ ὑβρίζετε ὡς ἐχθρὸς: Apoſt: μὴ ὡς ἐχθρὸν ἡγεῖσθε) *nõ ſicut hoſtẽ ducite. Qvi fratrem,* (inqvit) *admonet, ἐ νεθετῶν, non facit hoc publicè, δημοσίᾳ, non producit probrum in publicum, ſed hoc facit privatim, & cum magna cautione, & dolens & ægrè ferens, & lacrymans & lamentãs.* 226

N 3 Ex

Ex fraterno igitur animo præbeamus, ex fraterno propoſito corripiamus, &c.

227 Idem *Chryſoſtom.* in Regulam illam ChriſtiMatth.XVIII. *Corripe Eum inter TE & ipſum ſolum.* homil. LXI.*Vide, inqvit, qvomodo illos qvoq; (qvi ab aliis ſcandalizantur) comprimit atq; coercet? Et inter duos ſolummodo* (*μεταξὺ τῶν δύο μόνων:* Inter duos ſolos) *correptionem fieri jubet? Ne ſcilicet teſtimonio multitudinis graviore accuſatione viſâ, dedignatus ille duriorem ſe ad corrigendum præbeat. Ideò dicit: Inter Te & ipſum ſolum, &c.* Paulò poſt: *Nam qvoniam non facilis ille, qvi injuriam fecit ad ſatisfaciendum eſt, rubore ac dedecore qvodam impeditus, eum qvi paſſus eſt non temerè ad illum, ſed emendandi cauſa mittit. Non enim dicit: Accuſa, increpa, pœnas petito, ſed argue inqvit. Nam cum ille partim irâ, partim rubore, qvaſi vino ſopitus non videat; opus eſt ut Tu, qvi rectè vales, ad ægrotum proficiſcaris, & privatum qvoddam judicium conſtituas* (*ἀδημοσιεύτον ποιῆσαι τὸ δικαστήριον*) *& acceptabilem medicinam* (*εὐπαράδεκτον ἰατρείαν*) propines.

228 Hinc ſeqventem gradum & modum admonendi à Chriſto inſtitutum, ſi privata correptione nihil effeceris, declarat: *Qvid igitur, inqvies, faciam, ſi frater durus & pertinax fuerit?* (gr. ſi imperſvaſibilis & pertinax permanet & jacet, *διακέηται;*) *Aſſume tecum, inqvit Chriſtus, unum aut duos, ut in ore duorum aut trium Teſtium ſtet omne verbum. Nam qvantò ille impudentior & pertinacior fuerit, tantò magis ad emendationem ejus absq; ira & indignatione nos properare oportet. Nam & Medicus, cùm graviorem videt morbum, non deſiſtit, nec moleſtiâ oppreſſus deficit, ſed ad remedia adhibenda diligentius ſe accingit: id qvod nos etiam facere Chriſtus jubet. Qvandoqvidem enim ſolus imbecillior viſus es, acceſſione Duorum fortior evade. Enimverò ſufficiunt Bini ad corripiendum delinqventem. Vide n' qvomodo non ſolùm ejus, qvi laceſſitus injuriâ eſt, verùm etiam laceſſentis utilitatem qværat? Nam verè injuriam patitur is, qvi paſſionibus ſuis ſuccumbit; Is inqvam, pro ægroto & infirmo habendus eſt: Eaq; propter Chriſtus ſæpius illum ad hunc mittit, nunc qvidem ſolum, nunc verò cum ſociis.*

Chryſoſt. de ſecundo gradu corrept.

Qvod

Qvod ſi verò æger permanſerit, Etiam cum Eccleſia illum jubet accedere. Ait enim: Dic Eccleſiæ. Si enim laceſſiti commodum ſolùm qværeret, certè non juſſiſſet ſeptuagies ſepties pœnitenti eſſe remittendum: neq; toties, neq; tàm multos conſtituiſſet Curatores pravæ illiq affectionis. Nunc verò, non ſemel ſed bis & ter curare eum jubet; nunc qvidem ſolùm, nunc verò adſcitis duobus ſociis, nunc verò adſcitis qvamplurimis, &c. Poſt pauca: *Qvum de fratribus legem promulget, Tres peccanti Magiſtros atq; judices conſtituit, qvi doceant & exponãt, qvid per temulentiam commiſerit, &c.* 229 De tertio.

Paulò inferiùs: *Non enim pariter æqvo animo ab alio, qvàm injuriam perpeſſo objurgationem ſuſtinebit, præſertim, qvando ſolus fuerit, qvi ipſum arguit. Vide, non ſupplicii causâ hoc præcipitur, ſed correctionis. Propterea mox ab initio ne duos qvidem ipſi teſtes adhibere permittit; Et ne tunc qvidem, qvum correptus refragatus fuerit (ἀϐ-νήσῃ:* diſſenſerit, diſſonum ſe exhibuerit) *immittit ipſi multitudinem: ſed usq; ad duos permittit aſſumentum,* (παραθήκην, duos permittit aſſumi) *vel unius ſaltem: Qvod ſi etiam hos deſpexerit, tunc demum eum ad Eccleſiam evocat. Tam magnam adhibet ſollicitudinem, ne proximorum peccata propalemus, neq; mox ab initio propalari jubeamus. Imò verò, ne hoc fiat jubet. Sed conſtituit, ut poſt unam atq; alteram admonitionem id fiat.* Iſta Chryſoſtomus. 230 De primo.

Hilarius Canoni XVIII. in h.l. Matthæi hoc argumentum præmittit: *De corripiendis fratribus ſecretò primùm, tùm duobus teſtibus, poſtremò Eccleſiâ præſente.* In ipſo Comment: *Eum ordinem continendæ charitatis nobis Dominus impoſuit, qvem ipſe in conſervando Iſrael tenuerat: Jubet enim peccantem fratrem ab eo ſolo, in qvem peccaverit, corripi atq; objurgari.* Hoc illuſtrat exemplo Dei, ſolio in monte Sina & deſerto populum objurgantis: Qvum autem voci ejus non parerent: Adſumpſiſſe Moſen Prophetas, & Baptiſtam: Qvum nec his parerent, Chriſtum & Diſcipulos, tanqvam totum cœtum Eccleſiæ inſpectantis miſiſſe. 231 Hilarii

Hieronymus in h.l. Matthæi: *Corripiendus autem eſt frater ſeorſum, ne, ſi ſemel verecundiam ac pudorem amiſerit, remaneat in peccato.* 232 Hieron.

to. Et ſi qvidem audierit, lucrifacimus animam ejus, & per alterius ſalutem nobis qvoq; acqviritur ſalus. Sin autem audire noluerit, adbibeatur frater: Qvod ſi nec illum audierit, adhibeatur tertius; vel corrigendi ſtudio, vel convincendi ſub teſtibus. Porrò, ſi nec illos audire voluerit, tunc multis dicendum eſt, ut deteſtationi eum habeant. Et, qvi non potuit pudore ſalvari, ſalvetur opprobriis. Qvando autem dicitur: Sit Tibi velut Ethnicus & Publicanus: Oſtenditur, majoris eſſe deteſtationis, qvi ſub nomine fidelis agit opera infidelium, qvàm hi, qvi apertè gentiles ſunt.

233 *InnocētiiPP.* Innocentius III. Cap. *Licet Heli 31. de Simon. Ad corrigendos,* inqvit, *ſubditorum exceſſus, etſi tribus modis procedi poſſit: per accuſationem videlicet, denunciationem, & inqviſitionem ipſorum: ut tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela, ſicut accuſationem legitimam præcedere debet inſcriptio* (de qva ſupra Auguſtin. Serm. 16. de V.D.) *Sic & denunciationem charitativa correctio: Et inqviſitionem clamoſa debet inſinuatio prævenire. Deſcendam inqvit Dominus & videbo, utrum clamorem qvi venit ad me, opere compleverint, &c.* Paulò poſt: *Contra qvos Monachos, cum idem Abbas Pompoſianus exciperet, qvod denunciationem hujuſmodi, fraterna correptio, ſecundum regulam Evangelicam non præceſſerat: & iidem conſtanter aſſererent, qvod correctionem hujuſmodi præmiſiſſent; ex officio inqviſivimus, &c.*

234 *Docendū eſt, præmiſſam fuiſſe admon. privatam.* Idem Innocent. *Cap. Cum dilectus 20. de Accuſat.* ArchiEpiſcopo Tarraconenſi, Abbati S. Mariæ de Populeto, & Archidiac. Barcinon. *Si vobis conſtiterit præfatum Epiſcopum de jam dictis exceſſibus non fuiſſe præmonitū ab eiſdem, à denunciatione repellatis eoſdem: alioqvin audiatis qvæ fuerunt hinc inde propoſita.* Audin' Niſi cōſtiterit ex Actis, præmiſſos fuiſſe gradus privatæ admonitionis: Prælati Eccleſiaſtici vetantur admittere tàm denunciationem qvàm accuſationem.

235 *Cavillatio Trium Ordinū Monaſt.* Mirum qvantum in hoc textu, & parallelo; qvi extat *cap. Qvaliter & qvando 2. de Accuſat.* ubi charitativa monitio jubetur præmitti etiam ſoli denunciationi; crucientur *Jeſuitæ, Dominicani, & Minoritæ,* qvi ſaltum faciendū eſſe, *per Conſtitutionē univerſalē* ſanciverunt, Ut videre eſt *ap. Ferdinandum à Caſtro Palao l.c. puncto XVI. Utrum judex teneatur repellere denunciationem ſibi factam*

ctam de delicto, eò, qvod illius ſecreta correctio non præceſſerit? Ubi conatur qvidem refellere *Felinum, in Cap. novit, de judiciis. Loream in 2.2. q.33. art.8. diſp.47.* aliosqve affirmativam tuentes: At in foro conſcientiæ ſive interiore, non liberat ſive judicem ſive denunciantem à reatu violatæ legis Chriſti. In foro autem exteriore alia ratio eſt. Lex loqvitur pro homine, præſertim ſi publicata, ad noticiam omnium deducta, per Paſtores aliosqve Eccleſiæ miniſtros crebrò inculcata, dolo autem à ſubditis violata, atqve ita priores admonitionum gradus reapſe jam adhibiti & eluſi fuerint.

Thomas *d. q.33. ad Art.7: Utrum in correctione fraterna debeat ex neceſſitate præcepti admonitio ſecreta præcedere denunciationem?* Reſpondit: *Oportet ſecretã admonitionẽ, publicam præcedere delinqvẽtis denunciationem, ubi peccata occulta ſunt, & non contra commune bonum: Ubi verò publica peccata ſunt: vel occulta contra bonum commune commiſſa, non eſt ſemper neceſſe præcedere ſecretam admonitionẽ: ſed interdum ſecreta admonitione omiſsâ, procedendum ad denunciationem: nempe, ſi periculum eſt, ne alii inficiantur, & Reſp. in diſcrimen adducatur,* ut expl. in Corp. 236 *Thomas Aq. repugnat Sectæ ſuæ.*

Ad object.4. qvæ ſic habebat: *Non videtur eſſe probabile qvod ea, qvæ ſunt in communi conſvetudine Religioſorum, ſint contra præcepta Chriſti. Sed conſvetum eſt in Religionibus, qvod in Capitulis aliqvi proclamentur de culpis, nullâ ſecretâ admonitione præmiſsâ: Ergo videtur, qvod hoc non ſit de neceſſitate præcepti.* Reſp. Thomas: *Qvod hujusmodi proclamationes, qvæ in Capitulis Religioſorum fiunt, ſint de aliqvibus levibus, qvæ famæ non derogant: Unde ſunt qvaſi qvædam commemorationes potius oblitarum culparum, qvam accuſationes vel denunciationes.* Addit expreſsè: *SI ESSENT TAMEN TALIA, de qvibus frater infamaretur; CONTRA præceptum Domini ageret, qvi per hunc modum peccatum Fratris publicaret.*

Ad 5: *At Prælati præcipiunt, ut omiſsâ ſecretâ admonitione exceſſus immediatè ſibi denuncientur; Prælatis autem obediendum eſt &c* Reſp. Thomas: *Dicendum, qvod Prælato non eſt obediendum contra* 237 *Notabile in hac q.*

O *præ-*

Digitized by Google

præceptum divinum, ſecundum illud Act.5: Oportet obedire Deo magis quàm hominibus, &c.

238 Huic Magiſtri ſui ſententiæ pauci Dominicani & Minoritæ, plæriqve autem Jeſuitæ ſe objiciunt, concedentes qvidem: *Obſervationem hujus ordinis, Matth.XVIII. â Chriſto præſcripti, eſſe juris naturæ: eſſe qvoq; manifeſtarii juris divini;* Veruntamen non ita jure naturali obligare, ut non poſſit ab hâc obligatione ceſſare, qvando videlicet perfectulus aliqvis non indiget admonitione fraternâ, vel tàm avidus eſt perfectionis, ut facto ſaltu per duos gradus (admonitionis ſcil. privatæ per unum, & alterius qvoqve adſcitis duobus Teſtibus præmittendæ,) ad majorem ſuam confuſionem, majoremqve profectum, velit ex templo denunciari Prælato, ſive Eccleſiæ repræſentativæ. *Poſſe enim qvemq; renunciare juri pro ſe introducto,* adeoqve & cedere juri ſervandæ ſuæ famæ; Econtra autem prodigere eam, ut tantò celerius ad perfectionem deveniat.

239 *Roderic. Ariaga & Franciscus Amicus ad q.7. addunt: Regulam Chriſti de præmittendâ correctione privatâ, ſolùm obligare, qvatenus monitor ex debito juſtitiæ tenetur proximi famam, in ſublevandâ & emendandâ ſpirituali ejus miſeriâ indemnem ſervare:* At reum poſſe cedere de hoc jure. Et, qvemadmodum mendicus poſſit repudiare eleemoſynam pauperioris, & petere illico pingviorem eleemoſynam à Viro opulentiore; Ita Prælati correptionem immediatam, prætermiſsâ privatâ Unius & duorum aſſumptorum admonitione, efficaciorem eſſe præ privatis Fratrum admonitionib9; & conſeqvẽter omiſis hisce, illam protinus appetere, hoc per qvã eſſe laudabile.

240 Hoc uſqve adeò extendunt, ut non ſolùm peccatum hæreſeos citra præviam admonitionem hæretici, aut de hæreſi ſolùm ſuſpecti, ad ſolos inqviſitores deferri jubeant, ſub anathematis pœnâ: ſed de peccatis qvibusvis Religioſorum decernant, *ut omnes errores & defectus fratrum per qvemcunq; extra confeſſionem notatos & obſervatos, immediatè manifeſtent Prælatis.* Qvam legem, ajunt Jeſuitæ, *Caſtro Palao,* l.d. Ariaga *Diſp.XLVI.n.5.* Tanner *Diſp.*

Digitized by Google

Diſp.2.q.V.dub 5.& Amicusl.d, n. 80. àPontificib9 approbatam, *magno cum ſingulorum Spiritus profectu, & totius communitatis emolumento ſervat noſtra ſocietas, vel ab ipſo originis ſuæ exordio. Et ante ipſam ſervârunt duæ illuſtrisſimæ Religioſorum familiæ, Dominicana & Franciscana, ut ex earum regulis conſtat : Qvin OPPOSITA SENTENTIA, ut Religioni pernicioſa, & Regularis disciplinæ deſtructiva definita fertur àS.Bonaventura in Capitulo generali; ut refertur in Conſtit. General. Farinerii, Ordinis Minorum Cap.7.*

Verba ipſa Decreti Minoritici refert *Salmero Tom. IV. parte 3.Tract.XII.fol.478.* & ſunt hæc: *Idem dogmatizare: qvòd frater, qvi fratrem correxit ſecundùm formam Evangelii, in occulto, non tenetur alter alterum revelare ſuperiori: ex ſententia totius Capituli generalis definitum eſt: HANC DOCTRINAM ESSE PESTIFERAM. Et acriter puniatur eam docens, usq; ad carcerem.* Hoc Salmeron approbat, multisqve conatur probare: *Regulam Chriſti, Matth. XVIII. non ſolùm eſſe inutilem, ſed etiam pernicioſam.* Atqve hoc non ſemel repetit, eodem Tractatu XII. Conatur eum excuſare, *Cornelius à Lap. ad Cap:XVIII. Matthæi,* qvaſi non ex ſua ſententia loqvatur: At perlegenti Totum Tractatum, apparet, loqvi omninò ex ſua ſententia. Concludit enim poſt objectiones & exceptiones utrinqve examinatas, fol.429: *Comprobatum ergo relinqvimus, illud præceptum ita intellectum, & grave eſſe & obſcurum, & plerumq; inutile.* Hæc enim Tria membra probanda ab initio ſuſceperat. 241

Salmeronis impietas. confer n. 281.

Supponit autem ibid. ex ejusd. *Bonaventuræ Commentar. in Cap.17. Lucæ: Regulam à Chriſto propoſitam, non eſſe neceſſitatis, ſed congruitatis.* Et paulò ante hunc Epilogum dicit: *Merito ergo Bonaventura, qvi XVIII. annis fuit Generalis, ac cæteri Religioſorum Patres in regimine exercitati, alium modum corrigendi fratrem peccantem invenerunt, qvàm COMMUNIS SCHOLASTICORUM OPINIO invexit, tanqvam de JURE DIVINO. Et illi Scholaſtici, ſi regimen animarum habuiſſent, forſitan ſententiam ſuam mutaſſent.* Id qvod teſtimonio qvodam *Joannis Gerſonis* conatur probare; *Scholaſticos multa ſtatuiſſe de ſtricto jure divino, propter inexperientiam Regiminis* 242

animarum. Scil. ne ſcelera Monachorum & Monialium, ut mollitiæ, Sodomiæ, beſtialitates, infanticidia, veneficia, incantationes, &c. ulli alii innoteſcant, niſi Magiſtris ſcelerum; tantoqve minus propalentur aut puniantur. At oppoſita ſententia Chriſti eſt, Apoſtolorum eſt, omniumqve priſcorum Eccleſiæ Dd. ipſiusqve Thomæ, & præcipuorum Scholaſticorum in IV. ſent. diſt. 19. qvod Salmero ipſe, qvod Ariaga & Amicus non diffitentur, ideò, qvum ſententiam hanc qvam perſtringunt, *communem* vocant. l. d.

243 *Refutetur deductione ad abſurdum.* Ita *corrigitur ſapientia à Filiis ſuis, Matth XI.* Poterantqve eòdem jure petere Iſraelitæ à Deo, ut, ſi qvid monendum, ſi qvid corrigendum haberet, præterito Moſe & Aarone nunciis, Dominis Iſraelitis immediatè denunciaret. At cum hoc fieret, mox pœnitebat miſeros temeritatis: *Loqvere Tu nobiscum, Moſe, non enim poſſumus ferre vocem Tonantis & fulgura jacientis, Exod. XX, 19.* Qvod ipſum exemplum Apoſtolus applicat *ad ordinem procedendi cum peccatoribus*, ut ad pœnitentiam adducantur, *Ebr. XII, 19.* poſtqvam verſiculo 15. juſſerat: *ἐπισκοποῦντες, vigilantes, ne qvis deficiat à gratia Dei, ne qva radix amaritudinis impediat pœnitentiam, &c.* Ratio: *Non enim acceſſiſtis ad montem Sina, intractabilem, &c. & vocem verborum, qvam portare non poterant audientes: Excuſaverunt enim ſe, ne eis fieret ſermo; Loqvere Tu nobis & non loqvatur nobis Deus, ne moriamur, &c.*

244 Ita renunciabat dives Epulo inter infernales flammas juri fratellorum ſuorum: nolebat *fratres ſuperſtites corripi per Moſen & Prophetas*, volebat corripi immediatè per qvendam ex mortuis reſuſcitatum Luc XVI.

245 Eccur autem ſanctuli noſtri non renunciant ordini conceptionis, nutritionis & educationis ſuæ, genitricibus, obſtetricibus, nutricibus, faſciis, crepundiis, deterſionibus ſordium & excrementorum, &c?

246 Addo: ſi ordo emendationis procurandæ, eſt in facultate & electione peccantis, poterit etiam renunciare abſolutioni, qvæ ab homine qvocunqve fit, & confiteri ſoli Deo, qvi ſolus αὐτοκρατορικὴν abſolvendi poteſtatem habet, & principalis abſolvens eſt, qvan-

qvandocunqve peccator ſive ab eo qvē læſit, *Matth. XVIII*,18. ſive â Sacerdote abſolvitur, *Joh.XX,23:* Uterqve enim hâc in parte eſt miniſter & nuncius Dei. Privatus remittit peccatum in ſe commiſſum: Sacerdos indefinitè omnia. Edant mihi Jeſuitæ rationem idoneam, ob qvam liceat præterire remiſſionem fratris offenſi, Sacerdotalē autem remisſionem non liceat præterire? Cur ordo ſervandus in abſolutione ſacramentali, magis ſit in præcepto, qvàm ordo ſervandus in abſolutione fraterna? Imò verò, oſtendit hæc collatio admonitionis & abſolutionis ſacerdotalis, cum admonitione & abſolutione fraternâ, Hanc magis obligare qvàm illam: Hæc enim fundata eſt in jure naturali. Illa eſt juris merè poſitivi, ex communi omnium Papiſtarum doctrinâ.

Qvâ facultate renunciare poſſunt ordini ſanctificationis 247
ſuæ poſt baptiſmum, eâdem facultate renunciare poſſunt ordini ſanctificationis ſuæ ante baptiſmum, ne baptizentur infantes, ſed illicò Prælatus mittatur ad audiendas confesſiones infantum Jeſuitellorum, eosqve ad ſacram ſynaxin admittendos. Qvemadmodum enim Deus ad provocandam pœnitentiam de peccatis poſt baptiſmum commisſis, ordinavit certos gradus admonitionum, qvæ ſunt media inſtaurandi gradum ſanctificationis, unde peccator exciderat: Ita ad delenda peccata ante baptiſmum commiſſa & connata, ordinavit baptismi medium: & vice versâ: Neqve in adhibentis, neqve in ejus, cui ordo iſte adhibetur, poteſtate eſt, ordinem illum immutare. Neqve enim indultus eſt hic ordo per modum privilegii, ſed præſcriptus per modum præcepti.

Falſisſimum præterea eſt, qvod ſupponitur: *Regulam Chriſti,* 248
Matth.XVIII. obligare ſolùm ex debito juſtitiæ, propter ſolum intereſſe proximi, ne invito proximo fama ejus lædatur: Huic verò intereſſe poſſe renunciare proximum, &c. Tenemur enim ex intereſſe præcipientis, cujus intereſt, ne præcepta ejus eludantur, ut ſubditi morem geramus Domino noſtro ſic volenti.

Digitized by Google

Tenemur etiam ex debito charitatis noſtræ erga proximum, cui obligationi noſtræ proximus non poteſt renunciare. Tenemur ex debito tolerantiæ; Tenemur ex debito cuſtodiæ mutuæ, qvam Petrus, uti frater & Chriſtianus, ex Lege Chriſti debet gerere pro lucro ſpirituali fratris, *Matth. XVIII.* Non poteſt hoc onus tolerandi, non poteſt hoc onus cuſtodiendi, non poteſt hoc onus revocandi fratrem lapſum, de ſuis humeris in alienos derivare, etiam ſic volēte fratre reo: Domini intereſt, Tua intereſt, ut de ſalute fratris lapſi & tute benè merearis. Hæc erat intentio Chriſti, qvum legem iſtam ferret, Matth. XVIII. *de modis & gradibus reqvirendi & reducendi ovem perditam*, uti ſcopus & occaſio parænefeos oſtendunt.

249 His non licet abſtinere, qvantumvis inſaniat qvisqvam ex Jeſuiticâ phreneſi ægrotans, juretqve: ſe non indigere alterantibus & digeſtivis medicinis, ſed illicò petere diaphoretica: Medicus tamen tenetur procedere ſecundùm canones, & methodum præſcriptam, qvicqvid deliret ægrotus.

Diluitur exceptio.

250 Hinc videmus etiam in civilibus contractibus irritas declarari ejusmodi renunciationes & obligationes, de ceſſione bonorum faciendâ, de ſumma hâc vel iſta exolvendâ, nullâ præcedente cognitione judicis, nullo auxilio Magiſtratus implorato, &c. Intereſt enim Reip. ne in anguſtiis conſtituti plus dent, qvàm leges permittunt. Pari ratione, etiamſi qvidam Sanctuli ſic deſipiant; ſe poſſe renunciare gradibus admonitionum pro ſe, & in favorem ſuū determinatis: Intereſt tamē Eccleſiæ, ne Lex à Superiore poſita violetur, neu mediis aliis in corripiēdo peccatore procedatur, qvam canon cœleſtis præſcribit.

251 Accedit, ut jam inſinuavi, Qvod gràdus ille correptionis fraternæ à Chriſto præſcriptus non ſolùm in favorem rei, *ſed etiam ad exercendam cùm manſvetudinem, tùm charitatem & ſollicitudinem, qvin & profectum fratris offenſi* præſcripti ſint: uti ſupra ex *Chryſoſtomo & Auguſtino* audivimus. Et patet ex occaſione & ſcopo hujus parænefeos de gradibus correptionis fraternæ. *Frater enim læſus jubetur imitari Paſtorem illum bonum, cui una ovis ex nonaginta novem peritura tantam ſollicitudinem parit*

ad

*ad reducendum eam,ut paſcentes nonaginta novem tantiſper dimittat, eamq; Unam aberrantem inſectetur ibid. verſu 12,13.*Cujus parabolæ morale applicatur non ſolùm ad officium Chriſti & Paſtorum v. 11. & 14. ſed etiam ad officium mutuum fratrum inter ſe, v. 10. & 15. *Videte,ne qvem etiam ex minimis illis negligatis :* Ἐὰν δὲ, *ſi verò, ſi tamen peccaverit in Te frater tuus,*uti non poteſt non contingere, 252
ovem errare aliqvando,*argue eum inter Te & ipſum ſolum*: Poſito igitur,partem nocentem &ream poſſe renunciare gradibus,pro ſe corrigenda introductis; non poteſt tamen renunciare officio fratri impoſito,ne in ordine correptionis obſervetur id,qvod Chriſtus ad ſalutem etiam corripientis promovendam præcepit. Cùm enim correptio ſit ex reciprocis inter agentem & patientem : Chriſtus autem non ſolùm patienti ſuas partes, ſuosqve limites præſcripſerit,ſed etiam agenti ; conſeqvens eſt, ut frater teneatur etiam invitum fratrem corrigere,non attentâ renunciatione gradibus correptionis per reum factâ.

253 Ut rectè adeò à *Dominico Banne* , Salmanticenſis Cathedræ Theologo primario,jam ante hos LXX. annos dictum , ſcriptoq; relictum ſit,non obſtante,qvod & ipſe *Regulæ Dominici* ſe obſtrinxiſſet,*Comment.in 2.2.q.33. ad art.7.& 8.*ubi hæc qvæſtio de ordine ſervando in correptione fraternâ ſolet à Scholaſticis tractari, cumqve ſecuto *Petro Lorca* repetitum fuerit apud *Ægid. de Coninck l.d.Diſp.28.dub.12*: *Non poſſe ſtatui legem,qvæ de conſenſu fratrũ* (ſive per ceſſionem juris pro ſe introducti) *Unumqvemq; obliget ad ipſorum defectus extra confeſſionem cognitos,prætermiſſâ ſecretâ admonitione,ſuperiori,ut Patri,immediatè deferendos.*

Qvidam Dominicani & Jeſuitæ agnoſcunt errorẽ.

254 Idem enim & Thomas docet *l.d.ad 5*: *Qvando Prælatus præcipit,ut ſibi dicatur,qvod qvis ſciverit eſſe corrigendum : Intelligendum eſt illud præceptum ſanè,ſalvo ordine fraternæ correctionis : ſive præceptum fiat communiter ad omnes,ſive ad unum ſpecialiter. Sed ſi Prælatus expreſſè præciperet contra hunc ordinem à Domino inſtitutum : Et ipſe peccaret præcipiens,& qvi ei obedient. Unde non eſſet ei obediendum : Qvia Prælatus non eſt judex judiciorum occultorum , ſed ſolus Deus : Unde non habet poteſtatem aliqvid præcipiendi ſuper occultis,ni-*

ſi

ſi in qvantum per aliqvâ indiciâ manifeſtantur: puta per infamiam, vel per aliqvas ſuſpiciones. In qvibus caſibus poteſt Prælatus præcipere, ut ſibi reveletur: ſicut & judex ſecularis vel Eccleſiaſticus poteſt exigere juramenta de veritate dicenda.

255 Hæc clariſſima Magiſtri verba, & qvæ ſupra attuli, pro excuſatione illius ſtatuti Monaſtici, ſcil. *ſola leviora peccata, & qvaſi jam oblivioni data referenda eſſe ad ſuperiorem, omiſsâ correptione privatâ*: penſi habens Rodericus Ariaga, d. Diſp. 46. ſect. 5. n. 46, ait: *Ego, ut verum fatear, hanc Dominicanorum regulam non puto in tanto rigore intelligendam. Qvia, cum ea jam fuerit tempore Sancti Thomæ, & de eo non poſſit præſumi, non intellexiſſe vim ejus regulæ: Ipſe tamen docet, in defectibus gravibus non admittendam eam delationem, niſi præmiſſa monitione; non eſt credibile eam Regulam fuiſſe uſurpatam in tanto rigore.* Et poſtea n. 48: ad qvæſtionem: An ſub gravi igitur peccato obligentur Monachi.. ad fratrem immediatè deferendum? Reſp: *Regulæ noſtræ non obligant ſub peccato, ne qvidem ſubveniali.* De qvo viderint ſocienni. Ut Thomam adeò ipſum temeritatis & temerariæ negationis accuſent *Coninck, Amicus, Tannerus*, & plæriqve recentiores Jeſuitæ; ll. cit. & ex ſecularibus Sacerdotibus *Antonius Fernandez, Totius Bracharenſis diœceſeos*, (qvæ jam ante M. annos comprehendebat XXX parœcias, ut ex *Concilio Lucenſi anno DC.* ſub Theodemiro, Rege Gotho celebrato, & *Garziæ Loaiſæ* Notis patet, qvibus parœciis hodie ſufficit unus) *Concionator, lib. 1. Theol. Moral. Cap. 3. §. 3. n. 36.* qvando Bannem & Lorcam hoc nomine perſtringunt.

256 Diſſimulent potius Thomæ nomen, & eradant hoc ex Thomæ ſummâ Theologiâ, qvemadmodum *multa alia poſt Concilii Tridentini decreta, expuncta ſunt, tàm in textu, qvàm in Commentariis Thomæ, qvæ lectorem ſuſpenſum detinere poterant*: perhibente *Apparatus Sacri* Conditore, Poſſevino. non obſtante, qvòd Poſſevinus ipſe exiſtimet: *Joannem* hujus nominis XX. Pont. Max. *divinitus pronunciaſſe hæc verba, cùm B Thomam in Sanctorum Catalogo ſcribi mandaſſet: Niſi B. Thomas alia edidiſſet miracula; Unumqvamq; Articulum eorũ, qvos ſcripſit, pro miraculo habendũ eſſe:* Et Poſſevinus de ſuo addat: *Thomam in hac ſumma Theologicâ punctum omne tuliſſe,*

Thomæ Aq. autoritas. confer n. 277

&

& reliqvis omnibus viam præcidiſſe, qva aliqvid anguſtius, aut plenius, aut brevius fieri unqvam poſſe putent. At vero *Thomæ eſt iſte Articulus VII.q.33.2.2.* è qvo contraria Jeſuitis ſententia deſcripta eſt.

Idem docuit *Durandus in IV.ſent.diſt.19.q.4: Si peccatum ſit ſolùm nocivum peccanti, nec ſit ita notum ut probari poſſit, nec de eo ſit peccator infamatus: Aut, ſi peccatum non ſit omninò occultum, nec omninò notum, qvod non innoteſcit pluribus, per qvos convinci poteſt: Vel apud graves perſonas diffamatus qvidem ſit frater, qvamvis publicâ fama non ſit contra eum; tunc ſecretâ monitione utendum eſſe, qvæ ſive valeat, ſive non, ſiſtendum eſſe in ea, nec procedendum ad aliqvã denunciationem faciendam ſuperiori, ut ſuperior eſt, & perſona publica. Cujus ratio eſt,* inqvit, *qvia denunciatio ad hoc fit ſuperiori, ut ipſe de peccato inqvirat, & peccatorem corrigat; ſed ad hoc non poteſt Prælatus procedere, niſi peccatum illud poſſit probari, vel peccator de eo ſit infamatus. Ergò, ubi neutrum iſtorum eſt, locum non habet denunciatio.* 257 *Durandi.*

Idem docuit *Auguſtinus Ep.CIX. ad Monachas*, per tumultum conatas deponere Præpoſitam ſuam: qvibus non minus præcipit obſervationem Trium graduum correptionis, à Chriſto præſcriptorum, in ſororibus ſuis, atqve in aliis tenendam. *Qvando ſimul eſtis in Eccleſiâ,* inqvit, *aut ubicunq; ubi & viri ſunt, invicem veſtram pudicitiam cuſtodite. Et ſi hanc, de qva loqvor, oculi petulantiam in aliqva Veſtrûm adverteritis, ſtatim ADMONETE, ne cœpta progrediantur, ſed ex proximo corrigantur: Si autem & poſt admonitionem iterum, & alio qvocunq; die idipſum eam facere videritis; jam velut vulneratam ſanandam prodat qvæcunq; invenire potuit hoc: PRIUS tamen vel alteri vel tertiæ demonſtratam, ut duarum vel trium poſſit ore convinci, & competente ſeveritate coërceri, &c. ſed anteqvam aliis demonſtretur, per qvas convincenda eſt, ſi negaverit, prius Præpoſitæ debet oſtendi, ſi admonita neglexerit corrigi: ne forte poſſit ſecretius correpta innoteſcere cæteris. Si autem negaverit, tunc neganti adhibendæ ſunt aliæ, ut jam coram omnibus poſſit, non ab unâ teſte argui, ſed à duabus tribusve convinci.* 258 *Auguſtinus explicatur.*

Scio, diſceptari inter Caſiſtas de ſenſu hujus ſententiæ Auguſtinianæ, qvænam ſorores intelligantur per illas *alias*, de qvib9 259

Aug. ait: *Sed anteqvam aliis demonſtretur per qvas cõvincenda eſt; ſi negaverit, Prius demonſtretur Præpoſitæ, &c.* An ſecundi ordinis admonitrices intelligantur, qvæ poſt correptionem ab unâ ſolâ præmiſſam, aſſumendæ ſunt ex regulâ Chriſti? an aliæ de communitate, præter has duas commonitrices? Sed in hoc tamen conveniũt Expoſitores, Denunciationem Præpoſitæ faciendam non eſſe, niſi præmiſsâ correptione privata ſolius ad ſolam, ut *Hugo Victorinus Comment.* in hanc Regulam, ſive Epiſtolam Auguſtini, *Bannes l.d. & Valentia*, concedit in d.l. Thomæ *Diſp.3. Qvæſt.X. Puncto 5. fol.855.* etſi Jeſuita eſt, & cæteroqvi contra Bannem contendit: *poſſe totos ordines Monaſticos adſtringi*, ut primo & ſecundo gradu ordinis à Chriſto præſcripti prætermiſſo, *illicò Prælatis crimen ſororis denuncient.* Ut tota adeò difficultas, qvæ huic Auguſtini ſententiæ videtur ſubeſſe; ſecundi gradus omiſſionem, non primi adficiat: Et videatur Auguſtino conſultius; Si poſt irritum primum gradum admonitionis, & inficiationẽ peccantis, hæc ſecunda etiam vice neget, ſe iſtud commiſiſſe, de qvo ſola â ſola corripiebatur, præſtare: ut Præpoſitæ, tanqvam Matrifamilias potius denuncietur, qvàm ſi prævaricans oculis aut geſtu, demonſtretur pluribus ſororibus, per qvas publicè diffamari ſoleat.

260 Cæterum *Bannes ad Art.VIII Dubit.2.* Reſp. ad objectionem ſeptimam Bernardini de Arevalo, ob qvam Minorita iſte ordinem, Matth. XVIII. à Chriſto præſcriptum negaverat præſcribi per *modum Præcepti*; in gratiam Jeſuitarum, Minoritarum & Dominicanorum (cujus ordinis & ipſe fuit) ita qvidem eludit hanc object. de Regula horum ordinum, Regulæ Chriſti planè contraria, ut dicat: *Se non videre, qvare non poſſint hi Religioſi ſuo juri renunciare, qvum tota ratio illius ordinis à Chriſto præſcripti huc tendat, ne fiat peccanti injuria per infamationẽ juſto latiorem; qvilibet autem poſſit renunciare ſuæ famæ, & homicida etiam ſecretiſſimus, non expectatâ ulla privatâ admonitione, ſeipſum poſſit denunciare: vel alteri, ut eum denunciet mandare.* At neutrum horum verum eſt. Non prius, qvia ut ſupra oſtendi, neqvaqvam ob ſolam Rei infamiam cavendam, ſed ad monitoris etiam patientiam, ſedulitatem & cha-

charitatem exercendam, præſcriptus eſt ille ordo correptionis. Non poſterius: Qvia mandatum corripiendi fratrem ſecretò, ſupponit notitiam de delicto fratris, & præſcribit monendi officium ſub qvalitate perſonæ extraneæ; Denunciatio autem homicidii alieni ex mandato ipſius homicidæ, fit qvaſi ſub perſona propria homicidæ, per mandatarium: Correptio fraterna non fit à fratre ut mandatario peccantis, ſed ut mandatario Chriſti.

Subjicit tamen Baneſius huic qvalicunqve excuſatiunculæ, 261 *Banneſius caſtigatur à ſociis.* de Antinomia inter Regulam Chriſti & Ordinum Monaſticorum talia, qvæ & Ordines iſtos pungunt, & qvæ propter *Valentia* ringitur *d. l. fol. 840. ob qvæ & Regius, Fernandez, Caſtro Palao, Tannerus, Amicus*, & plæriqve recentiores eundem Bannem flagellant: ſed qvæ impiam Bonaventuræ ſententiam, qvam ſupra poſt propoſitã Thomæ doctrinam num. 241. expoſui, confodiunt, & deniq; Magiſtro Thomæ διαῤῥήδην contradicunt.

Valentiam & ſocios mordet, qvod Bannes ſubjicit: *Veruntamen, qvia multa ſunt bona, qvæ tamen non expediunt; mihi profectò durum videtur, ut tota communitas Religionis profiteatur tantum rigorem, in cujus expeditione poſtea, qvi non fuerint valde perfecti, facilè perturbabuntur, videntes, paſſim ſua delicta occulta nota eſſe Prælato.* 262 Bonaventuram caſtigat verbis illicò ſeqq. *Qvâ in re maximè attendendum eſt, ne propterea hujusmodi conſtitutio, qvæ ſecundum ſe juſta eſſe poteſt ratione prædictâ, ſub alia ratione FALSA defendatur, videlicet: qvoniam alio modo nulla communitas poteſt benè gubernari:* *Ipſe caſtigat ſocios.* (Hoc Bonaventura, Salmeron & Amicus ſupra dicebant: Chriſti Regulam eſſe deſtructivam bonæ diſciplinæ) *Hoc enim eſſet aſſerere: Ordinem corrigendi Evangelicum & naturalem, eſſe pernicioſum communitatibus: Ac proinde ſeqveretur, non eſſe in præcepto neq; in conſilio.* (Qvod Poſterius tamen Minorita Arevalenſis concedebat) *Qvam doctrinam non dubito eſſe erroneam in fide. Sufficiebat certè, Qvod ordo ille proprio Chriſti ore prolatus eſt, ut adverſus illum non tam acriter oblatrarent iſti communis boni FALSI ZELATORES: Cùm tamen Sancti Patres illum ordinem maximè ſint venerati, qvemqve*

Digitized by Google

qve Tota Theologorum Schola tàm attentè intimare atq; explicare contenderit.

263 Thomæ Magiſtro contradicit, qvum ait: *Hujusmodi denunciationes de privatis delictis Dominicanorum, Minoritarum & Jeſuitarum, prætermiſſâ privata admonitione peccantis, fieri de Delictis & exceſſibus extra monaſterium præſertim publicè commiſſis, aut ſcandaloſis, aut certè in detrimentum ipſius Religionis vergentibus: Alia verò peccata ſingularia & omninò ſecreta, & ex qvibus non paratur periculum communitati, ſi ſeorſim primo gradu correctionis poſſunt emendari; PECCATUM ESSE, denunciare Prælato.* Thomas econtra Reſp. ad 4. dicebat: *Denunciationes, qvæ omiſſâ privatâ admonitione in Capitulis Religioſorum fiunt, eſſe potius commemorationes qvasdam de levibus erratis & oblitis culpis, qvàm Denunciationes,* qvod & ſupra n.255. *Roder. Ariaga* excipiebat.

Repugnat Magiſtro.

264 Poſterior autem pars enunciati Banneſiani: *PECCATUM ESSE denunciare Prælato ullum peccatum, qvod ſeorſim primo gradu Correptionis poſſit emendari;* prorſus interimit omne meritum Jeſuiticum, Dominicanum & Minoriticum, qvod collocant *in Renunciatione juris proprii* per Chriſtum pro ipſis introducti. Qvod enim peccatum eſt, non poteſt eſſe meritum. *Ariaga* autem modeſtior, docet l.d. *Omiſſionem immediatæ delationis ad prælatum,* qvæ præcipitur in Regula dd. Trium Ordinum, *ſaltem non eſſe peccatum, qvando frater ſperat, ſe privatâ admonitione lucraturum eſſe ſocium ſuum.*

265 Thomam hactenus ſeqvitur *Joan. Malderus Antverp. Epiſc. Art. 8. Dubit. 2.* Qvando primum qvidem gradum correptionis à Chriſto præſcriptum, nempe *correptionem privatam inter TE & peccantem ſolum, univerſaliter ab omnibus, tàm Laicis qvàm Monachis præmittendum eſſe* ſtatuit, anteqvam fiat denunciatio Prælato, ſive tanqvam judici, ſive tanqvam Patri aut privato. Secundum autem & intermedium gradum, à Chriſto præſcriptum, *putat poſſe tranſiliri ex pacto, & voluntaria ſubmiſſione cujusdam non magnæ communitatis, qvalis eſt cœtus XII, XV. Monachorum aut Monacharum,*

Malderi fluctuatio.

qvi

qvi ſibi inter ſe ſint loco duorum aut trium teſtium: ut his præteritis, mox à prima admonitione infrugifera, peccatum fratris aut ſororis deferatur ad Prælatum, *tanqvam Patrem, tanqvam privatum & conteſtificantem*, qvi tamen ex hac ſua noticia, qvam velut Teſtis acqviſivit, judicialiter procedere contra denunciatum non poſſit. Addit verò:

Neq; tamen Religioſarum iſta Regula in certo genere peccati, ad omnes omninò Chriſtianos, aut ad omnia peccata, & qvemvis Prælatum extendenda eſt. Poteſt enim peculiaris ſubeſſe ratio, ut magis in Monaſterio pro Regulâ hujusmodi Denunciatio conſtitui poſſit, qvàm alibi, Fortè enim leviori incommodo, ſecundo loco ibi adhibetur Denunciatio potius, qvàm Teſtes, qvibus peccatum occultum aperiendum eſſet. Nam (ut benè Hugo Victorinus) ſi qvi ſint conſcii, illi eſſent etiam ex mente Auguſtini adhibendi in correctionem, anteqvam veniatur ad Præpoſitum. Qvando ergò ſimiliter, ſecundum Chriſtianam prudentiam judicari poterit, minus lædi proximi famam, ſi omiſſis teſtibus aliis, Prælatus tanqvam frater, ſecundo loco adhibeatur; poterit denunciari, anteqvam corripiatur coram teſtibus. Qvod in Regulâ Auguſtini locum habet, propter diſcretionem Prælati, & damnum, qvod incurreret, ſi aliis proderetur frater: qvi ſecretius per Prælatum ſine tanta infamia corrigi fortè poterit. Aliqvando enim coram Teſtibus minus ſperatur emendatio, & magis timetur confuſio, qvàm coram Prælato: præcipuè, qvando peccatum occultum, fuerit ſoli coripienti notum, & frater qvi deliqvit, cæperit negare. 266 Hæc Malderus pro qvalicunq; Trium illorum Ordinum Monaſticorum excuſatione, per geminatum ſuum *fortè*.

267 *Ordo Chriſti Matthæi 18. obligat Univerſos.*

De obligatione univerſali omnium, exponunt adductum locum Matth. XVIII. *Alph. Toſtatus, Cajetanus, Faber Stapulenſis, Jãſeniꝰ, Frãciſc. Lucas, Jo. Ferus, Heſſelius, Barradas, Stella in. Luc. XVII Eſtius*, referens ſe ad explicationem *Banneſii, Aloyſius Novarinus in Matthæum*, & qvicqvid celebriorum interpretum eſt inter ipſos Pontificios. Qvæ qvidem ad Jeſuiticam inſolentiam caſtigandam ſufficiunt, oſtendere nempe (1) privatam admonitionẽ ſolius

à ſo-

à ſolo, nunqvam eſſe prætermittendam (2) Adhibitionem Teſtium aliorum, ſuppleri aliqvando poſſe adſcitu Prælati ipſius, tanqvam Teſtis; qvod *Auguſtinus & Malderus* ſuggerunt: Ut Jeſuitarum tamen ſaltus, *ad conſervandam diſciplinam* non ſit omnium modorum *optimus modus*. Uti qvidem gloriantur.

Verùm etiam in eo fallitur Malderus, qvod ſaltem partem
268 aliqvam Regulæ Chriſti ſubjicit humano arbitrio: Qvâ poteſtate enim omitti poteſt ſecundus gradus admonitionis à Chriſto præſcriptus, ſervato primo, eâdem poteſtate omitti poterit primo gradus, ſervato ſecundo; & correptio illico per Teſtes inſtitui poterit, prætteritâ admonitione ſolius ad ſolum. Qvin potius igitur valebit hic illud Apoſtoli, tranſumptum à normâ inſtituendi & peragendi cultum Leviticum: *Vide, ut omnia exactè conformes normæ Tibi tradita. Ebr. VIII, 5. Act. VII, 44*: poteſt namq; illa denunciatio facta Prælato, omiſsâ correptione per Teſtes, facilè degenerare in captionem, & fieri fraus Legi, *ut correptio judicialis elidatur*.

Fraus legis de qva infra.

Ex conſenſu enim Caſiſtarum, non poteſt Prælatus id punire tanqvam Judex, qvod cognovit tanqvam Pater. Iccircò prævaleat hîc illud B. Virginis: *Qvodcunq;* Filius *præceperit Vobis, hæc facitote, Joh. II, 5.* cui geminum eſt illud totius SS. Trinitatis, *Deut. XII 8: Non facietis, qvod unicuiq; bonum videtur in oculis ſuis: Qvod ego præcipio, hoc tantum facite.*

Ridicula eſt verò impotentia Jeſuitarum *Salmeronis & Va-*
269 *lentiæ, l. d. Ægidii Regii Diſp. 28. dub. XI. & XII. Tanneri & Amici ad Art 8. Caſtro Palao Puncto XVI.* & aliorũ, opponentiũ, longoq; ordine recenſentium ſociis ſuis *præjudicia Romanorum Pontificum, Pauli III. Julii III. Gregorii XIII. & XIV.* qvi hanc ſocietatis Regulam, de immediata denunciatione etiam occultorum delictorum prætermiſsis duobus prioribus gradibus à Chriſto præſcriptis, *Bullis ſuis confirmarint.* Ne enim nunc dicam de communi limitatione poteſtatis Papalis, qvam Jeſuitæ ipſi ſubinde ſolent nobis opponere: *Romanum Epiſcopum non eſſe infallibilem, niſi in iis, qvæ ex cathedra definit tanqvam de fide, & cum intentione obligandi omnes*

Epiſcopi Rom. non poſſunt evertere ordinem Chriſti.

Chriſti

Chriſti fideles, ut habeant decretum illud de fide; Oſtenderunt ſanè Jeſuitis *Thomas VVidringthon, & Georgius Blacuellus* in cauſa Anglicana; *Joannes* Marſilius, *Paulus Servita*, aliiqve in cauſa Veneta.: Uterqve *Barclajus & Bouchellus* in cauſa Francica: *Ejusmodi confirmationes Statutorum, qvæ emanant ad inſtantiam partium, & informationem ſive relationem aliorum*, qvibus Papa fidit, freqventisſimè eſſe dubiæ certitudinis, freqventisſimè mutari, emendari, corrigi, & nonnunqvam planè abrogari: Ut ex qvotidiana praxi, & toties immutatâ, toties confirmatâ *Regula Franciſci*, *Regula Carthuſianorum*, *Regula Auguſtinianorum*, &c. diverſisqve ordinibus Franciſcanorum patet. Nec hilum valet qvod ad objectionem Lorcæ, de indefinita confirmatione Regulæ Carthuſianorum, in qva inter alia continetur: *ut neq; ad præſens vitæ periculum avertendum, liceat carnes comedere*; qvod interdictum tamen Pontifices & plures Viri Docti poſteà ipſi agnoverint eſſe iniqvum, &c. regerunt *Ægidius Coninck. dub. 12. n. 223. 225. Amicus, & Caſtro Palao ll. d. d. Carthuſianorum Regulam non fuiſſe poſt tàm accuratum ſcrutiniũ confirmatam, atq; Regula Ignatii confirmata eſt*: Qvum enim hoc ſit facti, & hoc pacto ſemper dubitari poſſit de ſufficiente attentione Papæ, & nunqvam non præſumi de ſomnolentia & vecordia Romani Epiſcopi, & ſic progreſſus in infinitum fiat; non relevat hæc exceptio.

270 *Lorca defenditur.*

271 Sex autem caſus deſignat *Valentia* (qvem in aſſignatione hujus numeri *Becanus, Tanner, Amicus, Ariaga, Bonacina, Conink, &* plæriqve alii ſeqvuntur) in qvibus non ſit ſervandus ordo correptionis à Chriſto præſcriptus. *Diſp. III. Q. X. puncto V.* §. *Qvarto certum eſt: in ſex caſibus non eſſe modum illum ſervandum.* (1) *Si peccatum proximi ſit publicum, qvod vel publicâ infamiâ jam divulgatum, vel in judicio convictum, vel in aliqvâ viciniâ aut collegio, aut communitate jam compertum eſt.* (2) *Si etiam occultum cedat in damnum totius communitatis, & periculum ſit in mora, nec qvis ſperet, ſe ſuâ privatâ monitione impediturum malum.* (3) *Si occultum in majus damnum*

Examinantur ſex caſus, in qvibus Jeſuitæ docent tranſiliri debere præceptũ Chriſti.

Digitized by Google

mnum ulli vel pluribus cedit, qvàm eſt fratris illa ignominia, qvæ famæ ejus ex delatione ad ſuperiorem provenit. (4) Qvando peccatum etiam occultum ſuâ naturâ contagioſũ & exitiale eſt, ut hæreſis. (5) Si frater ob majorem profectum ſpiritualem renunciaverit gradibus à Chriſto inſtitutis, & malit illicò ſe deferri ad ſuperiorem, ut efficacius & melius emendetur, qvàm à fratre privato. (6) Qvando ob aliqvam circumſtantiam concurrentem prudenter judicari poteſt; ordinem Chriſti vel omninò vel ex parte futurũ INUTILEM ad finem correptionis, qvi eſt emendatio proximi. Nam fruſtra niti, & nihil aliud laborando qvàm odium qværere, extremæ dementiæ eſt.

Ad 1. Qvale peccatum habendum ſit pro publicè noto.

272 De 1. notandum eſt: qvalitatem publicationis, ſive: ut peccatum dicatur publicè notum, clarius eſſe explicandam. Nondum enim pro publico habendum eſt, ſi qvibusdam vicinis notum fuerit, ſed *ſi majori parti illius communitatis in qvâ qvis vivit*; Ut allegatus à Valentiâ *Covarruvias in Epit. libri IV. Decretal. parte 2. c. 6. n. 13* Navarrus *Man. C 24. n. 14.* & Malderus *ad q. 33. Thomæ Art. 6. dub. 2.* notant. Covarruvias autem *Tom. I. Opp. de Matrim. Cap. VI.* de impedientibus Matrimonium. *n. 13.* differentiam etiam oſtendit: *Cur in favorabilibus*, ut ſponſaliorum contractu, ſponſalia publica dicantur, qvæ ſaltem coram duobus teſtibus contracta ſunt; *in odioſis autem* qvalia ſunt delicta Proximorum, peccatum nondum poſſit dici publicum, etiamſi ex Regula Chriſti etiam coram Tribus teſtibus, nempe primo & ſolitario monitore, & adſcitis deinde aliis duobus, convictum & confeſſum, ut loqvuntur, fuerit, imò etiam *mediæ, ſaltem non majori parti communitatis innotuerit?* Nempe; Qvòd favorabilia apta nata ſint, qvæ inter plures divulgari oporteat, etſi à minore parte communitatis cognita fuerint: Odioſa autem & ſcandaloſa talia ſint, qvæ ſupprimi oporteat, etiam à proximis vicinis, etiam numero pluribus, qvam ſint duo vel tres. *Sic matrimonium dici contractum coram facie Eccleſiæ, qvando contrahitur in congregatione aliqvorum fideliũ.* Et hæc obſervatio valet in ſuppreſſione delictorum non contagioſorum. Publicum enim peccatum qvod Paſtoraliter arguendum eſt, Apoſtolus ipſe ſic deſcripſit *I. Tim. V. 20*; *peccantes coram omni-*

omnibus, argue, ut & cæteri timorem habeant. Etſi non neſciam, il-lud: *coram omnibus*, à qvibusdam referri ad ſolum prædicatum: *Argue coram omnibus.* Sed verſus antecedens oſtendit, ſubjectum propoſitionis non poſſe de occultis delictis intelligi. Lege Chryſoſt. Homil. XV. explicantem hoc *de φανεροῖς ἁμαρτήμασιν, οὐ ταχέως ἐκκοψομένοις.* i: *publicis etiã peccatis non temerè perſtringẽdis,* ſed omnibus circumſtantiis *μετὰ πολλῆς τῆς ἀκριβείας ponderandis & expendendis.* Ubi multa pariter addit, *de non diſſimulanda taxatione publicorum ſcandalorum, neq; propalandis temerè peccatis occultis.* At de paſtorali correptione agitur.

De II. concedo: ſi omnes tres circumſtantiæ ſimul concur- 273
rant. Tertiam autem circumſtantiam *de ſpe emendandi*, amplio & Ad 2.
extendo etiam usqve ad negationem oppoſiti: id eſt, usqve ad puram negationem deſperationis, ſeu, qvousqve non planè deſperatur de aliqvo effectu meæ privatæ admonitionis; & ſpacium admonendi, citra moræ periculum adeſt. Qvia enim mandatum Chriſti habeo, de præmittendâ privatâ admonitione, debeo etiam in atrocibus delictis, qvandiu occulta ſunt, ut: in *conatu incendendæ aut prodendæ civitatis, homicidii, veneficii, adulterii, &c.* inhærere regulæ Chriſti, & ob mandantis promiſſionem, de fructu verbi divini etiam à privato prædicati, *Jeſ. LV. Philip. I.* ſperare ſalutarem effectum; qvandiu aperta ratio deſperandi, vel apertum impedimentum monitionem meam applicandi non obſtat. Non ſolùm non teneor, ſed etiam non decet me, evidentem habere certitudinem, ex qvalitate ſubjecti paſſi, de infallibili fructu meæ admonitionis: ſed oportet me ſpem illam concipere ex mandato & promiſſione Imperantis, & ex indole medii adhibiti, qvod per ſe frugiferum & ſalutare eſt, uti *ſemen* divinum, *granum ſinapis, fermentum, &c.*

De III. Proportio majoris damni, qvod proximo meo naſci- 274
tur ex adhibitione privatæ admonitionis, præ illo commodo, Ad 3.
qvod peccanti exinde oritur, non facit mihi facultatem transgrediendi præceptum Chriſti. Fallunt enim Jeſuitæ Elencho finium, in conſtitutione Regulæ Chriſti, de præmittenda privata

Q ad-

admonitione intenſorum, qvando ſupponunt: Chriſtum tantùm interdixiſſe parcere famæ proximi peccantis: conſervationem autem famæ proximi eſſe minus bonum, qvàm eſt conſervatio vitæ temporalis, aut ſpiritualis proximi, ſi huic vel periculum immineat, vel damnum jam illatum ſit: Ergo bonum in ſuo genere majus præferendum eſſe bono minori: Bonum amplius & latius, v. gr. conſervationem famæ plurium aut communitatis præferendam eſſe conſervationi famæ Unius fratris. Non enim Chriſtus ferendo illud præceptum, *Matth. XVIII.* intendit ſolam conſervationem famæ fratris peccantis, imò vero non intendit illam directò, *ſed lucrationem animæ peccatricis*, ut in textu additur; & exercitium patientiæ ac pietatis in monitore, & lucrum monitoris, qvod animam à peccato & perditione eruerit, *Jacobi V*, *20.* ut ſupra qvoqve oſtendi. Hoc lucrum, hoc intereſſe corripientis non licet ulli mortalium, monaſticâ, vel aliâ qvacunqve conſtitutione intervertere.

275 Qvod *ad Regulam Charitatis* attinet, in ſervandâ proportione majoris commodi, intenſivè & extenſivè talis, qvod & ſpecie & extenſione ſuâ majus eſt: diſtingvi oportet inter damnum corpori, fortunis, aut famæ alterius jam illatum, idqve tranſitivum, vel intranſitivum, corrigibile vel incorrigibile, & damnum adhuc imminens. Si adhuc imminet vel adhuc incumbit, & patrarius vel patrator hujus mali renuit deſiſtere ad meam monitionem, vel in procinctu ſtat, & periculum in mora eſt: vel ubi patratum eſt, recuſat reſtituere & corrigere, qvod reſtitui poteſt, aut corrigibile eſt; tunc habetur pro incorrigibili per effectum privatæ, & ſimultaneæ per teſtes obteſtationis; Adeoqve non ſolùm licet, ſed etiam oportet procedere ad gradum tertium à Chriſto præſcriptum. Malum autem jam illatum qvod reſtitui poteſt, pertinet ad qvæſtionem de obligatione reſtituendi famam, bona, fortunas, proximo ablatas: Qvæ ſi habet peccans in poteſtate reſtituendi, & non reſtituit ad privatam meam admonitionem, facilè liqvet, qvomodo procedendum ſit: Sin poterit reſtituere, ut pudicitiam, vitam, incendium civitatis, &c. diſtingvendæ

dæ ſunt qvæſtiones *de debito denunciandi, & de ordine denunciandi*. Non diſputo nunc de obligatione denunciandi delictum exiſtentiâ qvidem publicum, ſed autore ſuo occultum, ſi damnum datum, ſuâ naturâ ſit irreparabile, ſed qværo de ordine: An ullum *delictum occultum*, occultatione tùm Autoris, tùm exiſtentiæ facti, citra præmiſſionem privatæ admonitionis denunciandum ſit judici? Hoc nego. Habet enim admonens ſuum intereſſe, ut juridicè loqvar, in hoc negotio, ne ipſi pereat fructus obedientiæ erga Deum, & charitatis erga proximum declaratæ.

De IV. Contagium cujuscunqve peccati etiam pernicisſimi & perniciofiſſimi, non eſt ſufficiens cauſa omittendi gradus correptionis à Christo præſcriptos. Neqve etiam media propagandi v. gr. hæreſin occultè per ſigna, per verba, per ſcripta, &c. apta nata ſunt, ut celerius inficiant, qvàm verbum Dei ut reficiat, vel ut cohibeat hæreſeos propagationem. Præſertim cùm etiam de hâc ipſa ſpecie peccati, & qvidem de manifeſtæ hæreſeos antecedente correptione clarisſima extet definitio *ad Tit. III, 10: Hæreticum hominem poſt unam atq; alteram* νȣθεσίαν, meliorem informationem, admonitionem, &c, *devita*. Indigna eſt autem Chriſtianis, doctisqve viris cavillatio, qvâ proceſſum hunc eludere conātur *Alph. Caſtro l. 1. de punit. hæreticorum cap. 10. & l. 2. cap. 25.* Jacobus Simanca Pacenſis Epiſcopus *Inſtitut. Cathol. Cap. 19. n. 10.* Tomo XI. Tractat. Tract. edit. Gregor. XIII. Et in *Enchiridio judicum violatæ Relig.* Antverpiæ apud Plantinum anno 1573 in octavo, *Titulo 23. de Denunciatione hæreticorum*, qvem Valentia hîc, & plæriqve alii ſeqvuntur: *Apoſtolum non indicare, eſſe ordinariè monendum ſemel aut iterum, de qvo jam conſtet eſſe verè hæreticum pertinacem; ſed eum, de qvo dubium ſit, An fortè non hæreticè, ſed potius ex ignorantia erret, præſertim circa veritatis fidei obſcuriores.* 276 *Ad 4.* *Etiam hæretici præmonendi ſunt.*

Primò enim Qvæſtio noſtra nunc agitur non de manifeſto, ſed *de occulto hæretico*; non de manifeſtis ſed de *occultis delictis*, naturâ tamen ſuâ contagioſis. (2) Manifeſtus eſſe hæreticus neqvit, niſi dictis vel ſcriptis hæreſin profeſſus eſt: In qvo caſu non privati, ſed Paſtoris eſt reprehendere hæreticum: Et de Paſtorali qvidem 277

Q 2

qvidem correptione Apoſtolus in terminis diſponit. (3) Reſpondit jam ſupra *Thomas Art.8,ad 3. Ejusmodi poſitivas Leges Eccleſiarum particularium de hæretico inqviſitoribus illico denunciando, intelligendas eſſe ſalvo ordine correptionis à Chriſto præſcripta.* At Doctor Angelic9 æqvè doctus nō fuit, atq; doctisſimi Hiſpani ſunt, de qvibus Simanca *l.d.Enchiridii n.7: Meritò Hiſpani doctiſſimi confirmāt, Prætermiſſâ correptione fraternâ, hæreticos eſſe confeſtim Inqviſitoribus indicandos. Bernardinq Arevalus libro de fraterna correctione Concluſ.8.propoſit.6.* Alphonſus *à Caſtro lib.2, de juſta hæreticorum punitione cap.25. Sotus libro de ratione tegendi ſecretum,* membr.2.q.4 Et lib.5, *de juſtitia & jure q.5.art.1.* Canus *l.12. de Locis, Cap.9.* Hæc Simanca. (4) Poſito; non præſcribere Apoſtolum regulam privatis, juxta qvam procedant cum qvovis hæretico, ſed cum eo ſolùm, de qvo dubium eſt an pertinax ſit; qvomodo, obſecro, elucidabunt hoc dubium, *an ſit pertinax?* niſi omnem privatam monitionem ante neglexerit? (5) patet ex eâdem hypotheſi, nempe: *ſermonem eſſe de hæreticis, qvorum pertinacia ſit in dubio:* qvod ex Apoſtoli ſententia merito dubitetur, an ſit pertinax & incorrigibilis? Et in hoc dubio fidendum eſſe efficaciæ verbi divini perendumq; præcepto Apoſtoli, adeoqve omnem hæreticum ante monendum, qvàm denunciandum eſſe.

278 At idem Simanca l.d. moderniqve Jeſuitæ paſſim docent: *debere TE præſumere qvod omnis hæreticus ſit pertinax, nec licere dubitare de pertinaciâ.* Hanc præſumptionem enim præcipuam cauſam dant, cur illicò, omiſsâ privata admonitione, denunciandus ſit, inqviſitoribus. (6) Fatetur idem Simanca *l.d.inſtit:n.9: præceptum hoc de denunciandis etiam occultis hæreticis, prætermiſsâ correptione fraternâ, pertinere ad pœnas eorū, æqvè ac alias pœnas,* ut: qvod ſunt inteſtabiles, qvod ſunt incapaces adeundæ hæreditatis, & legatorum, Et ſtandi, agendiqve in judicio, teſtificandi, &c. *& qvod fides ipſis data non ſit ſervanda.* Qvicqvid ſit autem de æqvitate harum pœnarum, in confeſſo tamen eſt: has pœnas eſſe poſitivas Eccleſiæ Romanæ, nec poſſe legem dari interpretationi Legis Apoſtolicæ, de hæretico bis terve corripiendo, anteqvam devitetur.

Præ-

Præterqvam, qvod abſurdum eſt, *imponere hæretico pœnam, antequam denunciatus vel accuſatus fuerit de hæreſi.* Si Germani hoc aſſererent: *Qvod occultus hæreticus prætermiſſâ admonitione privatâ, confeſtim denunciandus eſt Inqviſitoribus, hoc pertinere ad pœnas hæreticorum*: Hiſpani dicerent, eſſe legem cereviſiariam, qvæ punit nondum denunciatos. Sed ex his & aliis ejusmodi corollariis patet: Qvalem normam præſcribant Pontificii non ſolùm interpretandi dicta Chriſti & Apoſtolorum, ſed etiam obſervandi ea & parendi iis. Videlicet: *Si qvid eſt contra praxin Ecclesiæ Romanæ, non præſumuntur Chriſtus & Apoſtoli hoc voluiſſe, aut velle potuiſſe.* 279 *Abſurdam Hiſpanicæ ſapientiæ.*

Cujus *Maximæ* exemplum dabo ex Salmerone. Hic etenim, qvum idem argumentum diſputaret, de incommodis ex Regula Chriſti ſecuturis, ſi præſertim Hæretici bis vel ter privatim præmonendi eſſent, anteqvam Prælato denunciarentur; Regulæ Chriſti Regulam Eccleſiæ itidem opponit: *Regulam Eccleſiæ,* ait, *eſſe conformiorem Judicio & rationi naturali : non præſumi autem Chriſtum voluiſſe qvicqvam ordinare contra jus naturale :* neqve enim juri naturali qvicqvam ſuperaddidiſſe, præter Sacramenta, qvæ ad ceremonias pertineant, ut ſuperius etiam ex Maldero audivimus: *Ergò Regulam illam Chriſti non valere contra Regulam Eccleſiæ.* Ratio; qvia Regula Eccleſiæ fundata ſit in regula naturæ, Chriſti autem Regula non ſit fundata in regulâ naturæ. Verba ejus ſunt d. *Tract. XII.* 280 *Exemplum pervicaciæ Papiſticæ in exponendis Regulis Chriſti.*

Poſtqvam communē *ſcholarum ſententiā, ex inexperientia praxeos* (uti ait) *profectam,* repudiaverat, & *Bonaventuræ interpretationē in Cap. XVII.* Lucæ, ubi eadem Chriſti regula de gradibus correptionis fraternæ extat, fundamenti loco poſuerat: *Verba Chriſti eſſe congruitatis, non neceſſitatis, &c. Primò,* inqvit, *verba Imperativi modi non ſemper vim habent præcipiendi, ſed etiam conſulendi & adhortandi, & obſecrandi; interdum etiam permittendi, ut Job. 13: Qvod facis, fac citius Deinde præceptum divinum poni non ſolet, NISI ubi natura ipſa, vel Scripturæ Teſtimonium, AUT ECCLESIÆ AUTORITAS COGAT ad illud ponendum :* 281 *ſupra n. 241.*

Digitized by Google

NE LICEAT CUIQVE (adeoqve nec Chriſto) *pro ſuo arbitratu præcepta divina vel augere vel minuere. Qvòd autem injuriam paſſus à fratre, teneatur illum ex charitate corripere, & ſi nō audierit, adhibere Teſtes, & poſtea non acqvieſcentem Eccleſiæ denunciare; Hoc nec naturalis ratio docet ſemper eſſe faciendum, itâ ut omiſſum, obnoxium reddat lethali culpæ, ut conſtat: Nec eſt ALIQVOD Scripturæ Teſtimonium PRÆTER ILLUD, Matth. 18. qvod ex dictis & dicendis non intelligitur vim habere præceptivam* (Primarius ex Sociis S. Ignatii, oblitus eſt præceptorū, *Luc. XVII. Levit. XIX.* & communis præcepti naturæ: *Qvicqvid vultis, ut faciant vobis homines, hoc & ipſis facite: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos, &c.*) *Rurſus* (3) *Eccleſia non cenſuit, illud ut præceptum obligare. Nam in re tam gravi tandiu non diſſimulaſſet, cum tamen paſſim videat, illud non obſervari: Rariſſimus enim eſt, qvi paſſus injuriam corripiat inferentem, &c. nec in hoc qvisqvam malè ſe facere arbitratur, aut ab Eccleſia reprehenditur.*

Pergit, *Qvarta difficultas illius præcepti apertè oſtendit, nō omni-*
282 *bus fuiſſe mandatum. Nam qvomodo illud vix portabile onus qva-*
draret cum jugo Domini ſvavi? &c.

283 Easdem tibias, ſed remiſſius inflat *Valentia* ad Reſolutionem ſecundi caſus: *Non eſt putandum*, inqvit, *ullo præcepto Eccleſiaſtico* (qvale eſt illud Inqviſitorum, de immediatè denunciando etiam occulto hæretico, eoq; non præmonēdo:) *ſub irregularitate prohiberi hominem facere id, qvod alioqvi jure naturali facere tenetur.* Applicat hanc regulam in explicatione caſus Qvarti: *Non dubitandum eſt, qvin rectisſima & ſaluberrima ſit ſanctæ inqviſitionis Lex, per qvam præſcriptum eſt, ut ita fiat. Ex cujus Legis vi SEMPER poterunt Inqviſitores meritò punire eum, qvi NON ITA faciat.* (i: qvi legem Chriſti ſervet) *Nam ſemper poterunt meritò præſumere, qvod id facere fuerit NECESSARIUM ad rectè conſulendum bono tùm privato, tùm imprimis communi.* Hæc Valentia.

Valentiæ Impietas.

284 Hinc enim ſeqvi neceſſe eſt *Salmeronis Corollarium* ſupra poſitum: *Si Neceſſarium eſt ad rectè conſulendum bono cùm privato tùm imprimis communi, non ſervare Legem Chriſti in cauſa occultæ hæreſeos, ſed confeſtim denunciare occultum hæreticum inqviſitori:* Utiqve ne-

neceſſarium eſt, legem Eccleſiæ præferre Legi Chriſti; Et Lex Chriſti *pernicioſa ſit oportet Bono cum privato tùm communi*, qvod Salmeron apertis verbis affirmat. I nunc Martine, & mentire: *Romanam Eccleſiam diſponere contra Legem Chriſti: Abrogare Chriſti leges, & ſurrogare ſuam?*

Antverpienſis Epiſcopus modeſtior eſt ad *Art.Oct.Dub.1. Reſp.ad 3: Crimen hæreſis jubent Inqviſitores publicis edictis denunciari ſine prævia monitione: Ergo hic ordo non eſt legis naturæ.* Reſpondeo, inqvit, *Edicta illa in præſumptione fundari: qvia præſumuntur hæretici, & fere ſunt incorrigibiles: Et moniti ſolent cautius venena ſua ſpargere. Qvare, ſi CERTO conſtat, privatâ monitione hæreticum emendandũ; erit emendãdus, nõ obſtante lege humanâ* (Antecedens Jeſuitæ pervicaciſſimè negant) *qvæ intelligenda eſt, ſalvâ lege naturæ. Simile eſt judicium de aliis criminibus Tertio pernicioſis: ut machinatione homicidii, & ſimilibus, Ex eodem Capite provenit: Qvod etiam MONITUS non ſit denunciandus, ſi denunciatus putetur admiſſurus deteriora in perniciem innocentum, ut monuit Adrianus* (v. gr. Si Latro ſentiens ſe denunciari, ex violentis præſumptionibus putetur occiſurus omnes, qvotqvot in poteſtate ſua habet, perforaturꝰ, aut incenſurus navim, qvâ vehitur cum aliis, &c. 285 *Malderi formido.*

Hæc Malderus magis verè & modeſtè; ſed qvalem *certitudinis* conditionem reqvirit in correpturo hæreticum, anteqvam denunciet eum, *ut CERTO conſtet*, privatâ admonitione hæreticum eſſe emendandum, id contra intentionem Chriſti eſt, qvi gradum ſecundum & tertium nunqvã additurus fuiſſet primo, ſi voluiſſet conſtare Monenti, de emendatione ad priorem & ſecretam monitionem certò ſecutura. 286 *Corrigitur.*

Jeſuita *Regius Dub.8.n.151.* non ex inſtinctu æqvitatis, ſed affectatione acuminis, etiam *formales hæreticos*, id eſt, qvi ſcientes & volentes oppugnant doctrinam Eccleſiæ Catholicæ, docet eſſe *ſemel iterumq; præmonendos, anteqvam denuncientur Inqviſitoribus.* Ait enim: *Qvosdam oppugnare Eccleſiam Catholicam non ex mera malitia, ſed qvia vehementer apprehendunt qvædam loca Scripturæ, aliaq; ſibi inſolubilia argumenta, evidenter probare ſuam doctrinam eſſe* 287 *Coningi remedium.*

ve-

Digitized by Google

veram, & Eccleſiam errare: Qvæ ſi ipſis clare ſolvantur, ſtatim eos cõverti. Hoc qvotidianam in multis locis docere experientiam. Nam in Belgio, Germania, Galliâ, Angliâ, videri tales aliqvos qvotidiê converti, etiam ex iis, qvi prius hæreſin docuerant. Qvare, inqvit, *Viri Docti talium converſionem non debent facilè deſperare, niſi, cùm ſecundum monitionem Apoſtoli, eos ſemel aut iterum monuerint, eorumq; rationes diſſolverint, & viderint, eos tunc manere pertinaces.*

Hoc perſtringit Ariaga Diſp. 46. ſect. 2. n. 5.

288 At ludit Jeſuita æqvivocatione vocis *Eccleſia Catholicæ*: ſumendo *Romanam*, etiam ex mente ſic dicti hæretici, *pro Eccleſiâ Catholicâ*; qvaſi hæreticus Romanam habeat pro Catholicâ Chriſti Eccleſia, & tamen ei contradicat. Qvod eſt Ens fictum. Adeoq; non corrigit *Regiœ* ſocios ſuos. Recentiores enim *per formalē hæreticum*, confeſtim prætermiſsâ privatâ admonitione denunciandum, intelligunt talem hæreticum, qvi oppugnat ejus Eccleſiæ ſententiam, *qvam ipſe agnoſcit pro Eccleſiâ Catholicâ*; & ſententiam ejus *pro Eccleſiæ Catholicæ ſententiâ*. Qvales hæreticos in aula Regis Goæ, qvem nuper Romanam Sectam profeſſum fingunt, qværant: In Belgio, Germaniâ, Galliâ, Angliâ, non invenient.

289 Æqvior in hæreticos omnibus interpretibus Jeſuiticis eſt Thomas ipſe, ut ſupra indicavi, qvi ad hanc objectionem *Art. 7. in Corp.* ſic reſpondet: *Qvædam peccata occulta ſunt, qvæ ſunt in nocumentum proximorum, vel corporale vel ſpirituale: puta, ſi aliqvis occultè tractet, qvomodo civitas tradatur hoſtibus: VEL SI HÆRETICUS PRIVATIM homines à fide avertat. Et qvia ille, qvi ſic occultè peccat, non ſolùm in ſe peccat, ſed etiam in alios;* (hæc qvidem cauſa inſufficiens eſt) *oportet ſtatim procedere ad denunciationem, ut hujusmodi nocumentum impediatur: NISI fortè aliqvis firmiter exiſtimaret, qvod STATIM per ſecretam admonitionem poſſet hujusmodi mala impedire.*

Cavillatur eqvidem *Valentia in explic. Caſus IV.* Hanc limita-
290 tionem additam à Thoma & ab aliis Theologis, *non tàm ob crimen hæreſis, qvàm ob alia: qvæ ſint qvidem ejusdem generis ſcil. pernicioſa aliis, ſed in aliis materiis, ut proditione, &c.* At inſpectio ocularis oſtendit, Thomam pronunciare de malo utriusqve generis, *& ſpiri-*

Defenditur Thomas.

rituali & corporali; Qvod aliqvando firmiter exiſtimari poſſit, etiam *hæreſeos occultam diſſeminationē per ſolam privatam admonitionem poſſe averti.* Hoc eſt, qvod Malderus dicebat: *Edicta Inqviſitorum niti præſumptionibus talium, qvæ ut plurimum fiunt;* Nempe, ut plurimùm hæreticos eſſe pertinaces: Eô ipsô autem non prohiberi omnem privatam eorum correptionem.

De V. Qvintus caſus, in qvo oporteat propter Legem humanam contravenire Legi Chriſti, ſive Qvinta *Valentiani* exceptio, *de voluntaria renunciatione graduum correptionis ab Ordinibus qvibusdam Monaſticis facta,* ſupra jam confutata eſt. Repeto: Non licet ulli creaturæ invertere ordinem corripiendi à Chriſto præſcriptum. Addo: etiamſi in ſolius peccantis favorem ordo iſte cōſtitutus eſſet, & ſuppleri ille neglectꝰ ordinis, & ſaltûs per duos gradus ad tertium, aliâ ratione poſſet, tamē nō licere. Medici n. eſt præſcribere non ſolùm ægrotis, ſed etiam Diſcipulis ſuis, futuris Medicis, curandi methodum: nec poteſt æger renunciare methodo medendi. Prætereà non ſolùm propter peccantis, *ſed etiam propter corripientis profectum* hic ordo præſcriptus eſt, ut ſupra oſtendi. Peccans non poteſt renunciare debito, qvod ex Lege Chriſti incumbit alteri. 291 *Ad 5. Caſum.*

Recēſebo tn. Jeſuitæ Greg. de Valētia argumēta, de qvibus gloriatur, qvòd ſint clarisſima. *Probatur* (inqvit) *ſex argumētis clarisſimis. Nam* (1) *licitum eſt emendationem fratris procurare cooperando ei ad bonum: Sed indicare ſtatim ſuperiori peccatum proximi, in hoc qvinto Caſu, ſcilicet ex ipſius conſenſu, eſt procurare ejus emendationem cooperando ei ad bonum: E. omninò eſt licitum.* Major, inqvit, *probatione non eget.* Ut ſumus ſtupidi & ſimplices Theologi, eodem *Gregorio* cenſente *in opusc. de Invocatione SS.* propterea qvod inter *reſpectivitatem primam, ſecundam & tertiam diſtingvere neſciamus,* qvâ diſtinctione mediante, effigies *Agni cerei,* à R. Pontifice initiati immediatè & proximè adoratur, per hanc porrò effigiem autem prototypum initiatum, & per prototypū, *Agnus Chriſtus* ultimatè & terminativè invocatur) Putamus indigere *Majorem* Domini de Valentia probatione. Infero enim pari modo: *Licitum eſt* 292 *Refelluntur objectiones Valentiæ, pro libertate renunciandi præceptis Chriſti.*

prædicare fratribus divitis Epulonis pænitentiam, ad procurandum bonum illorum ex illorum conſenſu: Ergóne licebit Angelis prædicare pœnitentiam fratribus divitis Epulonis, præterito Miniſterio humano? Neqvaqvam. Det, ſi poteſt Jeſuitarum qvisqvam rationem differentiæ; cur illud liceat, hoc non liceat. E. addendum eſt in Majore; Qvod liceat procurare ſalutem proximi, *modo licito*. Deinde minor falſa eſt: Falſum eſt, *cooperari fratri contra ordinem à Chriſto definitum*, eſſe cooperari illius ſaluti. Ubi enim modus operandi reſtrictus eſt à Chriſto, non ſeqvitur effectus niſi cum adimpletione modi, ad qvem alligatus eſt. Non cooperaris ſaluti proximi, ſi omiſſo pane Euchariſtico, das ei vinum; aut inverso ordine, prius vinum, poſteà panem ei porrigis: Ratio: qvia effectus alligatus eſt ad certum ordinem cauſarum ſecundarum.

293 Ad 2: *Qvod ipſi peccanti licet omittere, Hoc etiam proximo correpturo licet omittere: ſed peccanti licet omittere adminiculũ fraternæ correptionis: & nõ expectatâ correptione fraterna ſeipſum denunciare Prælato, vel per ſeipſum vel per proximum delicti conſcium: E. licet etiam correpturo omittere corripiendi adminiculum, & ex conſenſu peccantis denunciare confeſtim Prælato.* Reſpond. *Qvicqvid ſit* de facultate ſubjecti corripiendi, qvã Chriſtus dicto illo Matth. XVIII. noluit limitare; inepta tamen illatio eſt, à libera facultate ſubjecti corripiendi, ad liberam facultatem ſubjecti correpturi, ſive fratris conſcii. Huic enim mandata eſt ſollicitudo de fratre, huic mandatum eſt corripiendi officium. Si hoc non expectato, corripiendus ipſe ſaltum facit ad Prælatum, culpâ ille vacat. Si autem qvi corripere debebat, ſaltem conſentiente, non autem jubente fratre reo, omiſſis gradibus correptionis, confeſtim denunciat judici, peccat, *æqvè ac Medicus amethodicè curans conſentiente ægro*. Qvando verò jubente & mandante reo, prætermiſſis prioribus corrigendi gradibus, confeſtim Prælato indicat, habetur qvidem reus pro incorrigibili, qvantum ad effectum duorum priorum graduum à Chriſto præſcriptorum attinet: Denuncians autem jam non tertii & corripientis, ſed *Rei perſonam ſuſtinet*. Qvod enim

enim qviſqve per alium facit, per ſeipſum feciſſe putandus eſt, ut ſupra dixi.

Ad 3: *Qvemadmodum laudabile eſt facere aliarum rerum diſpendium, ut bonoris, dignitatis, divitiarum, &c. propter majorem profectum in Chriſto conſeqvendum, i: renunciare mūdo & fieri Monachū: Ita etiam laudabile eſt, renunciare bonis famæ, ob majorem profectum ex immediata correptione Prælati capiendum.* Reſpond. (1) In odioſis, qvale eſt perditio famæ, non licere facere ſaltum à disparatis ſpeciebus ad alias ſpecies. (2) Diſtingvo inter bonum homini per naturam competens, ſive bonum ex lege naturæ & Chriſti cuſtodiendum; & inter bonum per naturam homini non competens, adeoqve non cuſtodiendum per legem naturæ & Chriſti, qvia per naturam non poſſidetur. Bona fama eſt bonum primi generis, eiqve non licet renunciare, non magis qvàm renunciare bonæ valetudini ſeqve voluntariè macerare, ut tantò citius animum exhales, qvod Carthuſiani ſibi laudi ducunt. Divitiæ, honor ſecularis vel Eccleſiaſticus, &c: non ſunt talia: E. non valet conſeqventia ab his ad illa. (3) Multò minus valet conſeqventia à facultate renunciandi bono proprio, ad facultatem renunciandi debito alieno, etiamſi bono meo deſtinatum ſit. Ut paulò ante oſtenſum. (4) Qvarum actionum bonitas dependet à certo ordine cauſarum mediarum, illæ abſolutè, & neglecto illo ordine non ſunt bonæ: Bonitas actionum procurantium proximi ſalutem, dependet à certo ordine cauſarum, qvalem Chriſtus præſcripſit: E. 294

Ad 4: *Beato Auguſtino in libris confeſſionum & aliis licuit publicare omnibus peccata ſua, etiam præterita, ad majorem profectum ſanctitatis: E. licet cuivis peccanti manifeſtare peccatum ſuum per ſe, vel per fratrem Prælato ſuo, ad majorem profectum Spiritus.* Reſpond. Nihil eſt in Auguſtino de proæretica & conventionali prætermisſione graduum à Chriſto præſcriptorum, de qva qværitur. Prætereà committitur ignoratio elenchi: non enim qværitur de libertate Rei, ſed de debito fratris conſcii: An reus poſſit huic remittere debitum, qvod ei Chriſtus impoſuit? Hoc nego. 295

Ad 5: *Si peccans jam amiſiſſet famam apud Prælatum ſuum, ne-*
295 *mo teneretur ab initio repetere ordinem correptionis à Chriſto praſcriptum: E. qvando jam non vult ſervari famam ſuam apud Prælatum, non tenetur Proximus obſervare ordinem à Chriſto præſcriptum.* Reſp. Me non eſſe tàm acutum, ut pervidere hanc conſeqventiam poſſim: Niſi etiam hoc argumentum valeat: Si proximus non tenetur reſuſcitare Jeſuitam ſuffocatum in puteo, eumqve denuò ad pœnitentiã hortari, ſeqvitur: qvod nec teneatur eũ dehortari à præcipitatione voluntariâ in puteum. Qvi integritatem famæ ſuæ jam amiſit apud Prælatum, vel qvi datâ operâ eam amittere vult, ex ratihabitione regulæ Ieſuiticæ, Dominicanæ vel Minoriticæ; is, ut ſupra dixi, habetur *pro incorrigibili, qvantum ad effectum priorum duorum graduum* à Chriſto inſtitutorum attinet: Adeoq; denunciari poteſt, non propterea, qvod onus proximo per Chriſtum impoſitum validè poſſit remittere Reus; ſed propterea, *qvòd primam & ſecundam correptionem datâ operâ neglexit.* Si autem delicti infamia nolente reo perveniſſet ad Prælatum, & proximo de hoc conſtaret, jam habetur pro publico & notorio delicto, de cujus corrigendi modo hic non qværitur. Veruntamen collectioni Valentianæ hoc non ſuffragatur, ſive qvoad facultatem Rei, qvaſi perinde huic liceat eludere priores duos gradus officii, proximo ſuo à Chriſto circa ipſum emendandum impoſiti, atqve liceat proximo abſtinere à privata correptione delicti jam ad Eccleſiam delati: ſive qvoad facultatem proximi, qvaſi hic ſemper teneatur præſumere Reum ſeipſum fore denunciaturum apud Eccleſiam, ut privatâ admonitione nihil adeò opus ſit. Niſi enim proximo de notorietate infamiæ apud Prælatum, vel de incorrigibilitate Rei, qvoad priores duos gradus correptionis, conſtiterit; *non deobligatur*, ut phraſi Caſiſtarum utar, ſive, non liberatur ab obligatione corripiendi, qvâ eum Chriſtus devinxit.

296 Ad 6: *Nemo tenetur propter famam proximi aliqvid facere, niſi qvandiu proximus habet & retinet jus ad famam: ſed in hoc caſu proximus non amplius retinet jus ad famam, qvia renunciavit juri ſuo per ſubmiſſionem ſui ſub regulã Dominici, Franciſci, vel Ignatii: E. nemo*

tene-

tenetur aliqvid facere pro conſervando jure proximi, cui ille renunciavit. Rationem addit: *Qvia præceptum Chriſti non obligat, niſi propter ſervandam proximi famam.* Niſi opprobrium cereviſiariæ conſeqventiæ formidarem, dicerem ſeqvi ex his præmiſſis: Omnes Dominicanos, Minoritas & Jeſuitas, ſaltem inter ſe eſſe infames, qvia prodegerunt jus ſuum ad famam. Negatur autem connexio majoris, ob inſufficientem enumerationem cauſarum, propter qvas præcepta eſt fraterna correptio. Non ob ſolam conſervationem famæ proximi, nec præcipuè ob eam, ſed præcipuè ob benè merendum de ſalute proximi *per lucrifactionem animæ ejus*, ordo iſte corripiendi præſcriptus eſt. Solutio connexionis ex ſupra dictis patet: ſcil. à renunciatione famæ propriæ, ad renunciationē debiti & officii alterius non valere conſeqventiam. Poteſt tamen proximus à tali prodigo abſtinere, qvia habetur qvoad primum & ſecundum gradum incorrigibilis. Deniq; petitio principii eſt; *Juri ad famam validè poſſe renunciari.*

Ex his ipſis, inqvit Valentia, *argumentis EVIDENTER convincitur, licitè etiam poſſe in aliqva tota Religione more atq; inſtituto recipi, ut Religioſi omnes propter majorem profectum ſpiritualem, faciant poteſtatem ſociis indicandi ſtatim ſuperiori qvodcunq; peccatum: neq; ſocios in hoc ullo modo peccaturos contra illud præceptum Domini Matth. XVIII.* Aliud profectò ſenſit Auguſtinus, vel qvicunqve Autor eſt ſententiarū Tom. III. Opp. Auguſtini extantium: *Qvid proſit ægroto, melius novit Medicus qvàm ægrotus.* 297

Addo *ſeptimum argumentum ex Banne*, qvod ſolum laudat in Banne *Valentia*, cætera; qvod *Rigor ille* deſultorius, tranſiliendi legem Chriſti, *durus videatur*, reprehendit, ut ſupra indicatum eſt. Sic autem Bannes: *Cùm unusqvisq; ſit Dominus ſuæ famæ; licitum eſt illi pro bono ſuo ſpirituali illam amittere apud qvem voluerit, ſecluſo ſcandalo. Hoc enim non eſt diſpenſare in præcepto Evangelico, aut potius naturali; ſed eſt mutare materiam præcepti. Nam tota ratio illius ordinis eſt, ne fiat injuria fratri corripiendo, infamando ipſum plus qvàm oportet, ut corrigatur & emendetur: At verò ſcienti & volenti non fit injuria, qvoniam ipſe eſt Dominus propriæ famæ.* 298

299 Ad *primum & ultimum* membrum hujus Aſſertionis ſuperius reſponſum eſt, *ad 2. & 3. argumentum Valentiæ*. Ad medium membrum *de mutatione ſaltem materiæ* in præcepto Chriſti, reſpondeo: & hoc de vitio eſſe, atqve illicito. Eadem facultate mutatis materiam præcepti Euchariſtici: *Bibite ex hoc omnes*. Ubi lex non limitat, nec vos limitare oportebat: Lex nō dicit: Corripe omnia occulta peccata fratris, *niſi qvæ ipſe citra tuam correptionem confeſtim Prælato aperiri vult*. Dico autem, etiam hanc materiam, *qvod naturale bonum famæ non ſit prodigendum ob qvemcunq; imaginarium profectum in bono ſpirituali*, cadere ſub præceptum correptionis fraternæ; Etiam de hoc errore arguendos & corripiendos eſſe totos ordines, renunciantes prioribus duobus gradibus à Chriſto inſtitutis. Si qvi propterà argui nolunt; oſtendunt, ſe eſſe incorrigibiles, & meritò deſeruntur.

300 *Reſp. ad ſextū Caſum Valentianum.* *Sextus Caſus* à Valentia propoſitus, qvo licitum ſit negligere præceptum Chriſti, Labyrinthus eſt, & latibulum omnium cavillationum. Qvamobrem Valentia addidit: *Hunc caſum latè patere*. Si enim (ut ille contendit) licitum eſt violare ordinem à Chriſto præſcriptum, *qvoties ob concurrentem qvalemcunq; circumſtantiam prudenter judicari poteſt, modum illum, vel omninò vel ex parte futurum inutilem ad emendationem proximi*: Qvum nemo impudens haberi velit, planè obſoleſcit officium correptionis fraternæ: uti videmus, obſolevisse de facto. Atqve hinc colligebat *Salmeron* ſupra n. 281: Fraternam correptionem planè non eſſe neceſſariam, qvia obſolevit. Dico autem: Poſitionem talis caſus, *ut ordo à Chriſto præſcriptus aliqvando fiat omninò inutilis*, qvandiu corripiendus ſanæ mentis naturalis eſt; eſſe injurioſam Chriſto Domino. Etiamſi enim peccans dilucida intervalla habuerit, & durante intervallo peſſimo, privata correptio nihil proficiat aut profectura appareat; Abſit tamen, ut propterà modus ille dicatur *omninò inutilis* ad emendationem peccantis. Qvàm poſſibile enim eſt, ut importuna correptio Paſtoralis, ex intervallo tamen fructum ferat, ut clariſſimè dicitur *II, Timoth. II. verſu ultimo: Si qvà eis det Deus pœnitentiam eluctandi è laqveis Diaboli, à qvo captivi*

vi ducuntur,&c: tàm poſſibile eſt, ut correptio fraterna ex intervallo fructum conſeqvatur. Vide,qvæ in hanc partem, *de iterãdis privatis monitionibus,qvod etiam olim & poſt intervallum ſint profutura*,commentatus eſt in hunc locum Apoſtoli *Claudius Eſpencæus.*

Deinde impium eſt dicere: *Non licere ſolùm,ſed etiam oportere, ut violetur ordo corripiendi à Chriſto præſcriptus,qvoties ob qvalemcunq; circumſtantiam videtur correpturo inutilis ad emendationem proximi:* Chriſtus enim incertitudinem ſalutaris effectus,non ſolùm de primo & ſecundo gradu prædixit,qvando addidit: *Si Te ſolum non audiverit: ſi neq; adſcitos teſtes audiverit,&c.* ſed etiam de Tertio gradu: *Si Eccleſiam non audiverit.* Qvi autem eventus infructuoſi futuritionem annectit ipſi præcepto,& ex hypotheſi infructuoſi gradûs primi,præcipit adhiberi gradum ſecundum; & ex hypotheſi infructuoſi gradûs ſecundi, præcipit adhiberi gradum tertium: Et deniqve ex hypotheſi infructuoſi gradus tertii, præcipit fratrem incorrigibilem haberi *ſicut Ethnicum & publicanum:* Numqvid ille Tibi videtur juſſiſſe correpturum fratrem, *ut,ſi ob qvalemcunq; circumſtantiã putet,gradũ primum non profuturum*,illicò proſiliat ad tertium? Qvò ruitis Viri? Annon eâdem formã conficietis: *Si ob aliqvam circumſtantiam videatur proximo, Correptionem etiam Prælati nihil profuturam; debere iſtum confeſtim habere fratrem ſuũ pro Ethnico & Publicano?* Oſtendite mihi vitium in hac collectione,qvo liberari poſſint illæ veſtrates. 301

302 *Joſephus Patriarcha non tranſiliit ordinem correptionis.*

Ad exempla deniqve *Joſephi denunciantis fratres ſuos*: *Chriſti,denunciantis Judam proditorem ſuum*,citra præmiſſionem privatæ correptionis:ut Jeſuitæ qvidem volunt *ex Gen.37: Joh 13, &c.* facilis eſt reſponſio; Nempe probandum eſſe Jeſuitis, alterubi omiſſam fuiſſe privatam admonitionem. *Abulenſis* certè in illud *Cap.37. Geneſ.* ait: *Joſephum eos aliqvando increpuiſſe,ſed qvia minor erat omnibus,non fuiſſe receptam monitionem ejus*; *Qvia ergò ſic non profecit,denunciaſſe Patri ſuo,qvi poterat remedium adhibere.* Et paulò poſt adverſus Judæos, inſimulantesJoſephum obtrectationis,(qvos *Dominicus Soto* ſeqvitur: *Juvenem ex Zelo non ſecundum ſcien-*

ſcientiam inordinatè preceſſiſſe) dicit: *Rectè poterat accuſare, cùm actus iſte ſit bonus in ſuo genere, & ex bono fine: ſolùm poteſt eſſe malus, ſi erretur in modo. Cùm autem Joſeph non erraverit in modo, quia prius eos admonuit, deinde admonitos & non caſtigatos denunciavit, rectus ordo fuit.*

303 Idem reſpondet *Doctor Angelicus Art.7.ad 2.* Richardus in *Qvartum Diſt.19.Art.3. q.1.ad 3.* Cajetanus *in Gen.37.* Malderus *Dub.2. ad Sextum.* & alii. Adde, qvod *Pererius ad h.l.* obſervavit: *inter filiosfamilias & Patrem, propiorem eſſe nexum, ut non præmiſſis fratrũ præſertim natu majorum caſtigationibus à natu minori ſuſcipiendis, confeſtim poſſit implorari Pater.*

304 *Neq; Chriſtus, etſi jure poſ- ſet tanqvam ſuperior.* Judas proditor Chriſti, ante deſignationem individui ſæpisſimè fuit admonitus per generalem eamqve recentisſimam & præſentisſimam dehortationem, qvæ æqvipollet privatæ, *Matth. XXVI,21. Luc.XXII,21.22 &c. Lyra in Gloſſ.h.l. & Durandus in Qvartum.Diſt.19.q.4.ad2.* ad utrumq; exemplum reſpondent: *prævisos fuiſſe incorrigibiles:* uti Ananiam & Saphiram *Act.V.* At verò hîc non qværitur de exemplis: Qværitur *de jure ſanciendi Legem perpetuam tantis gregibus Monachorum & Monacharum,* ut prætermiſſâ Lege Chriſti, omniqve privatâ correptione, debeant omnia & ſingula peccata fratrum immediatè ad judicem deferre? Hoc negavit Thomas, negaverunt ſaniores Scholaſtici, & nos negamus. Qvæſtio eſt, De obligatione inferiorũ & parium circa correptionem occultorum delictorum: Non de obligatione ſuperiorum, neqve de obligatione filiorumfamilias inter ſe invicem, qvi Patrem & Præceptorem habent.

§ XIV.
De Secundo Gradu Correptionis fraternæ, præſentibus Teſtibus.

305 LAudo *Bonacinam*; qvi, tametſi ex Recentioribus eſt, atq; poſt *Valentiã, Vasqvẽ, Becanũ, Ægid.Regium, Sairum, Reginaldũ, Laimanum,*

num, Filliuciū, Tannerum Jeſuitas, & Monaſtici ſaltus, ſive transgreſſionis Defenſores, ſcripſit, Eorumqve Regulam, Regulæ Chriſti oppoſitam ſatis perſpectam habuit; in definiendo tamen fraternæ correptionis ordine, ordini à Chriſto præſcripto inſiſtit, *Tom. II. Op. Moral. Diſp. 3.* ad primum Decalogi præceptum *Q. 4. puncto 7 n. 13.* qvando ad Qvæſtionem: *Qvo ordine facienda ſit fraterna correptio? Reſpondeo,* inqvit, *eo faciendum ordine, qvem Chriſtus Dominus in Evangelio præſcripſit. Hic autem ordo à Chriſto præſcriptus fuit:*

Primò, ut delinqvens ſecretò moneatur: Corripe eum inter TE & ipſum ſolum. Hoc tamen intellige, modo delictum ſit occultum.

Secundò, ut coram Teſtibus corrigatur, ſi privata & ſecreta monitio non profuit: Si TE non audierit, adhibe Tecum adhuc unum, vel duos: ut in ore duorum aut trium ſtet omne verbum.

Tertio, ut Prælato denuncietur, qvoties correctio obſervatis primis duobus modis non profuit. Qvod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ, inqvit Chriſtus.

Poſtremò, ſi neq; Eccleſiam audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.

Aſſentior qvoqve obſervationi ejusdem: *Qvod in correctione per Teſtes facienda curandum ſit, ut delinqventis fama, qvàm minimùm fieri poteſt, lædatur.* 306 Et qvod hâc de causâ Chriſtus Domin9 per disjunctivam particulam *Aut*, facultatem fecerit monitori, ut *unum Aut duos* pro ſecundo gradu admonitionis ad ſe aſſumat. Unum: Si frater uno adhibito lucrandus videatur. Duos autem in eventum: ſi metus fuerit, ne etiam Eccleſiæ denunciandus ſit frater, & conjunctam duorum teſtium admonitionem, æqve ac ſolitariam primi monitoris repudiaturus. Obſervavit qvoqve & 307 commendavit eundem ordinem *h. l. B. Hieronymus.*

Primus corripiēs, poteſt eſſe teſtis in ſecundo & tertio gradu correptionis.

Addo: Chriſtum hoc ipſo Unam primi monitoris perſonam legitimaſſe, ut loqvuntur, ut, non obſtante priore monitore, etiam teſtis eſſe poſſit poſt denunciationem. Enimverò, qvia contingere poteſt, & Chriſtus aliqvando ita eventurum prædixit; ut peccans, neqve unum ſolum, neqve cum ſocio audiat: & con-

ſeqventer denunciandus ſit Eccleſiæ; tutius qvidem eſt, ut præter denunciantis perſonam, etiam bini teſtes alii produci poſſint, qvi de fratris incorrigibilitate deponant; Cum Bonacina tamen ſtatuo: *De rigore verborum Chriſti, non poſſe rejici denunciantis perſonam à teſtimonii dictione cum altero illo unico teſte, qvem in ſecundo gradu admonitionis adhibuit.* Qvia, qvemadmodum primi monitoris & denunciantis perſona extra dubium computatur à Chriſto *inter illos Tres, in qvorum ore ſtabit omne verum*; Ita computanda etiam eſt *inter illos Duos*, in qvorum ore non minus dicitur ſtiturum verum, qvàm *in ore Trium*: Nam, ſi denuncians ideo inhabilis ſit ad teſtimonium dicendum, qvia denuncians eſt; neqve inter illos *Tres* computari debet, *in qvorum ore ſtabit omne verum.* At neceſſariò computandus eſt inter illos tres, qvos Chriſtꝰ determinavit, (*Tu aſſume unum vel duos, ut in ore duorum aut trium conſiſtat, &c.* Ergo.

308 Dices: Computatur inter tres, qvoad dicendum teſtimonium de corpore delicti, ob qvod corrigebatur frater: Reſpondeo, perinde eſſe. Coram qvo enim alio admitteretur ad deponendum de veritate præmiſſorum graduum admonitionis, niſi coram judice? Deinde: Idem qvi primùm ſeorſim monuerat, idem qvi ad ſecundum gradum teſtes adhibuerat, idem, inqvam, jubetur denunciare: *Dic Eccleſiæ*: Et hoc idem individuum computatur inter illos tres, in qvorum ore ſtat omne verum; Ergo os denunciantis computandum qvoqve eſt inter Teſtium ora. Nec enim alius effectus additi illius finis fingi poteſt (*ut in ore duorum aut Trium conſiſtat omne verum*) niſi, ut judici conſtet de veritate, tùm commiſſi criminis, tùm repudiatorum priorum graduum admonitionis. Neqve etiam ulla evidens ratio adferri poteſt, qvâ oſtendatur: particulam disjunctivam *Aut* (*in ore duorum aut trium, ſtabit omne verum*) h.l. non eſſe disjunctivè ſumendam.

309 Qvoties igitur ſolitarius & privatus monitor, poſt adſcitum unum teſtem iterum privatim monuit peccantem: & ſecundò monitum ob pertinaciam denunciat, non poteſt repudiari à teſtimo-

monio dicendo,neqve duorum iſta depoſitio pro inofficioſa, aut ſemiplena poteſt haberi in foro Eccleſiaſtico.

Qvid ſi autem (1) privatim ab uno monitus & confeſſus,po- 310
ſtea coram adjunctis uno vel duobus teſtibus, diffiteatur peccatum,qvod non diffitebatur ad primam monitionem : nunqvid denunciare eum licebit? Reſpondeo non licere : ſed delictum habendum eſſe pro incerto. Qvanqvam enim ſolùm de cauſa criminali agat diſpoſitio illa juris divini, *Devt.XVII,6. Ad unius Teſtis depoſitionem nemo moriatur:* Extenditur tamen *Cap. XIX,15.* ad qvodcunqve peccatum. Neqve denuncians ad teſtimonium ferendum admittitur in hoc noſtro caſu,niſi conjuncto uno teſte. Concedam etiam *Lorino & Abulenſi* in Cap. XVII. Devteronomii: *Qvòd in criminalibus,qvæ judici ſeculari ad puniendum ſupremo ſuppliciò denuncianda ſunt,inter Teſtes non ſit computandus denuncians,*etſi utrumqve gradum admonitionis præmiſerit,qvamvis gloſſa *in Can.I.2.q.4. & c. omni. De teſtibus* ſtatuat, *eſſe computandum.* Chriſtus enim cumprimis diſputat de correptione *qvotidianorum peccatorum*: ut patet ex inſtantia Petri *verſu 21: Qvoties igitur peccabit in me frater meus,ut tenear condonare ei, nunqvid ſufficit ſepties?* Et reſponſione Chriſti: *Imò verò ſeptuagies ſepties condonabis.* Circa cujus numeri explicationem conſentiunt Interpretes,poni *finitum pro infinito*,qvi ad innumera adulteria,latrocinia,&c. modumqve ordinarium probandi talia judici ſeculari, non poteſt extendi.

Dub. 1. An negans factum in gradu ſecundo admonitiōis, illico poſſit denunciari, & denuncians poſſit eſſe teſtis.

Qvæcunqve igitur ſubveniunt Reo & accuſato capitalis criminis,ea noluit Chriſtus reſtringere. Ut *Hugo Cardinalis in Gloſſa ad Cap.XIX. Devt,* obſervavit: *Moſi ſermonem eſſe de foro judiciali,deq; accuſatione ad condemnationem, qvæ ſit in majoribus criminibus: Fratres autèm denunciare ſe invicem ad correptionem,& hoc in minoribus,qvæ qvotidiè eveniunt.* 311
Dubitatur ſecundo de officio aſſumendorum Teſtium : An ſolùm teſtificandi causâ coram Eccleſia,de facto,ſive de præmiſſis gradibus admonitionum in eventum aſſumendi ſint? An verò ſimul & cognoſcendi de jure: id eſt,pronunciandi: An reverâ etiam peccatum ſit,ob qvod

Dub. 2. de officio aſſumendorum teſtium.

ſtater privatim objurgavit fratrem, præſertim, ſi frater correptus aut corripiendus non agnoſcat ſe peccaſſe in hoc vel illo facto, ob qvod corripiebatur à fratre: An vero etiam teſtificandi in eventum de agnito reatu? An deniqve ſolo fine corripiendi? Qvod primâ & ultimâ harum finium ſint adhibendi, patet ex verbis Chriſti: *ut in ore duorum & Trium, &c.* Et paulò poſt: *Si nec illos audierit:* Ubi plures nominantur, qvorum correptionem unà cum correptione primi monitoris audire debebat peccans: Et per δεινωτικὸν vocabulum, παρακούσῃ, augetur peccantis reatus, ſi poſt primum monitorem, de qvo *audiendo* uſurpatur verbum ſimplex: Ἐὰν δὲ μὴ ἀκούσῃ, *ſi hunc non audiverit, &c.* etiam acceſſerit παρακοὴ ſeu præfracta & cumulata repulſio ſecundi monitoris: qvæ παρακοὴ non ſolùm negativam, ſed etiam privativam & proæreticam qvaſi *inobedientiam* notat: *tunc dic Eccleſiæ, &c.* Unde apparet: finem oppoſitum, ſcil. ὑπακοὴν *& obſeqvium peccantis*, ejusqve emendationem, etiam ab adſcitis Teſtibus eſſe procurandum.

312 De ſecundo & tertio fine non omninò aſſentior *Conzenio, Maldonato, in Cap. XVIII. Matth. & Maldero, l.d.* qvoad effectum juris: qvòd in dubio, ſi corripiendus neget id eſſe peccatum, qvapropter de facto corripitur, poſſint procedere Teſtes ad fratrem ſuper illo facto corripiendum, in qvo is nullum reatum agnoſcit. Neqve puto etiam obeſſe correpto ad hoc: ut judex tanqvam in convictum & confeſſum ſtatuere poſſit, propterea, qvod primum & ſecundum gradum correptionis admiſerit, non excipiendo adverſus qvalitatem facti, qvoad Reatus adhæſionem; ſi poſteà melius edoctus, putet, nihil à ſe peccatum fuiſſe in eo, qvapropter ſemel iterumq; corripiebatur: ſed ante cognoſcendum eſſe ab Eccleſia ſuper vitioſâ qvalitate facti, qvàm ad pœnam procedatur. Omni enim ſtudio cavendum à judice, ne qvid extrajudicialiter dictum aut factum, cedat in injuriam denunciato. Et ſæpe contingit, gigni cuiqvam dubiam & ſcrupuloſam conſcientiam, autoritate unius vel plurium, de peccato aliqvid arguentium, qvod tamen peccatum revera non eſt, ut Apoſtolus monet *Coloſſ. II.*

II.16. Igitur extrajudicialis agnitio qvalitatis tanqvã vel qvaſi vitioſæ, non poteſt haberi pro confeſſione judiciali.

313 *Dub.3. De iteranda privata dehortatione, iterato delicto.*

Dubitatur tertio de iteratione Teſtium circa correptionem unius numero peccati. An, qvia famæ peccantis conſulendum eſt, qvantum fieri poteſt, teneatur frater ſpe emendationis obtinendæ, ſive ſolitariam monitionem bis repetere, ſive aſſumptionem teſtium ſæpius iterare, qvando poſt gradum ſive primum ſive ſecundum ſemel adhibitum, ſperat meliora intervalla aut meliorem diſpoſitionem in ſubjecto corrigendo, & peccatum ſit occultum, præteritum, & nulli nocivum niſi peccanti vel ſoli, vel ſocio itidem occulto? Reſpondeo non teneri qvidem ex hoc præcipuè fine, ut parcat famæ proximi. Non enim famæ conſervationem, ſed ſalutis præcipuè acqviſitionem intendit Salvator in hac Regula, Matth XVIII, qvod ex adjuncta ſimilitudine *de qværenda ove perdita,* & expreſſo fine correptionis, qvi eſt *lucratio animæ,* non famæ *fratris,* apparet: Si tamen concurrunt conſervatio famæ & ſpes emendationis ex æqvo, ita, ut illius intentio moram aut periculum non creet fini à Chriſto præcepto, id eſt lucrationi animæ fratris: dico licere. Sed in hac iteratione non mandata providendum eſt, ne ad conſervandum bonum minus, majus bonum & directè à Chriſto intentum amittatur. Qvi miſericordiam promiſit, craſtinum non promiſit: Et proximi Aſinus liberandus eſt à faſce cui ſuccumbit, citra moram.

314 *Dub.4. An ſinguli gradus iterandi?*

Dubitatur Qvarto de iteratione ſingulorum graduum admonitionis, qvoties frater recidivam patitur: An de uno vel pluribus ſpecie iiſdem peccatis, ut obtrectatione, ebrietate, mollitie, profanatione nominis divini, furto, aliiſqve occultis delictis toties, qvoties poſt ſemel iterumq; impetratam remiſſionem committuntur, primò ſeorſim per me ſolum, poſtea adhibitis teſtibus, deniq; per Eccleſiam corripiendus ſit frater, qvoties recidivam patitur? Et videtur non ſolùm hic ordo ſemel, ſed *ſepties & ſeptuagies ſepties* adhibendus, qvia hic numerus illico adjungitur, qvando de *recidiva* in Terminis qværitur à Petro, Matth. XVIII. *Qvoties? An ſufficit ſepties, &c.*

Sup-

Digitized by Google

Suppono autem Recidivam, qvæ ſurrepit, poſt habitum peccandi in propoſito qvidem efficaciter mutatum, ſed qvoad inclinationem nondum ſubactum, & ex intervallo recrudeſcentem, & in luctâ ſuperantem. Recolentibus Eccleſiæ hiſtoriam conſtat; Non de ſolo peccato hæreſeos, tanqvam irremisſibili in foro exteriori, qvoad reſtitutionem in priſtinum gradum honoris & officii: ſed etiam de aliis enormibus, publicis tamen criminibus *ſemel tantùm remittendis* motam fuiſſe qvæſtionem Orthodoxis, *â Novatianis, Catharis, Meletianis, Donatiſtis*, aliisqve ex hâc ſtirpe prognatis Sectarum nominibus: Et Johanni qvoqve Chryſoſtomo multum odii conflatum fuiſſe ex illo in Pſalmum LI. & ſermonibus ad populum freqventer repetito: χιλιάκις ἁμαρτήσας, χιλιάκις μετανοήσας, χιλιάκις εἴσελθε: *Millies peccans, millies pœnitens, millies ingredere in pacem Eccleſiæ.* Qvod non hoſtes ſolum, ſed & Amici ac fratres nimis Catachreſticè dictum reprehenderunt, *Socrate* teſte *VI. Hiſtor. cap. 21.* Qvanqvam etiam Autor *Qvæſtionũ ad Antiochenos, qvæ ſub Athanaſii* nomine feruntur, eandem formulam loqvendi uſurpaſſe legatur *Q. XCIII.*

316 At certum eſt: Qvoties Eccleſia tenetur recidivo iterare officium abſolutionis: toties etiam fratrem teneri ad iterandum fratri recidivo officium admonitionis, ſecundum gradus à Chriſto præſcriptos, in occultis delictis. De publicis & ſcandaloſis judicabit Eccleſia, qvando tandem Recidivus habendus ſit pro Ethnico & Publicano:

Eccleſia non tenetur 490 vicibus publicos peccatores recipere.

317 Mon minus autem certum eſt: Eccleſiæ (nedum Reip.) patientiam in recipiendis publicè Recidivis publicis non arctari à Chriſto ad eosdem limites, neqve extendi ad æqvalem qvantitatem numericam receptionis, ad qvam arctatur promptitudo fratrum privatorum, qvovis peccato noſtro iterato & aliqvoties offenſorum. Norma promptitudinis fraternæ ad recipiendos Recidivos qvoties reſipuerint, exigitur ad promptitutudinem Dei remittentis nobis qvotidiè easdem ſpecie offenſas, qvibus heri, nudius tertius, qvartus, qvintus, &c. offendebatur, ſi feriò reſipuerimus; At norma prudentiæ Eccleſiaſticæ, qvando Recidivus & Re-

Reſipiſcens,habendus ſit pro ſeriò reſipiſcente,& qvoties conducat,Recidivum publicum peccatorem, recipere Reſipiſcentem, non poteſt exigi ad ſapientiam & ſcientiam Dei, qvæ eſt infinita. Ideoqve prudentiæ Eccleſiæ hoc committendum eſt,qvoties cenſeat ſcandaloſum & publicum Recidivum recipere,vel qvandiu cenſeat eum à publicâ receptione ſuſpendendum,pro qvantitate & qvalitate iterati delicti.

Hanc enim prudentiam reſtringi non poſſe ad eosdem ar- 318
ticulos temporis,ad qvos promptitudo fratris privati alligata eſt, *Matth.XVIII.Luc.XVII,3.4. Qvoties in die, etiamſi ſepties in die TE offendat & ſepties eum pœniteat,ſepties teneris eũ in gratiam recipere,* &c. Patet ex diſcrimine inter delicta privata & publica,qvæ plurimos offendunt; ex diſcrimine item peccatorum qvotidianæ incurſationis,*ut verbi aſperi,ocioſi, &c.* & flagrantium criminum, qvibus honeſtas publica,& tranqvillitas Reip. violantur. Qvis enim credat,*Apoſtolum* inceſtuoſum illum, *I.Cor.V.* ſi ſeptuagies ſepties,aut Qvingenties rediiſſet ad vomitum, qvingenties exſoluturum fuiſſe nodo excommunicationis ? Indefinita igitur promptitudo tùm Eccleſiæ tùm privatorum,in recipiendis Recidivis,remittitur ad exemplum promptitudinis divinæ, qvotidie nobis peccantibus & pœnitentibus remittentis easdem offenſas: At ſuppoſitâ ſeriâ pœnitentiâ; ad cujus explorationem latitudo qvædam temporis inter homines reqviritur : Et nonnunqvam tanta,qvantam ad extremum usqve halitum, ſive usqve ad mortis Articulum oportet explorare & expectare, donec Recidivus recipiatur. 319

Præſertim,Qvum Deus ipſe diſtingvat inter *Remiſſionem & Remiſſionis manifeſtationem,*ſive publicam declarationem. Remiſſio fit in inſtanti ſeriæ pœnitentiæ,ſeriæqve fiduciæ de interventione ſatisfactionis Chriſti pro me hic & nunc mihi ſuccurrente: *Jer.XVIII.8 Ezech.XVIII,22,&c.* At Remisſionis manifeſtatio etiam à Cœleſti Conſiſtorio fit per intervalla : uti apparet ex ſententia *in ſororem Moſis* latâ , qvum Moſes reſtitutionem in integrum illico fieri peteret : *Et nunc Domine,illico ſana eam :* Reſpondet

Digitized by Google

det Dominus: *Si Pater ejus expuiſſet in faciē ejus, Annon ſeptē diebus occultaret ſe? Excludatur ſeptem diebus extra caſtra, poſtea reſtituatur*, *Num. XII, 14.* Par ratio erat de intervallis & diætis declarandorum publicè eorum, *qvi leprâ infecti fuerant, Levit. XIII. &c.*

320 Atqve hinc illi *Canonicæ pœnitentiæ gradus* & intervalla originem duxerunt, qvos *Auguſtana Confeſſio Art. XII.* non omninò damnat, ſatisfaciendi & merendi tantùm finem & facultatem impugnat. Hinc mos *Unius publicæ Receptionis* Excommunicatorum, & *unius publicæ pœnitentiæ* Facinoroſorum in Eccleſiam manavit: de qva *Auguſtinus Epiſt. LIV. ad Macedonium* Præſidem: *Qvamvis ergo cautè ſalubriterq; proviſum ſit, ut locus illius humilimæ pœnitentiæ SEMEL in Eccleſiâ concedatur, ne medicina vilis, inutilis eſſet ægrotis, qvæ tantò magis ſalutaris erit, qvantò minus contemptibilis fuerit; Qvis tamen audeat dicere Deo: qvare huic homini, qvi poſt primam pœnitentiam rurſus ſe laqveis iniqvitatis obſtrinxit, adhuc iterum parcis?* Hæc Auguſtinus ad Præſidem (apud qvem intercedebat pro vita maleficorum) opponentem Eccleſiæ morem, qvòd hæc Recidivos publicos peccatores, non ſoleat recipere publicè.

Publica pœnit. ſemel conceditur.

321 Hinc deniqve mos differendi qvorundam abſolutionem, uſqve ad mortis articulum, unde *Communio, ἐφόδιον* ſive viaticum *clinicorum*, abſolutionem tamen petentium & pœnitentium. *In Concil. Nicæno I.* decreta *Can. XIII*, Apoſtatæ verò & facinoroſi nō pœnitentes, mori ſine ſolatio permittebantur. Ex decreto *Concilii Arelatenſis in Gallia*, ante Nicænum Anno CCCXVI. *Can. 23.* ap. Binnium fol. 221. & *Carthag: ult. Can. 7.* apud eundem fol. 571. Hinc etiam *diverſi gradus pœnarum Canonicarum*, diſtinctaqve ſpacia publicæ pœnitentiæ pro iis, qvi citra tormenta, vel per tormenta ad apoſtaſian inducti erant: qvi alios ſeduxerant: qvi hilares & lætos ſeſe, vel triſtes & pudibundos in prima abnegatione dederant, ut aliis triennio, aliis ſexennio plangendum, poſtea aliis biennio, aliisqvinqvennio cum plebe qvidem oratio, nulla autem Sacramenti Cœnæ Communio permitteretur; uti apud *Athanaſium*, ex Synodi Alexandrinæ decreto, *Tom. II. Opp. Græcol. fol. 46. Ex Nicæni* Concilii definitione *Can. 11. & 12. ex Ancyrani*, qvod ante Nicænum

nũ in Galatia hos diſtinctos pœnitẽtiæ gradus definivit, *canonibus octo prioribus*, pro diverſa qvalitate & qvantitate delicti, *apud Bin. fol. 227. ſeqq.* De diverſis etiam annorum ſpaciis ad publicam pœnitentiam abſolvendam, triennio, ſexennio, ſeptennio, &c. jam ſua ætate meminit *Cyprianus in Serm. de Lapſis. & Epiſt. LIII. apud Pamelium*, Aliis lib. III. Epiſt. 21. ad *Fortunatum, Ahymniũ, Privatianum, Donatulum & Felicem*, Collegas ſuos, interrogantes ipſum de receptione Lapſorum, *qvi triennio jugiter & dolenter planxerant, cum ſumma pœnitentiæ lamentatione*, uti verba Epiſtolæ habent. De qvibus jam non diſputamus. A debito autem Eccleſiæ in recipiendis aliqvotiens etiam publicis peccatoribus, ſaltem in atrocia flagitia freqventer non relabentibus, ad privatorum debitum in recipiendis ſuis fratribus, legitima fit illatio; ſed non vice verſâ, ob cauſas ſuprà allatas.

Affinis huic dubitationi eſt *Qvinta:* An propter metum recidivæ ſecundæ aut tertiæ, poſtqvam frater ſive ad unam ſolius, ſive ad Teſtium adſcitorum monitionem ſemel ſe emendavit, at rediit tamen ad vomitum; liceat omiſſis duobus prioribus gradibus eum ſecundò ad eundem lapidem impingentem illico denunciare Prælato? Caſiſtæ communiter adfirmant; nixi hoc fundamẽto, qvod nemo teneatur præmittere denunciationi privatas admonitiones, niſi ſub certâ ſpe ſecuturæ emendationis. Si autem contingat fratrem denuò labi in illud crimen, à qvo ſemel privatis admonitionibus liberatus eſt, exſpiraſſe ſpem emendationis, & præſumi relapſum tertium, qvartum, &c. Ideoq; ad hos efficacius prævertendos, alii docent *licere*, alii *debere omitti* gradus admonitionum. 322

Dub. 5. An poſt unã recidivam liceat tranſilire gradus admonitionum.

At (1) hypotheſis illa de reqviſita certa ſpe emendationis ad primum gradum admonitionis, falſa eſt, ut ſupra oſtendi: nec enim Chriſtus ſurrogaſſet illico ſecundum & tertium gradum, ſi primum non niſi ſub certâ ſpe effectus ſalubris adhiberi voluiſſet. Sufficit abſentia violentæ præſumptionis de inefficiacia, qvalis præſumitur de furioſis, ebrioſis, &c. (2) Nulla eſt conſeqventia: Semel paſſus eſt recidivam, ergo recidet tertio, qvarto: Nec 323

Digitized by Google

una nec bina iteratio inducit habitum inſuperabilem. (3) Metus recidivæ, neqvaqvam eſt ſufficiens cauſa faciendi ſaltum per gradus à Chriſto præſcriptos: Qvin potius in ipſa *ſeptena recidiva*, præcipitur iteratio graduum à Chriſto præſcriptorum, apud Matthæum pariter & Lucam, ſed apertius apud *Lucam XVII, 4: ſi ſepties in die peccaverit, & ſepties redierit, &c.* tuâ ſcilicet correptione emendatus.

§ *XV.*

De Tertio Gradu Correptionis fraternæ.

324 Tertius gradus correptionis fraternæ eſt, ut tranſeat in Paſtoralem & Magiſterialem, *Dic Eccleſiæ, &c.* Qvæ qvidem correptio ratione generici nexus inter Chriſtianos, ratione etiam affectionis & modi, eſt & eſſe debet fraterna; ſed ratione cauſæ efficientis proximæ, ſuperaddit ſubjecto corripienti facultatem etiam judicandi & puniendi; & formæ correptionis fraternæ addit formam correptionis Magiſterialis & Paſtoralis, qvæ incorrigibilem punire poteſt excommunicatione, qvod frater non poteſt, ut ſeqvitur: *Si Eccleſiam non audierit, ſit Tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Qvæ pœna pertinet ad effectus Correptionis Paſtoralis, de qvâ præſens diſſertatio noſtra ſuſcepta non eſt.

325 *Eccleſia cui deferendus eſt frater, notat plures duobus.*

Prima autem qvæſtio hic movetur de *Eccleſia*, cujus correptioni tertio loco & gradu tradendus eſt frater incorrigiblis? An hæc vox Eccleſiam collectivam ex Ovibus, & Paſtoribus, an verò ſolam Eccleſiam repræſentativam ex Paſtoribus & qvidem ex inſtituto & ſenſu Chriſti ſignificet? Dicimus, ex ſenſu & ſcopo Chriſti intelligi plures, qvàm ſint *duo vel Tres*: Et hoc patet ex gradatione, qvæ aſcendit non à pluribus ad pauciores, ſed paucioribus ad plures: Primò *corripe eum inter TE & ipſum ſolum*: Deinde *aſſume unum vel duos, ut in ore duorum aut trium conſiſtat omne verum*: ſi ne-

neqve hos audierit, *dic Eccleſiæ:* ſi neqve Eccleſiam audierit, *ſit Tibi velut Ethnicus & Publicanus.* Qvæ fuit cauſa augendi ſecundum gradum correptionis, pluralitate perſonarum, eadem fuit cauſa augendi tertium gradum pluralitate perſonarum; ſed ut plures eſſent, qvi & corripere, & obteſtari errantem poſſent, auctus fuit ſecundus gradus: Ergo eodem fine auctus fuit numero perſonarum tertius gradus.

Deinde probatur inductione famoſioris ſignificati Vocis *Eccleſiæ.* Nusqvam reperies in Novo Teſtam. *qvando Eccleſia diſtingvitur* per gradus *à Collegio duorum, vel Collegio Trium*, qvod notet Unicam perſonam. Non nego in conſtitutione judiciorum Moſaicorum alteram qvidem inſtantiā proceſsiſſe à paucioribus ad plures: Tertiam verò à pluribus *ad Moſen ſolum, Exod. XVIII, 21.22.* ſed non ut ad judicium humanum, cui mediate Deus adſiſteret, qvale eſt Eccleſia militans, verùm ad judicium divinum, & ad Moſen tanqvam ſolum internunciū ſive Notariū, qvi tantùm *referret & publicaret immediatam divinam ſententiam*, ut verba habent v. 19: *Eſto Tu populo ante Deum*, ſeu coram Deo, *ut referas qvæ dicuntur ad eum: pro judiciis autem inferioribus provide Decuriones; Centuriones, Chiliarchas, &c.* 326

In Novo autem Teſtamento qvoties Eccleſia contradiſtingvitur ſuis membris, ſemper ſignificat qvantitate majorem cætum, qvàm faciunt illa membra, qvibus contradiſtingvitur, ut patet ex collatione dictorum *I. Cor. VI, 4. Cap. XI, 16.18.22. Cap. XII, 28. Cap. XIV, 19.23.28.33.34.35. Sic Actorum VII, 38. & XIII, 1.* dicuntur *qvidam Prophetæ fuiſſe in Eccleſia.* Presbyteri *qvidam dicuntur fuiſſe in Eccleſia. Act. XIV, 23. Cap. XV, 3.4. Cap. XX, 28. Jacobi V, 14. Apoſtoli*, tanqvàm pauciores diſtingvuntur *à cætu Eccleſiaſtico, II. Cor, VIII, 23.* I. *Cor. XII, 28. ſeqq. Epheſ. IV, &c.* Eccleſia dicitur *panegyris* multitudo, congregatio multorum, &c. *Ebr. XII, 23. Cap. II, 12. Act. XIV, 27. Cap. XIX, 32.39 40.* Imprimis clariſsimus locus extat Act. XV, 22: *Viſum eſt Apoſtolis & Presbyteris cum tota Eccleſia: mittere ex ſuo cætu delectos qvosdam Viros Antiochiam, unà cum Paulo & Barnaba, & ſcripſerunt Apoſtoli, & Presbyteri, & reliqvi* 327

 fra-

Digitized by Google

fratres,&c. Si Eccleſia reſolvenda eſt in *Unum*, ſive Apoſtolum ſive Apoſtoli ſucceſſorem, ſive Tyrannum occupantem & ſumentem ſibi Apoſtolicam autoritatem, qvorſum igitur contradiſtingvitur *Eccleſia* & Apoſtolis ſimul ſumptis, & Presbyteris ſimul ſumptis? Tametſi igitur non nego, *Eccleſiam* hoc dicto loco Matthæi ſumi poſſe pro *Eccleſiâ repræſentativâ:* non negem qvoqve Repræſentationem fieri poſſe per qvantitatem Arbitrariam, & ut ſic dicam Geometricam, qvæ æqvipolleat Arithmeticæ; nego tamen uſqvam in ſacris literis reſolvi *in unum membrum de Eccleſia*, vel reſolvi etiam ex ſcopo & inſtituto *hujus Loci Matthai* ſic poſſe.

328 Et utut de impoſſibili poſſet tranſitus fieri ad poſſibile; Romanum Epiſcopum hoc nihilo plus juvaret, qvàm Patriarcham Alexandrinum, vel Muffti Ægyptium. Qvod non eſt hujus inſtituti multis diſcutere.

329 Certè Interpretes omnes, tàm Græci qvàm Latini, qvi prioribus ſex ſeculis à Chriſto nato vocabulum *Eccleſiæ*, Matth. XVIII. de Cætu Repræſentativo cujusqve particularis, vel etiam pro qvalitate cauſarũ, de cætu repræſentativo Univerſæ Chriſtianæ Eccleſiæ expoſuerunt; nemo de unico Individuo repræſentativo Eccleſiæ intellexit, qvod neqve ipſe *Bellarminus* potuit inficiari, *II. de Conciliis Cap. XIX.* Qvin & ipſemet, qvãdo *III. de Eccleſia cap. XII.* de Catholicismo extẽſivo, qvoad capita innumera profitẽtiũ agit, & *Veritatem Eccleſiæ*, qvæ repræſentatur in paucis, ſive Doctoribus, ſive etiam fidelibus membris Laicis impugnat: profitetur, *ſe adverſari Johanni Gerſoni* Cancellario Pariſienſi, & *Gerſonem, Almainon, Occamum*, alioſqve etiam ex Latinis adverſari Jeſuitis in explicatione vocis *Eccleſiæ* hoc loco Matthæi. Illos enim contendere, qvod *conſtituatur hoc loco dicaſterium plurium, coram qvo & Papa ipſe poſſit conveniri*: Et ſane ad hoc ipſum dicaſterium Petrus remittitur. De foro enim competẽte ſibi tanqvam Actori, Petrus qværebat: & ad hoc forum Petrus ipſe à Chriſto remittebatur. Perſonæ enim Petri immediatè dicebatur per hunc Imperativum: DIC, *Dic Eccleſiæ*, Qvod ut indubiæ, ita etiam immotæ eſt veritatis;

tis; Etſi *Bellarminus*,uti alibi, ita etiam hîc clarisſimo ſcripturarum jubari conetur fuliginem offundere.Nobis ſufficit illius cõfeſſio,qvod Græci & Latini Interpretes Vocem *Eccleſiæ* h.l. de cætu ampliore duobus aut tribus perſonis,acceperint. Non poſſunt igitur ſubterfugere,qvicunqve ſuccedere volunt in jura Petri, qvin ſuccedant qvoqve in hoc onus Petri. Qvod *Gerſon l.dicto*, & ex Græcis *Nilus* cumprimis & *Barlaam*,in libellis ſuis de *Primatu Papæ* prolixè deduxerunt.

Qvò magis mirandum,qvòd in tanta Evangelii luce *Thomas Bilſon* Wintonienſis in Angl. Epiſcopus *de Gubernat.Eccleſ. cap.4.* qvem *Montacutius*,Ciſtaceſt.Ep.2.*de Orig. cap.ult.*&Joſephus Hallus *Exonienſis,Sect.VI. de Epiſcopatu juris divini*,aliiq; moderni Angli,usq; ad hanc rebellionem ſecuti ſunt,*negant: hoc loco Matthæi inſtitutum eſſe Synedrium:* eò,qvòd hic reqviratur pluralitas: *Synedrium autem pro conſultatione qvidem admittat pluralitatem Ariſtocraticam,pro definitiva autem poſcat poteſtatem Monarchicam.* Ratio: qvia *ſoli Timotheo,non concurrentibus ad jurisdictionem Laicis injunctum ſit,ut cognoſcat in cauſis accuſatorum Presbyterorum, & qvomodo cognitio inſtitui debeat,I.Tim.V,19.* Deinde: qvia Chriſtiani *nunqvam abominati fuerint Ethnicos & Publicanos,neq; eos habuerint pro excommunicatis;* igitur hanc conſtitutionem qvaſi interimiſticam fuiſſe,donec Chriſtiani emergerent ex Synagogis Judæorum,in qvibus precaria hoſpitia habebant,ſeqve in cætus Eccleſiaſticos aſſererent. Atqve hæc omnia horſum dirigunt,ne *Presbyteros Laicos* in dicaſteria ſua admittere cogantur. Gloriantur: *In ſola Anglia ſupereſſe Proteſtantibus Conſiſtoria Eccleſiaſtica.* Huic fundo,non poſtrema pars modernæ cladis Anglicanæ adſcribenda eſt.

330 *Ambitio nuperorum Epiſcoporum Anglorum.*

331 At Chriſtianorum Interpretum conſentiens vox eſt: Chriſtum hîc ſanxiſſe modũ,qvo Petrus non ſolùm corriperet privatim,ſed qvo etiã Eccleſia publicè corriperet, judicaret,& puniret refractarium fratrem,qvi privatæ correptioni Petri parere noluerat. Id qvod *adjunctæ parabalæ*,de ſolenni modo procedendi, qvo Deus cum ſuis debitoribus agere ſveverit,eoq; viam ſimiliter procedendi nobis præeat, oſtendunt.

Digitized by Google

Monarchicum regimen,& analyſin Eccleſiæ,ad qvam à Collegio duorum aut Trium provocatur,in Unum Individuum, ſive univerſalis Catholicæ,ſive particularium Eccleſiarum regimen ſolum adminiſtraturũ,hîc inſinuari;id repugnat toti inſtitutoChriſti, repugnat etiam indoli *vocis Eccleſiæ*,ut paulò ante oſtendi.

Ad rationes Bilſoni qvod attinet; A cognitione cauſæPres-
332 byterialis,ideo non excluduntur qvi participent, qvia actio non permittitur accuſatori,niſi duos aut tres Teſtes ante litis conteſtationem produxerit,qvi Actorem qvaſi à calumnia & temerè intentatâ lite liberent.Uti verba Apoſtoli id aperte præ ſe ferunt: *Adverſus Presbyterum accuſationem ne admittito*,ἐκτὸς εἰμὴ ἐπὶ δύο κ.τ.λ.*niſi in hoc caſu,qvando Actor duobus aut tribus teſtibus intentionem ſuam firmaverit.* Ut tantiſper ſupponam: Vocabulum*Presbyteri* h.l. eſſe nomen officii dogmatici tantùm,non nomen ætatis,neqve alterius officii.

Bilſon & ſocii refelluntur.

Deinde (2) ex *privilegio perſonali Presbyteri* non ſeqvitur:Er-
333 go ChriſtusMatth.XVII.nullum inſtituit Synedrium,ſive forum cognoſcẽdi de ullis aliis nõ Presbyteris,autPresbyteralibꝰ cauſis; Multò minus ſeqvitur: *Ergo cognitio omnium litium inter Chriſtianos ad ſolum Epiſcopum ſpectat.* Probetur: qvod Timothei individuũ hîc excluſivè intelligatur, de nõ coadmittẽdis aliis cognitoribus. Neqve etiam hoc ſeqvitur, qvod Bilſonus admittendum contendit: *Ergo judicium Eccleſiæ, à Chriſto Matth. XVIII. fundatum,eſt judicium merè laicum*,neq; alias cauſas complectitur, niſi forenſes actiones *de contractibus,de injuriis,de damnis, &c.* Superius enim oſtendi: Objectum corrigendũ dicto loco Matthæi, eſſe non ſolum læſiones privatas in fratrem accuſantem commiſſas,ſed etiam alias,inDeum,proximum &totam communitatem, ob qvas etiam popularis actio de jure civili potuiſſet inſtitui.

334 *Tertiò*,Phraſin illam; *Haberi tanqvam Ethnicum & Publicanum*,à religione judaica derivatam eſſe,verum eſt. Et conſeqventer planum; Hanc eſſe *periphraſin excommunicati*, privativè & negativè talis,id eſt,ſive antea in communione fuerit,ſive tanqvam impurus ad communionem nondum admiſſus ſit. Periphra-

phraſin, inqvâ,pro qvalitate illius Statûs,in qvoPetrus tunc vive-
bat,ſcil. pro qvalitate Judaiſmi. At hæc periphraſis per analo-
giam transferenda & applicanda erat, à ſignis excommunicatio-
nis Judaicæ,ad ſigna excommunicationis Chriſtianæ, h.m: Qvo
loco habebantur Ethnici &Publicani Petro,qvandiu Judæ9 erat,
Eodē habitum iri fratrem incorrigibilem Petro,poſtqvam Chri-
ſtianus factus eſt. Qvemadmodum enim non ſeqvitur: Si Chri-
ſt9 dixiſſet: *Sit tibi ſicut Samaritanus*, ut propterea Samaritanus
qva talis,habendus ſit etiam à Chriſtianis pro excommunicato:
ſed ſufficit,ut habeatur à Chriſtiano talis, qvales habebanturSa-
maritani à Judæis: Ita ſufficit,qvòd hoc loco *Ethnici & Publica-
ni* de facto habebantur à Judæis*pro excommunicatis*: qvia cōfertur
æſtimium Chriſtiani *de excommunicato*,cum æſtimioJudæi *deEth-
nico & Publicano* qvoad excluſionem à communione ſacrorum.
Qvanqvam enim Chriſtiani civilem converſationem cum Ethni-
cis & Publicanis non formidaverunt;ad communionem tamen
ſacrorum ſuorum,eos neqvaqvam admiſerunt,aut admittere po-
tuerunt,ut patet ex I. Cor. X: *Non poteſtis Poculum Domini bibere,
& Poculum Dæmoniorum.*

Pontificii Interpretes,*Stapletonus,Duacenſes,Salmero,Maldona-* 335
tus,Cōzē,Cornelius,Bellarminus,&cæteriPolemici neoterici paſſim,
Eccleſiæ vocabulum hoc loco in Unam perſonam ideò reſolven-
dum eſſe cōtendunt, *qvia plebis multitudo nec cognoſcere nec excom-
municando punire poſſit.* At,inqvam,hinc nondum ſeqvitur, *Ec-
cleſiæ* vocem reſolvendam eſſe in unum individuum. Datur e-
nim tertia,qvarta,qvinta ſpecies regiminis inter Mônarchiam,
& Democratiam omnium ac ſingulorum de plebe,qvalem Para-
ſiti Romani nobis affingunt,at qvalis per rei naturam impoſſibilis
eſt. Qvum enim Regens & Regendum ſint relata; per naturam
impoſſibile eſt,ut omnes & ſinguli de plebe ſint ſimultanei judi-
ces,& ſimultanei ſubditi, ſive judicandi in eadem cauſa.

Dandum igitur omninò eſt,*Vocabulum Eccleſiæ* ſumi qvidem 336
collectivè etiam de plebe: ſed de generibus ſingulorum,non de
ſingulis generum,proEccleſia repræſentativa per Nobiliſſimos&

præ.

præcipuos ex Laicorum Eccleſia. Sicuti noſtri Interpretes *Phil. Mel. Chytræus, Hunnius, Oſiandri, Winckelmannus, Cramerus, Noribergenſes in Commentariis ad Matth. XVIII.* ipſi exponunt.

337 *Refelluntur Pontificiorũ Interpp.* Rationes autem qvas *Salmero, Maldonatus, Contzen*, aliiqve paulò ante citati objiciunt, qvas propter *Eccleſia* vox Matth. XVIII nullos Laicos complecti poſſit, invalidæ ſunt. Qvod enim attinet primam, de ineptitudine naturali ad judicium ferendum, certè ad cognoſcendum de *qvotidianis & mutuis offenſis fratrum*, ad qvos plæriqve etiam horum Interpretum, ut *Contzen* & *Maldonatus* Diſpoſitionem hanc Chriſti, *Matth. XVIII.* reſtringunt, etiam *viliſſimi ex plebe Chriſtianâ*, ἐξουθενημένοι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, pronunciantur *idonei* voce Apoſtolicâ, & tantum non conſtituuntur Judices, *I. Cor. VI, 4.* ad hæc βιωτικά terminanda.

338 Qvin etiam judicium de *erroribus in fide & moribus* adſcribitur omnibus in Eccleſia, etiam diſtinctè ſumptis à Præſidibus, à Paſtoribus, & ab iis, qvi ſingulari dono miraculorum gaudent, *I. Cor. XIV, 24: Si conveniat Univerſa Eccleſia in Unum, omnes autem prophetent, & intret qvis infidelis aut Idiota; convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus: Atq; ita occulta cordis ejus manifeſta fiunt, & cadens in faciem adorabit Deum, confitens & pronuncians qvod Deus verè ſit in Vobis, &c.* Qvanqvam enim univerſalem illam, *omnes*, à qvibus Idiota dijudicatur, exponamus de ſingulis ſucceſſivè Prophetantibus, ſive Scripturas exponentibus populari lingvâ, ut *Ambroſiaſter, Lyra* & plæriqve exponunt; fatendum eſt tamen, Idiotam *dijudicandum* dici *ab omnibus iis, in qvibus fatetur habitare Deum*; Qvod Deus verè ſit in Vobis, &c. At illi non erant ſoli Prophetantes, ſed Prophetantibus annuentes, eorumqve expoſitionem tacito ſuffragio approbantes. Ergo omnes judicant, *tacitis ſaltem ſuffragiis*.

339 Par ratio & conditio eſt *Facultatis punitivæ*, ſive ad excommunicandum fratrem incorrigibilem. Qvanqvam enim ſinguli de plebe non habeant judicium discuſſivum, neqve locum ferendi ſententiam expreſsè & poſitivè: Neqve cum illis faciam, qvi *omnem juriſdictionem* radicaliter, habitualiter & formaliter *inſidere* putant *communitati collectivè* in ſe ipſa: ſed diſtinctivè à Mo-

Monarchia, Ariſtocrat. & Democratia: ſūptæ: ſive *generi ſingulorū collectivè ſumpto*, (neqve enim credo, pedes unqvam concurriſſe cum capite ad jurisdictionem, ad Directorium in corpus) ſed concedam: jurisdictionem cenſitivam, ſive cenſuras Eccleſiaſticas exerceri per Eccleſiam repræſentativam; Apoſtolus tamen omnibus & ſingulis Corinthiis *vocatis ad communionem Evangelii, & invocantibus nomen JESU* ſcribens, *I. Cor. I, 2.* profitetur Cap. V, 4: *Se excommunicare inceſtuoſum juncto ſuo & Corinthiorum*, ad qvos ſcribebat, *Spiritu*. Profitetur Cap. II, 10. poſterioris Epiſtolæ, ad *Corinthios & omnes fideles in Achaiá* ſcriptæ, ſe rurſus abſolvere hunc inceſtuoſum & *condonare ei, qvem Corinthii abſolverint, & cui qvicqvam condonent Corinthii.*

Unde apparet, etiam tacitum plebis ſuffragium, qvod fert de cenſuris Eccleſiæ repræſentativæ, non ferri citra omnem cognitionem, aut ſine omni judicio de re qvæſita. Saltem hoc apparet: non eſſe arcendam plebem à notitia rerum, qvæ ab Eccleſia repręſentativa aguntur, per univerſale qvoddam interdictum. Qvod præcipuum eſt, Romanenſes inter & nos controverſum. 340

Ad rem: Propoſitio noſtra eſt negativa, nempe: *Vocem Eccleſiæ, Matth. XVIII.* ad qvam remittuntur fratres diſſidentes, provocaturi à duorum vel Trium judicio ad judicium ſuperius, ex *mente Chriſti, & Doctorum Eccleſiæ ſex priorum à Chriſto ſeculorum, non ſignificare Unum hominem*, minimè gentium autem unum & ſolum Romanum Epiſcopum. Modernorum autem Romanenſium ſtratagema ex πανȣϱγία ſolenni procedit, ut plenis buccis vociferētur: *Eccleſia, Eccleſia eſt judex*; at verò qvando foro ſiſtendi ſumus, ſiſtimur uni illi filio perditionis, qvi ſepticolli Romæ inſidet, ut ex progreſſu *Colloqvii Ratisbonenſis, Bellarmini, Coſteri, Becani, Huntlei*, aliorumqve compendiis ad oculum patet. Poſtqvam enim magno conatu judicium de controverſiis fidei & morum *Eccleſiæ* aſſeruiſſe viſi ſunt; vim, curam, nervum ac poteſtatem tandem omnem, & privativè qvidem *ad ſolum Romanum Epiſcopum* transferunt, de qvo aliàs.

V Qvæ-

Digitized by Google

341 Qværitur autem ſecundo: *Annon liceat tertium gradum correptionis*, ſive denunciationem ad Eccleſiam planè omittere: & cōdonare fratri hāc tertiam correptionem, etiamſi ad primos duos gradus peccatum neqve confeſſus nec deprecatus fuerit? Ratio dubitandi oritur ex dicto illo Chriſti, *Matth.V,39. 44: Nolite reſiſtere malo; Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qvi oderunt vos, &c.* Ex conditionibus autē reqviſitis apparet: Reqviri omninò ab eo qvi injuriā intulit, ſi judici denunciari nolit, aut ſi Læſus nolit denunciare; ut emendationem ſuam ſigno etiam externo teſtetur: *Luc.XVII,3.4: Si pœnitentiam egerit, dimitte illi: Et ſi ſepties in die converſus fuerit ad TE, dicens: Pœnitet me, &c.* Reſpondeo igitur: Si delictum fuerit occultum, & correptum puduerit in ſecunda correptione, coram teſtibus id confiteri; confiteatur autem id poſteà aut ſeorſim fratri Læſo; aut Læſus alias prudenter judicare poſſit, dolere lædentem de reatu, & carere propoſito iterandi vel continuandi; tunc poſſe omitti denunciationem. Ratio eſt, qvia finis præcepti Chriſti, qvi eſt lucrum activum fratris læſi, qvod lucratus ſit animam peccatricem; & lucrum paſſivum fratris, qvi agnoſcens peccatum, habetur pro jam acqviſito, hoc modo obtinetur. Scandalum autem teſtium pro ſecundo gradu correptionis adhibitorum, opinantium fortè qvaſi frater adhuc perſeveret in peccato: tolli poteſt & debet per fratrem remittentem, ſignificando, ſe jam lucratum eſſe fratrem, etiā præſentibus illis tergiverſatum.

An liceat non denunciare fratrem incorrigibilem.

342 Hoc intuitu commendatur *Joſephi, ſponſi B. Virginis pietas, Matth.I,19: qvod noluerit diffamare eam*, ob lapſum, vel etiam caſum adhuc occultum. Neqve enim putandum eſt, laudandum fuiſſe facinus tanqvam juſtum, ſi ſponſus ſponſam, citra omnem correptionem, in peccato mortali deſeruiſſet, niſi pro comperto haberet, eam vel pœnituiſſe peccati, ſi peccato facta fuiſſet obnoxia; vel certè vi, fraude imprægnatam, & extra ſtatum peccati mortalis jam eſſe. Neqve confutatione, *ſed frigido Salmeronis acumine*, etiam in Tridentino Concilio laudato ap. *Svavem lib. VI.* & Brigittæ ſomniis dignæ ſunt næniæ, qvas *Tredecim* granis de Roſario

Salmeronis ſpiſſum acumen.

rio illuſtratas pingit *Salmeron Tom.III.Tract.XXX: Qvaſi ante Revelationem ab Angelo factam,* qvæ tamen propoſito deſerendi ſponſam, qvod animo volvebat Joſeph, tanqvam remedium ordine conſeqvens poſtponitur, ex aliâ qvâdam non ſcripta, ſive *traditione* ſive *revelatione*, myſterium incarnationis & conceptionis ex Spiritu Sancto jam reſciverit Joſephus, adeoqve *ex verecundia, tanqvam non ſuſtinens faciem tàm Sanctæ Virginis*, proripere ſe voluerit, uti Petrus è navi ſe proripiebat, Joh. XXI, 7. Paſcant Jeſuitæ ſiliqvis iſtis porcos ſuos.

Auguſtinus certè, qvando de gradibus correptionis fraternæ ex profeſſo agit, in expoſitione illius præcepti Dominici ex *Matth. XVIII. Serm. XVI.* factum Joſephi commendavit, eo fermè, qvem indicavi, reſpectu: *Si ſolus*, inqvit, *noſti, qvia aliqvis peccavit in TE, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor ſed proditor. Attende, qvemadmodum vir juſtus Joſeph, tanto flagitio, qvod de uxore fuerat ſuſpicatus, pepercit? anteqvam ſciret, unde illa conceperat: qvia gravidam ſenſerat, & ſe ad illam non acceſſiſſe noverat. Reſtabat itaqve CERTA adulterii ſuſpicio, & tamen qvia ipſe ſolus ſenſerat, ſolus ipſe ſciebat, Qvid de illo ait Evangelium? Joſeph autem cùm eſſet vir juſtus, & nollet eam divulgare, &c. mariti dolor non vindictam qværſivit: Voluit prodeſſe peccanti, non punire peccantem.* Eandem doctrinam 343
perſeqvitur *Epiſt. LIII. ad Macedonium* Præſidem: *Joſeph cum virginem NIHIL ALIUD qvàm adulteram credidiſſet, &c.* Ita *Ambroſius l. II.* in Lucam: *Pulchrè docuit* (ait) *Sanctus Evangeliſta Matthæus, qvid facere debeat juſtus, qvi probrum conjugis deprehenderit: ut incruentum ab homicidio, caſtum ab adulterio præſtare ſe debeat:* Fatentur *Abulenſis, Cajetanus, Faber Stapulenſis*, h.l. *Didacus Stella* in Luc. I. *Eman. Saa, Janſenius Cap. 7. Concordiæ*, *Eſtius*, *Novarinus*, alii: *Joſephum de pudicitiâ Sponſæ ſuæ dubitaſſe: de adulterio eam ſuſpectã habuiſſe, & Deum permiſiſſe hanc fluctuationem, ut Angelicæ confirmationi locus eſſet.* Et fatentur ipſi Mariolatræ, *Salmeron & Cornelius:* Etiam priſcæ Eccleſiæ Doctores, *Juſtinum contra Tryphonem*, *Euſebium 3. de præparat. Evangel.* Hilar. *Comment. l. in Mattheum, Chryſoſtomum & Theophylactum*: Etiam *Hieronymum*, qvod ad ignoran-

V 2 tiam

tiam Joſephi,& dubitationem de caſtitate attinet, *ita hunc textum intellexiſſe.* Suſpicionem autem de adulterio etiam *Maldonatus, Barradas, & Tirinus* confitentur. Maldonatus: *Interpretatio de verecundia Joſephi non convenit huic loco.* Barradas T.I. lib.VIII, c.5: *Libentiſſimè* (inqvit) *huic ſententiæ ſubſcriberem, ſi cum Evangeliſtæ verbis rectè cohæreret; At ex illis, ſi rectâ expendantur trutinâ, apparet, Joſephum ante Angeli apparitionem planè ignoraſſe, D. Virginem divinitus ex Spiritu Sancto concepiſſe, &c. Dicendum ergo eſt, Joſephum conceptus ex Spiritu Sancto ignarum fuiſſe, & ex uteri tumore mali aliqvid de Virgine exiſtimaſſe:* Tirinus: *Non potuit minus ſuſpicari, qvàm vi compreſſam ab aliqvo fuiſſe, ſine ſua culpa.* Salmeronis nugas ordine confutavit *Spanhemius Dub.XXXI.*

344 Neqve repugnat huic libertati omittendi denunciationem privatorum delictorum, ſi etiam poſt admonitionem per Teſtes iteratam, ulla ſpes emendationis ſuperſit, obteſtatio *Siracbidis IV, 31: Ne verecunderis confiteri peccata tua, &c.* aut præceptum *Jacobi V: Confitemini alter alteri peccata veſtra,* & ſimilia dicta. Agunt enim hæc teſtimonia de debito lædentis, non læſi. Non exſpirat autem obligatio fratris lædentis, ob longanimitatem læſi; ſed aggravatur potius per patientiam & moram, uti *Dei invitantis nos longaminitate ſuâ ad pœnitentiam, Rom.II.* Ita etiam fratris noſtri. Neq; etiã valet cõſeqventia, ab obligatione cõfitendi ſacerdoti, ad obligationem confitendi teſtibꝰ à fratre corripiente introductis. Præterqvam, qvod obligatio reſpondendi ſacerdoti ad ſingula interrogata, æqve dubia eſt, atqve facultas interrogandi de occultis delictis. At nunc non agitur de obligatione Rei, ſed de libera facultate fratris læſi.

345 *Qvæſt.3. An emendatus poſſit denunciari Eccleſiæ.*

Qværitur Tertio; An eum, qvi ad primam vel ſecundam correptionem jam emendatus eſt, metu recidivæ, ad præſervationem ab ea, denunciare poſſim Eccleſiæ? Conſentiunt Romanæ partis Caſiſtæ, qvos legi, omnes: *poſſe denunciari.* Qvorum ſententiæ legi poſſunt apud *Valentiam puncto V. Filiucium n.157. Bonacinam n.17. Malderum Dub.4. Ariagam* n. 116. ſeqq. Aliqvi Jeſuitæ addunt, *debere denunciari,* etiam occultum peccatorem, eumqve jam emendatum, & invitum, qvi neqve renunciaverit gradibus pri-

prioribus à Chriſto inſtitutis, per reſignationem juris ſui ad famam retinendam, ut *Dominicani, Franciſcani & Jeſuitæ* reſignant; neqve etiam conſentiat, ut Prælato denuncietur: *Hunc tamen cogi poſſe per Conſtitutionem qvandam generalem*, ut patiatur ſe denunciari propter ſpem denunciantis de majore profectu ſpirituali, & ad præſervationem efficaciorem à recidivâ, ſi etiam occultum peccatum & jam emendatum denuncietur Prælato. Confirmant id exemplo ſui ordinis, i: Jeſuitici: Cujus inſtituti vi, *peccata etiam dudum dimiſſa, & totus vitæ curriculus inde ab infantia recenſendus ſit Confeſſario, & ſexto qvovis menſe generalis totius vitæ confeſſio repetenda, qvod Graduati ſingulis annis teneantur facere.* Ita Fr. *Amicus n. 106.107. ſeqq.* Qvod *Bannes* tamen *Art. 8. dub. 2. ad 6.* Valentia *puncto 5. §. Etſi autem.* aliiqve etſi rigoroſi, negant: Et *ad Conſtitutionem Ordinis* ſui reſpondet, *eã nõ obligare invitos*, ſed eos, qvi juri famæ ſuæ jã renũciaverint. Eſſe igitur fictionẽ juris adhuc reſidui.

Licentiæ autem denunciandi peccatum occultum jam emendatum, ad recidivam præcavendam, addunt conditionem, ſi frater exiſtat in periculo probabili recidivæ, ut: ſi notabiliter negligens ſit in præcavendis prioris peccati occaſionibus. Æqvior tamen & hic *Malderus* eſt, *reſp. 1. ad 4: Propter commune periculum recidivæ* (inqvit) *non licet fratrem jam emendatum, & notabiliter nõ deficientem in vitandis relapſûs occaſionibus, moleſtiâ ulterioris correptionis aut denunciationis afficere.* 346

Ampliat hanc conditionem reſp. 2: *Qvando*, inqvit, *frater jã per tuam admonitionem, aut etiam ſpontaneâ pœnitentiâ correctus, notabiliter deficit in vitandis ejusdem peccati occaſionibus, poterit* (addo: debet) *per te privatim moneri, non tamen Teſtibus aperiri; multò minꝰ Prælato, niſi aliter non ſperes emendandum.* Ratio in promptu eſt: Qvia ſi ſpernit fratrem dehortantem ab occaſionibꝰ relabendi in priſtinum peccatum, habetur pro incorrigibili, qvoad effectum primi gradus admonitionis; Et, qvia mali præbet ſpeciem, verſaturq; in proxima potentia peccandi, etſi actum completum peccati oſtendere nondum poſſim, denunciandus tamen eſt ſecundo loco teſtibus, & Tertio, (ſi illo nihil proficitur) ad Eccleſiam deferendus, ut ſupra demonſtratum. 347

Exem-

Digitized by Google

Exempli gratiâ: Si qvis revocatum â fornice meretriciâ, â tabernâ luſoria, vinaria, â ſocietate furum & ardelionum, &c. videat hiſce cætibus iterum implicari; non poteſt non præſumere de periculo recidivæ; Itaqve, ſicut tenetur repetere ex Lege Chriſti gradus priorum admonitionum toties, qvoties contingit fratrem ipſo facto relabi, ſive ſepties, ſive ſeptuagies ſepties contingat; Ita tenetur eâdem Lege Chriſti, per eosdem gradus impedire proximam relabendi potentiam, non obſtante, qvod præſumit, aut præſumi poteſt: Eccleſiam vel Prælatum poſſe efficacius & majore cum fructu dehortari relapſurum. Qvia etiam fratri qvasdam partes in hoc officio tribuere: etiam fratri corripienti qvoddam lucrum hîc qværere voluit Chriſtus. Et, qvemadmodũ non licet differre eleemoſynam corporalem ideò, qvod me ſecuturus videtur qvidam opulentior, qvi mendico grandiorem eleemoſynam daturus præſumitur; ſed qvisq; tenetur pro neceſſitate & facultate præſenti ſubvenire indigentiæ; Ita & hîc ſe res habet. Itaqve qvandiu nulla vehemens præſumptio obſtat de fruſtra repetenda privatâ admonitione, non licet, omiſſis duob9 gradibus privatæ admonitionis, illico proſilire ad tertium: Si autem violentæ præſumptiones fidem faciant, de non profuturis duob9 illis gradibus, tunc licebit progredi ad denunciationem Prælato faciendam, non ob indifferentiam omiſſionis & adhibitionis, neqve ob conceſſam facultatem omittendi vel adhibendi priores gradus, ſed ob præſumptam inobedientiam relapſuri fratris, præſertim ſi in mora forte periculum fuerit, ut relapſus ipſo facto ſeqvatur, anteqvam admonitionum priores gradus applicentur. Tunc enim (ut dixi) habetur pro incorrigibili, qvantum ad effectum duorum priorum graduum attinet. Mortale autem peccatum qvovis modo ex his tribus â Chriſto præſcriptis; tenetur qvisqve privatus impedire.

349 *Relabendi periculum qvâdo credatur ſubeſſe.*

Atqve in his & ſimilibus caſibus *de periculo relabendi*, ut judicari poſſit; an proximum, an verò remotum, adeoqve extremum & graviſſimum periculum adſit? & conſeq. An omiſſis privatis admonitionibus, illico deferre relapſurum poſſim? Utilis

lis eſt obſervatio *Filliucii*, Tract. X. p. 2. n. 69. & *Bonacina* hic n. 17: *Eum, qvi exiſtit inter ordinaria inſtrumenta peccatorum, loco, tempore, ſocietate, ubi peccari ſolet; exiſtere in ſtatu peccati, & præſumi relapſurum: ideoq; non ſolùm licitè ſed etiam ex debito monendum, & niſi illico mutet illum ſtatum, ſocietatem, & occaſionem peccandi, haberi poſſe pro incorrigibili*, qvantum ad effectum privatarum admonitionum attinet, indicandumqve ſuperiori, ut ex præſenti periculo peccati mortalis eripiatur.

Sic in ſimili, *de non abſolvendo concubinario*, retinente domi, aut in vicinia, ubi facilis eſt relapſus, concubinam ſuam, anteqvam probabiles relabendi occaſiones excluſerit, conſentiunt Orthodoxi & Pontificii, apud *Dedekennum* Volum. III. Conſil. Theol. fol. 50. ſeqq. & in *Appendice*, parte I. fol. 161. *Azorium* Inſtit. Moral. parte III. l. III. Cap 5. *Sairum* in Clavi Regia lib. VIII. Cap. 2. n. 9. Sed non aſſentiuntur Orthodoxi limitationibus, exceptionibus & clauſulis derogatoriis recentiorum Criminipendarum: *Regulariter qvidem iſta valere, ut occaſio loci, temporis & inſtrumenta ſolennia ad peccandum, &c.* removeantur; Veruntamen, ſi v. gr. *concubina ſine gravi infamia aut incommodo domeſtico, aut ſcandalo proximorum dimitti non poſſit, & occaſio relabendi non ſit directè volita, ſed cauſalis tantùm: Aut ſi rarò, ut ter vel qvater in anno, repentinâ libidine correptus recidivam patiatur concubinarius, ſperet tamen, ſe ulteriorem relapſum evitaturum: Vel, ſi in Articulo mortis aut gravi morbo, non poſſit extemplò, aut commode dimittere, promittat tamen ſe dimiſſurum, ſi convaleſcat; Vel, ſi non ſit ſui juris, ut filius familias, miniſter, &c. per qvem non ſtet dimittere ancillam vel aliam cum qva peccare ſolet: Vel, ſi ex nimiâ caloris & ſangvinis copia ſæpè committat pollutionem: Vel tametſi ſit ſui juris, ut: ſi* Herus alat domi ſuæ ſervû aut famulam fornicantes, Domino autem utilia ſervitia præſtantes, *non teneri Dominum ad tollendam peccandi occaſionem, hos ſeparare cum damno ſuo:* Vel: Si Mercator aut opifex aſſvetus fraudare vel decipere alios in mercatura aut arte ſuâ, accuſet ſe qvidem in confesſione, at non posſit tamẽ deſerere illas fraudes absqve notabili ſuo vel familiæ incommodo, &c. *Has cauſas haben-* 350

Cavillationes recentium Caſiſt. de occaſionibus peccandi.

das

das eſſe pro rationabilibus, propter qvas non poſſit peccans abſtinere à fraudibus illis, non dimittere concubinam, famulam, &c. Igitur his non obſtantibus, omnes ejusmodi peccatores debere abſolvi, *dummodo eliciant dolorem de commiſſis, & habeant firmum propoſitum non committendi amplius: etiamſi moraliter ſciant, ſtantibus & durantibus illis occaſionibus, non poſſe ſe non relabi.* apud *Bonacinam* Tom. I. Moral. Qvæſt. IV. de matrim. puncto XIV. Propoſit. 2. *Coninck* diſp. VIII. de Sacram. pœnit. Dub. 17.

351 *Caſtro Palao* autem Tom. I. Tract. VI. Diſp. 3. puncto 7. n. 8. *Villalobon*, oppoſitum tenentem ſic etiam redarguit: *Qvod verò dicit Villalobos, debere Dominum à ſuo ſervitio famulum expellere, ſi videat, domi occaſionem habere peccandi: laudo ſi faciat: Obligationem autem non agnoſco, præcipuè, ſi Domino utilis ſit famulus. Qvia non tenetur occaſionem peccatorum cum ſuo damno removere. Et ita tenet Arragonius 22. q. 33. art. 3 ad finem.* Qvin etiam *Navarrus* Regulam proponit Enchirid. Cap. III. n. 15. qvem ſeqvuntur *Filliucis* Tract. L. Caſu X. n. 16. & alii, conſiſtentem ex 4. conditionibus non conſiſtentibus. *Abſolvendum eſſe peccatorem dolentem de præſenti*, etiamſi non relinqvat ſive deſerat occaſiones peccandi, ſub his IV. conditionibus. (1) *ut doleat de hoc peccato.* (2) *ut habeat firmum propoſitum non iterandi peccatum.* (3) *ut credulitatem habeat, ſe poſſe cum auxilio DEI non peccare, etiamſi hæc vel illa occaſio peccandi recurrat aut continuet.* (4) *Si rationabilem cauſam habeat non ſeparandi ſe ab ea occaſione.* *Hæc doctrina*, inqvit Bonacina n. 17. *coincidit cum noſtris Principiis, & eſt vera, per ſe loqvendo.*

352 *Refellitur Bonacina.* Dico eſſe falſam *per ſe loqvendo.* Falſum (1) qvòd ſerius & ſalutaris dolor conſiſtat cum voluntaria & ordinaria occaſione relabendi. Serius enim dolor, non eſt ſolus ſenſus & nauſea turpitudinis, ſed etiam deteſtatio & averſatio. Deteſtatio autem & averſatio non conſiſtit cum propoſito & decreto conſervandi cauſas illas, qvæ per ſe & ordinariè generant rem deteſtabilem. Namqve & beſtiæ corpore illud deſerunt, qvod averſantur. Salutaris dolor ſemper conjunctam habet deſertionem non ſolùm facti, ſed etiam propoſiti. Non poteſt autem dici deſeruiſſe propo-

Digitized by Google

poſitum peccandi,qvi datâ operâ cõſervat cauſas ſine qvibus non, & cauſas phyſicè ac moraliter inducentes ad iterationem peccati. (2) Hoc propoſitum non eſt *firmum*,qvod infirmatur per aliud propoſitum,conſervandi ſcil. cauſas proximè diſponentes ad oppoſitum.(3) Credulitas de præſentia & cooperatione auxilii divini,non conſiſtit cũ tentationeDei,qvalis tẽtatio committitur per conſervationem & fomentationẽ cauſarũ proximè diſponentiũ ad peccandum,ut patet exemplo *Simſonis*,cõfiſi ſe manibus hoſtium usqveqvaqve elapſurum,etiam retentâDelilâ, Judicum XVI. vers. 20. Qvalem opinionem Salvatori noſtro conabatur perſvadere Diabolus,*ut de pinna templi ſe demitteret cum auxilio divino.* AtChriſtus oſtendebat,fiduciam de auxilio divino non ſtare cum proæreſi & executione facti illiciti,Matth.IV,6.7. Deniqve (4) Rationabiles illæ cauſæ non dimittendi occaſiones peccandi, ſunt latibulum omnis doli,& neqvitiæ,atqve impietatis inDeum & homines: præſertim qvando ſententia de idonea ratione cauſarum ſuſpenditur à judicio ineſcati & excœcati peccatoris, non à judicio aliorum rectius ſentientium. Qvis enim avarorum inſtitorum non ſentiet,ægerrimè ſibi fieri,ſi famulum Veteratorem & qvadruplatorem dimiſerit.Eadẽ ratio erit de concubinario,&c.

Annon verò eſt res præcepti: *Abſtinete Vos ab omni ſpecie mali,1.Theſſ V,22.* 353
Qvid autem probabiliorem mali ſpeciem præ ſe fert,qvàm conſervatio & fomentatio cauſæ proximè ad peccandum diſpoſitæ? externæ præſertim,& qvæ incurrit in ſenſus aliorum: ut occaſio,locus,tempus,ſocius peccandi? Annon habet vim præcepti,*Pſ.XXXIV*: *Declina à malo & fac bonum*: Si oppoſitum mali faciendum eſt; qvis neget, Deſtructionem occaſionis & mediorum peccandi,eſſe in præcepto: *B.Auguſtinus* ad h.l. *Parum eſt*,inqvit,*ut non exſpolies veſtitum,veſti nudum,&c. Ergo ſic declina à malo,ut facias bonum.* Tertull. I. ad Uxorem 3: *Declinat à malo,qvi non facit qvod obeſt.* At facit qvod obeſt, qvi peccandi occaſiones conſervat & freqventat. Annon *Joſephus* Potipharis miniſter,ſi qvisqvam alius,omnibus iſtis exceptionibus & limi-

X ta-

Digitized by Google

tationibus uti poterat, *ne vitaret conſvetudinem cum herâ ſuâ? Gen. XXXIX.* Annon prætexere poterant *Iſraelitæ, manumiſſuri ſervos ſuos*, eosqve paulò poſt manucapientes, & ad priſtina mancipia cogentes, iſta omnia & ſingula, qvæ Caſiſtæ excipiunt? *Jer. XXXIV.* Annon *decumbentes in Idoléis Gentilium, I. Cor. X, 14.* idem poterant excipere? qvibus tamen Apoſtolus: *Fugite*, ait, *idololatriam*, etiam corpore. Annon clementiæ & compaſſionis ſignificatio erat, ſi *David uxores ſuas vitiatas ab Abſolone*, recepiſſet in domum ſuam? *II. Sam. XX, 3.* At noluit, ne cuiqvam inceſtus ſuſpicionem moveret. Legantur *Theodoreti, Gregorii M. Abulenſis, Lyræ, Cajetani, Sanctii, Cornelii, Mendozæ* Commentarii in h. l.

354 *Vitare peccandi occaſiones pertinet ad veram pœnitentiam.*

At verò ſordent Delicatulis noſtris etiam prædeceſſorum ſuorum cautelæ, qvæ *occaſionis exciſionem* retulerunt *ad tertiam partem pœnitentiæ*, nempe ad integritatem *Satisfactionis*, ut *Magiſter in IV. Sent. Diſt. 15. §. 3.* ex Auguſtino: Non ſatisfeciſſe, qvi opera digna pœnitentiâ non fecit: *Non feciſſe autem opera digna pœnitentiâ, qvi peccatorum cauſas non excidit, qvi ſuggeſtionibus earum aditum indulſit.* Sordent, qvæ *Gerſon in opere Tripartito de præceptis Decalogi* definivit: *Peccatorum*, inqvit, *occaſiones vitare non volens, non eſt in ſtatu ſalutis.* Et *in Opuſc. de Confeſſione*, agens de peccato luxuriæ: *Peccat, qvi luxuriæ occaſiones non fugit.* Inter occaſiones proximas autem, non remotas luxuriæ recenſet *Sympoſia & cœnas ſplendidas*: juxta illud Jerem. VI: *Saturavi eos & mœchati ſunt.*

355 Sordet, qvod idem *Gerſon in ſermone de pœnitentiâ*, ſcriptum reliqvit: *Non cenſentur contriti, qvi manifeſtas peccandi occaſiones nō declinant.* Qvæ verò manifeſtior occaſio eſt peccandi, qvàm retinere concubinam domi ſuæ? &c. Conferantur *Sylveſter, Angelus, & Altenſtaig. Vo. Occaſio.*

356 Infero a. cōtra Caſiſtas: *Qvæ occaſio peccādi retenta & fota, non impedit abſolutionem Sacramentalem, ea Prælato etiam denuncianda non eſt*; Jam enim conſtat Prælato de iſta occaſione, & ille tamen verſantem in tali occaſione abſolvit: Ideoqve excepturus erat Denunciantem, tanqvam cavillatorem & calumniatorem ſacri officii: *At retentio Concubinæ in domo & poteſtate ſuâ, qvotidiana conver-*

verſatio in loco infami & cum ſociis notorie flagitioſis, ex Caſiſtarum doctrina paulò ante allegata, *non impedit abſolutionem Sacramentalem.* Ergo *nec Prælato debet denunciari.*

Qvicqvid igitur de cura erga animam proximi declamitent Caſiſtæ: Animæ curam ſummo cum fervore ſuſcipiendam eſſe, usqve adeo, ut ſpe majoris boni, etiam præceptū Chriſti de gradib9 correptionis poſthabendum ſit, meræ præſtigiæ ſunt. Notoriis n. peccatorib9 nō ſolùm ipſi abſolutionē Sacerdotalē largiūtur, ſed flagitiorum etiam cauſas proximas excuſant, ut ex dictis patuit.

Qværitur Qartò: *Utrum pro ſecundo gradu admonitionis, Prælatus Eccleſiam repræſentans, adhiberi poſſit tanqvam teſtis, majoris efficaciæ cauſa?* Communior doctrina Pontificiorum eſt, *Poſſe*; ſuffragantes vide apud *Malderum dub. 2. Et Thomas* ipſe hâc diſtinctione uſus eſt, ad explicandam ſuppoſititiam qvandam *regulam Auguſtini l. d. Art. 8. ad 4.* Neqve ipſe omninò inficior, poſſe Paſtorem exercendis gradibus admonitionum adhiberi, tanqvam privatum, qvando præter eum alii ſunt, qvi judicis officium ordinariè exercent: At in Papatu, ubi Prælatus non membrum aliqvod particularis Eccleſiæ judicantis eſt, ſed monarchicè tantùm Eccleſiam repræſentat, nego hoc convenire ut fiat; Qvia is, qvi repræſentat Eccleſiam, ex regula Chriſti debet reſervari tertio gradui, atqve ita eſſe comparatus, *ut excommunicatione punire poſſit* inobedientem, qvod tanqvam privatus non poteſt. Igitur in fraudem legis hoc εὕρημα componitur, & ad compendium ſecundi gradûs à Chriſto præſcripti faciendum, qvando Eccleſia privatur judiciali autoritate, & *judicialis autoritas transmutatur in officium teſtis.* 357

4. Qu. An Eccleſia pro Teſte poſſit adhiberi?

358 Accedit, qvod fratri peccanti, qvi prius per teſtes privatos moneri debebat, acceleratur confuſio, ante ſpacium à Chriſto Domino definitum. Qvanqvam enim per fictionem formæ accidentalis, *fingatur Eccleſia non reſcire peccatum fratris, tanqvam judex,* ſed tanqvam privatus; qvum tamen ex notoria conditione Eccleſiæ, majorem reverentiam ei habeat peccans, qvàm privatis fratribus; conſeqvens eſt, ut erubeſcentiæ intenſio major ſit co-

Digitized by Google

coram Eccleſia corripiente, qvàm coram duobus privatis corripientibus.

359 Præterea, privantur etiam privati teſtes encomio & præmio converſi fratris, de qvo *Jacobi V, ult.* & qvod Chriſtus Matt. XVIII illis aſſignavit. Et, qvod præcipuum eſt, *Sapientia juſtificatur à filiis ſuis:* Fingitur enim id eſſe magis ſalubre, qvod Magiſtelli noſtri comminiſcuntur, qvàm qvod *Patris Sapientia* præſcripſit. Rectius ergo *Bonacina Dub. 3. n. 10.* reſolvit: *Reſpondeo* (inqvit) *negativè per ſe loqvendo, qvia ſine cauſa non eſt recedendum ab ordine præſcripto in Evangelio: Et qvia delinqvens magis ægrè ferre conſvevit, ſuum crimen aperiri ſuperiori, qvàm aliis hominibus inferioris conditionis.* Contrarium hîc tenent *Malderus* d. q. 33. Art. 8. dub. *Filliucius* l. cit. n. 159. *Sylveſter, Soto, Graffius, Becanus 22. cap. 21. n. 30.* & plæriqve alii.

Qvæſt. 5. An differat denunciare Eccleſiæ ut Patri, & ut judici ex intentione Denunciantis.

360 Qvinto qværitur: An, qvandocunqve ſive pro primo, ſive pro ſecundo gradu admonitionis compendifaciendo, denunciatio fit Eccleſiæ, vel Prælato repræſentanti Eccleſiam, *facienda ea ſit tanqvam Judici, vel tanqvam Patri? Durandus* multum præſidii ponit in hac diſtinctione *ad IV. Sent. Diſt. 19. q. 4.* Atqve hinc natum eſt diſcrimen ſolenne Scholaſticis, inter *Denunciationem juridicam, & Evangelicam:* nec non inter fines utriusqve denunciationis; qvaſi Evangelica denunciatio pro fine habeat ſolum particulare bonum fratris, Juridica autem bonum univerſale, i: honeſtatem publicam, averruncationem ſcandalorum, immunitatem à peccatis participationis, & conſeqventibus ſuppliciis. De qvo diſcrimine non ſolùm apud Commentatores Magiſtri, & Thomæ *in Diſt. 19. Qvarti Sent. & q. 33. 2. 2.* Sed etiam apud Summiſtas, *Angelum, Sylveſtrum, Cajetanum, Altenſtaig, Saa,* plura licebit legere.

361 At ex Chriſti & Moſis regula, qvam illi *Evangelicam* vocant, uterqve reſpectus in Eccleſia, & uterq; finis in Denunciante concurrunt. Et tanqvam matri, & tanqvam judici fit denunciatio Eccleſiæ, in qva & dilectio & poteſtas patria concurrunt. Etiam *Apoſtolus, qvando cum virga venit,* tanqvam *Pater* venit, *I. Cor. IV, 15. 21.* Etiam Eccleſia qvando ſive corripit, ſive punit immorigeros,

cor-

Digitized by Google

corripit & punit eos *ut fratres*. Hunc enim reſpectum ſervandum eſſe, adjecit Apoſtolus *II.Theſſal.III,15*. Et, qvi fratrem, prioribus admonitionum gradibus non correctum, Eccleſiæ denunciat, denunciat eum non ſolùm ob bonum ſuum particulare, ut fratris, ſed etiam *ut reatus à tota communitate auferatur*, qvi finis additur *Levit.XIX,16. I.Cor.V,6.7.13. III.Theſſal.III,14.*

Deniqve non conveniunt Caſiſtæ, qvo indicio ſive denũciantem id oporteat declarare, ſive Eccleſiam id dignoſcere: An ut Matri (Prælato repræſentanti Eccleſiam, ut Patri) an verò ut Judici fiat denunciatio? Plæriqve ajunt, *ſi absq; addita petitione vindictæ aut ſatisfactionis denuncietur, præſumendum eſſe, qvòd ut Patri facta fuerit denunciatio*; Et Prælatum poſſe hoc ſupplere, etiamſi ex Denunciantis verbis non conſtet. Qvæ iterum mera cavillatio eſt. Per hanc enim poteſtatem ſupplendi intentionem Denunciantis, Prælatus poterit pro affectu ſuo denunciatum punire vel non punire pro merito, ut exſeq. Qvæſt. patebit. 362

Sexto qværitur: *An Eccleſia vel Prælatus, ex notitia qvam acqviſivit de peccato fratris, tanqvam teſtis vel etiam pater*, id eſt, qvam habet ex denunciatione Evangelica, ut loqvuntur, *posſit procedere ad puniendum, ad incarcerandum, ad excommunicandum ſic delatum?* Hac fini, ut ſupra indigitavi, conficti ſunt illi diverſi reſpectus, inter Prælatum, ut judicem, & ut patrem aut teſtem, ut impunitati reorum aſylum qværeretur. Negat enim *Sotus membro ſecundo q.4. de tegendo ſecreto negãt.* Navarrus aliiqve apud *Valentiam* l.citato. p.5.§.8. *Bannes* ad Art.8. Dub.4. prolixè per concluſiones ſex. *Fillincius* n 161. ſeqq. & alii communiter; *poſſe Prælatum pœna juris, id eſt, ordinaria procedere adverſus eum, qvi denunciatus eſt Prælato ſive Eccleſiæ, tanqvam Patri aut teſti.* Itaqve correi & complices delicti, vel etiam fraterculi conſcii alienorum delictorum, nunqvam adhibent Teſtes; ſed miſſis Teſtibus illico denunciant peccatum Prælato, qvia absqve Teſtibus judicialiter contra eos procedi non poteſt, *verùm paternis & arbi-*

363 *Qvæſt 6. An poſſit puniri pœnâ juris, qvod Eccleſiæ ut matri denunciatum eſt?*

Digitized by Google

trariis tantùm cenſuris,& præcipuè ſecretis, ex qvibus flagitii qvalitas neqveat innoteſcere,ut Filiucius addit,*corriguntur*. Atqve hoc obſervandum ajunt in omni crimine,non nocivo toti communitati,qvale eſſet proditio civitatis,venenatio fontium, incendium civitatis,&c.

Unde evenire neceſſe eſt,ut atrociſſima flagitia in monaſteriis commiſſa,impunita per juris pœnam abeant,ne v.gr. per pœnam innoteſcat flagitium,ſi excommunicetur,aut judici ſeculari tradatur. Imò eousqve nonnulli progrediuntur apud *Bannem*
4 *l.c.Dub.V.§. De hoc dubio multi multa dicunt, &c.* ut adfirmare audeant: Ne hoc qvidem licere Prælato ſive Eccleſiæ,ut procedat judicialiter adverſus denunciatum,*qvando conſtat, denunciantem ex mera malitia,atqve ideò omiſiſſe ſecundum gradum admonitionis à Chriſto præſcriptum*,& reſtrinxiſſe denunciationem ad Prælatum, ut patrem tantùm, *ut peccantem ab ordinariâ juris pœnâ liberaret*. Neqve etiam licere Prælato ſive Eccleſiæ, *ut defectum & omiſſionem priorum graduum admonitionis ipſa ſuppleat*,id eſt, denuò moneat peccantem,&,niſi corrigatur, tunc demum judicialiter adverſus eum procedat: Non dari enim regreſſum à Tertio gradu ad inferiores; ſaltum autem per inferiores ad ſupremum licitè committi. Neqve etiam licere Prælato,ut *per inqviſitionem, aut per pœnas ordinarias,occultum delictum faciat publicum, multò minus, ut ſacrilegium committat,& Clericum Laico inqvirendum tradat*. Minimè omnium,ut delictum ex *revelatione ſigilli confeſſionis*, à confeſſore loqvaculo cognitum puniat. *Qvia majus ſcandalum, & magis perniciosum eſſet Chriſtianæ Reip.(inqvit Bannes Concl.2.)procedere ex tali ſacrilego fundamento,qvàm ex eo,qvod Reus publicè accuſatus & convictus, non puniatur.*

Et in Reſp ad 2. hoc extendit ad revelationem qvamcunqve, *qvæ facta eſt contra ordinem juris naturalis aut civilis*. Unde concludit; *id,qvod judici,ut judici ex intentione denunciantis non innotuit,ad id puniendum procedi non poſſe,niſi delictum aliàs publicè inno-*
365

tue-

tuerit, & nocivum ſit communitati. Qvaſi verò inter occulta delicta, non ſint plæraqve nociva ſolâ ſuâ commisſione, & notitia illâ qvam ſolus Deus habet, uti *infanticidia, homicidia, Sodomiæ occultæ, &c.* qvibus tota provincia reatui objicitur, *Num. XXXV, 33. Gen. XVIII. 20. Joſuæ VII, 11. 12. Jerem. V, 29. Cap. IX, 8. 9. Ezech. XXI, 3. 4.* aliisqve ſacræ ſcripturæ locis, in qvibus tota communitas dicitur participare de ſuppliciis flagitiorum etiam occultorum, ut clarisſimè diciturJoſuæVII. Et Dev. XXII, 8: *Si homicida ignoratur, Seniores civitatis deprecabuntur ſuper cadavere occiſi: Domine, ne vindices ſanguinem illum in nobis, oculi enim noſtri non viderunt, &c.*

Et qvis negabit, fratellos & fratellas, mutuorum flagitiorum conſcios, abuti qvotidie hac concesſione, ſive conceſſa fraude legis. gradusqve à Chriſto præſcriptos ideò potisſimùm omittere, ne denunciati puniantur ordinaria juris pœnâ, adeoqve flagitium nec innoteſcat, nec aboleatur reatus attractus toti communitati, totiqve territorio in qvo vivunt? Summa: Captiones, doli, & myſteria AntiChriſti nō ſolùm non remittunt, ſed incrementa qvotidie ſumunt, ùtChriſti amorem planè ejuraſſe videantur, qvi cum RomanæEccleſiæ modernæ profeſſione & praxi, communionemEccleſiaſticam tùm internam, tùm externam iniri poſſe prætendùnt. 366

Neq; eluet hāc maculam limitatio *Bonacinæ n. 18.* reſtringentis debitum procedendi judicialiter, *ſi præſcripti à Chriſto correptionis gradus fuerint præmiſſi.* Neqve enim Reip. aut Eccleſiæ ſuum jus perit, puniendi ſontes ſecundum jura, & exemplis deterrere alios, etiamſi Denuncians ordinem correptionis à Chriſto præſcriptum non ſervaverit; Neqve enim iſte ſuo ſive errore ſive malitiâ poteſt Remp. jure puniendi privare: neqve propterea finis à Chriſto intentus, qvi eſt correctio fratris per pœnas, *per excommunicationem, &c.* ab Eccleſia negligendus eſt, etiamſi Denuncians gradus à Chriſto præſcriptos dolo aut qvacunqve de cauſa neglexerit. Uti planum eſt. 367

Septi-

368 Septimam Qvæſtionem movet *Dominicus Soto*, Caroli V. Imperatoris qvondam Confeſſarius, *Autor Relectionis* ſæpius allegatæ, *de Tegendis & detegendis ſecretis*; libro *V. de Juſtitiâ & Jure Qvæſt.V.* ubi de partibus Accuſatoris judicialis agit, *dub.3. Utrum, ſicut ante Denunciationem Evangelicam præreqviritur admonitio fratris, ita & ante accuſationem?* Ipſe tenet negativam, & refutare ſatagit *Durandum, Sylveſtrum, Cajetanum, Thomam ipſum*, tenentes affirmativam cum diſtinctione: Illi qvidem, qvod in foro interiore ſive conſcientiæ, ante accuſationem æqvè permittenda ſit fraterna monitio, qvàm ante denunciationem Evangelicam: *Cajetanus* autem diſtinctionem ſumit ab objectis: *Si objecti loco ſunt delicta privata, qvorum accuſatio omitti poteſt, & ſolùm licita eſt, tunc præmittendam eſſe privatam admonitionem*; ſecus autem ſi delicta ſint publica, ſive qvæ Remp. lædant, ut crimen læſæ Majeſtatis, proditio, hæreſis, ſpoliatio fiſci publici, aliaqve, ob qvæ actio popularis inſtitui poteſt, & qvæ accuſare vel etiam denunciare neceſſe habes; *his non eſſe præmittendam privatam admonitionem.*

Qvæſt.7. Num accuſationi qvoq; ſit præmittenda fraterna correptio?

369 At verò, tametſi Cajetanus circa prius membrum diſtincti rectè ſentiat; fallitur tamen, qvando publicum delictum, juridicè ſic dictum, id eſt, clanculum qvidem & ſecretò, ſed qvod in Remp. & Reip. damnum commiſſum eſt, citra præmiſſionem privatæ admonitionis docet illicò eſſe deferendum, ideò, *qvia non ſolùm correctio peccantis, ſed etiam emendatio delicti publici, & conſervatio Status Reip. hic intendatur, & attendendus ſit ab accuſatore.* Accepto enim qvod concedit, intendendum eſſe utrumqve; Et ex conceſſo infero, qvod peccantis emendatio etiam in judiciali accuſatione primariò ſit intendenda. De qvovis enim delicto occulto voluit Chriſtus qvoddam lucrum capeſſi à fratre, delicti conſcio, per admonitionem privatam.

370 Neqve impedit, qvò minus etiam poſt emendationem fratri corripienti jam perſpectam, denuncietur etiam emendatus judici, ſi crimen tale eſt, qvod ad aliorum emendationem publicè puniri oporteat. V.gr. Si autor qvidem delicti publici & ſcandaloſi ignoretur, delictum autem ipſum publicè innotuerit, ut *ſcripta in Deum*

Etiam emendatum licet aliqvando denunciare

Digitized by Google

Deum blaſphemia, ſacrilegium, publicata in Magiſtratum contumelia, incenſæ urbes, oppida, templa, &c. Hæc qvia ſcandaloſa ſunt etiam infidelibus, ſi innotuerint, Autor talium denunciandus ad pœnam accipiendam eſt, etſi correptum à fratre conſcio jam pœnituerit. *Qvemadmodum Achan poſt correptionem & emendationem punitus eſt*, & flagitioſi qvotidie puniuntur.

Et perſtat hîc argumentum ex textu Matt. XVIII. à *Durando* *371*
in IV. Sent. Diſt. 19. q. 4. ad 1. adductum, ab impetitione *Soti*, & ſeqva- *Volũtaria di-*
cium *apud Caſtro Palao l. cit. puncto XV.* inconcuſſum, videlicet: *ſtinctio eſt in-*
Qvum Chriſtus de foro interiore conſcientiæ agens, qvanta cu- *ter denunci-*
ra incumbat fratri circa emendationem fratris peccantis; nul- *ationem Ev-*
lum fecerit diſcrimen inter denunciationem Evangelicam, & ju- *angelicam &*
ridicam, ſive judicialem, pro tertio gradu adhibendam, ſed hæc *juridicam.*
diſtinctio merè ſcholaſtica ſit; Ideò in foro conſcientiæ cuivis incumbere, ut ipſe in privato prius ſollicitus ſit de lucrando fratre, in qvodcunqve peccatum prolapſo, anteqvam eum denunciet, ſive ad correptionem tantùm à ſuperiore tentandam, ſive ad correptionem & pœnam ſimul adhibendam.

Eaqve de cauſa etiam in publicis judiciis Saxonicis more *372*
receptum eſt, ut pro qvavis ferè controverſia litigantibus inter ſe, *Conciliandi*
dentur Advocati & *Commiſſarii Judices ad transactionem* inter par- *& emendan-*
tes tractandam, anteqvam ad litis conteſtationem procedatur; *di ſtudium in*
non ſolùm ad lites minuendas & ſumptuum compendium faci- *qvavis culpâ*
endum, ſed etiam ad animos conciliandos & lucrifaciendum il- *præmittendũ*
lum, qvi injuriam vel damnum intulit. Et hoc regulæ Chriſti, hoc *eſt pœna.*
fraternæ charitati convenit.

Cæterùm in denunciatione publicorum criminum facien- *373*
da, prætermiſsâ omni privata admonitione: *Sotus* & recentiores, *Papiſmus*
(ut ſupra, ubi de hæreſi ſive objecto correptionis agebatur, dixi:) *ſemper dete-*
Thoma ipſo longe ſunt rigidiores. *Thomas* enim ſæpe citata *q.* *rior.*
33. *art. 3.* expreſsè ait, *deſiſtendum eſſe à denunciatione etiam hæreſeos, ſi qvis firmiter exiſtimat, qvod ſtatim per ſecretam admonitionem poſſit hujusmodi malum impedire.* Adeoqve ſupponit: poſſe etiam hæreſeos diſſeminationem privatâ correptione præveniri, uti indubiè

Digitized by Google

poteſt. *At Sotus* hic, *Malderg, Regius, Filliucius, Laymam ll.cc.* negant eſſe præmittendam admonitionem, docentqve: *Neminem debere exiſtimare, qvod poſſit hæreticum per privatam admonitionem corrigere. Si inſerperet,* inqvit Sotus, *civitatis proditio, aut Regis exitium, aut SUPER OMNIA hæreſeos crimen, maximè in dogmatizantibus; PRÆCEPTUM eſt, ſtatim in judices advolare: Qvia NEMO DEBET exiſtimare, ſe poſſe tàm ingentibus periculis aliter occurrere. Qvin verò, etſi non exiſtunt idonei teſtes ad probandum, feſtinandum eſt ad denũciationem judicialem.* Qvaſi verò Apoſtolus Timotheo & Doctoribus poſt eum omnibus ſtultam, impoſſibilem, vel certè ocioſam & caſſam conditionem impoſuerit, qvando *Devitationi hæretici* jubet præmittere *binam vel ternam admonitionem.* Qvorſum præmittenda eſt admonitio planè ocioſa, de qva qvisqve debet credere, qvod nullum effectum emendationis ſortiri poſſit? Vide, qvæ ſupra *de Objecto Correptionis* dixi.

374 *Dub. 8. An Corycæi etiam obligentur ad præmonendum denunciandos?*

Octavum dubium movet idem Sotus ſub finem Qvæſtionis: An Accuſationi judiciali præmittenda ſit fraterna admonitio? *De Fiſcalibus & Exploratoribus alienorum delictorum,* qvos Magiſtratus conſtituit, Annon & hi Exploratores nonnunqvam allicientes ad peccandum ſubditos, & mox citra omnem privatam admonitionem Reos judici denunciantes; Annon etiam Magiſtratus, per qvem conſtituuntur tales Corycæi, peccent contra ordinem correptionis fraternæ? Soti ſententia hæc eſt: *Qvòd Fiſcales conſtituuntur ſcrutatores privatorum criminum, credo, neq; S. Thomas, neq; Antiqviores Sancti probaſſent. Qvoniam talium ſcelerum ultionem & vindictam poſcere, ſolis privatis incumbit, qvi injuria perculſi ſunt.*

375 At fallitur (1) qvando Magiſtratum in cenſum privatorum ponit. Magiſtratus enim ut Magiſtratus, non corripit ut frater, ſed *ut Judex,* Chriſtus autem ordinem illum Matth. XVIII. privatis præſcripſit, ad exercendam horum tùm patientiam tùm etiam charitatem in lucrando. Fallitur (2) qvando putat, Magiſtratum citra præmiſſionem omnis privatæ admonitionis punire. Monet enim per leges non ſolùm publicè, ſed etiam privatim unum-

Digitized by Google

numqvemqve,ut domi ſuæ earum recordetur:& doloſè prævaricantes inqvirit,non tàm ob privatas injurias & damna, qvam ad excludendas publicas injurias,& damna latitantia ſub privatis, ut in *adulteratione monetæ,menſuræ,ponderis,mercium,&c.*qvæ continuatione & latitudine ſuâ ſunt delicta publica. Aut verò, ſi in privatas injurias inqvirit; ut in Satyricos Scriptores,& projectores chartarum famoſarum in privatas ædes, in furta,& damna clandeſtina,qvæ vicini vicinis vel etiam hoſpitibus inferunt, &c. certè longè aliꝰ ordo divinitus præſcribitur Magiſtratibus, exercendi jus ſuum,qvod habent in privatos, ab eo, qvi præſcriptus eſt privatis ad proſeqvendum invicem jus ſuum. Patrifamilias, Paſtori,Magiſtratui licet inqvirere in mores privatos ſubditorum ſuorum,qvod vicino non licet. Et multa alia tùm licent tùm incumbunt ſuperioribus ratione ſuperioritatis, qvæ privatis nec licent neq; incumbunt.

In privata autem delicta,qvorum non ſolùm Autores,ſed etiam exiſtentia ignorantur,non poteſt inqvirere Magiſtratus, niſi facta denuncientur: Tum verò qvando denunciata ſunt,ut clandeſtina furta,contumeliæ ſubdito clam illatæ,effractiones ędium aut vaſorum obſeratorum,aut qvæcunqve aliæ cùm injurię tùm damna,qvorum Autores ignorantur,ideò indagantur, æqvè ac veſtigalium interverſores,aliarumqve legum publicarum transgreſſores,ut honeſtas,pax & tranqvillitas in Rep.& Oeconomia conſervetur,non ſolùm,ut læſo ſatisfiat. Qvi finis cum intentioni & ſtudio privati præſcriptus non ſit,neqve ille per ſe aut per alios delinqventem ante monuerit,qvod per leges publicas Magiſtratus fecit; non mirum,qvod illi alius, alius huic procedendi ordo à Chriſto præfiniatur. 376

Qvod ad illicia & irritamenta ad committendum vel iterandum peccatum attinet,hoc fine,ut prioris vel cujꝰcunqve vetiti Autor v.gr.*furti,contumeliæ illatæ,damni,&c.*deprehendatur;in iis fatendum eſt,qvod plærumqve à miniſtris excedatur. Ad iterandum autem peccatum,vel aliud qvodvis committendum, ut commiſſum deprehendatur & corrigatur, nulli danda eſt occa- 377

ſio,per Regulam Apoſtoli *Rom.III: Non ſunt facienda mala,ut eveniant bona.*

378 *Quomodo expectare liceat majorē culpam.*

Suſpenſio tamen & dilatio correptionis, usqve ad iterationem injuriæ vel damni cum peccato inferentis conjuncti, motu proprio, citra meam provocationem probabiliter ſecuturi, ſi ob leve peccatū ſuſpēditur,ut ob ſurreptionē rei parvæ,ob injuriam parvam,temerarium dictum aut factum, &c. Qvemadmodum Parentes,Præceptores & Magiſtratus diſſimulant nonnunqvā neglectum aut culpam levem v.gr.contrectationem pomi,rami,floris,&c. faſtum & exceſſum in geſtu,habitu, &c. ut tantò majore cum profectu peccantem emendent,ſi iteret culpam, occaſionem tamē nullam dāt,ut iteret.Hæc inqvā ſuſpenſio nihil habet communecum μεθοδείαις Corycæorū,fiſcaliū,ſcrutatorum,publicanorum,inqviſitorum,aliorumq́; datâ operâ alios ſive ad peccandum ſive ad iterandum allicientium.

379 *Non exſpectandum donec qvis gravius peccet.*

Spiritus Sanctus autem hoc potius Chriſtianæ prudentiæ eſſe docet,ut qvæcunqve vitia & errores mox in principio emendentur,neqve iterandis erroribus aut delictis ſpacium concedatur, *Prov.XIII,24: Qvi parcit Virgæ,odit filium ſuum, qvi autem diligit eum,manicavit* (maturavit) *correctionem Sirach.XXX,11: μὴ παρίδῃς τὰς ἀγνοίας αὐτοῦ: ne diſſimules,*ne conniveas *ad ignorantias filii adoleſcentis,&c.* Legendus *eſt Auguſtinus* in Pſ. CXXXVII.de *allidendis parvulis,*ſive initiis malarum ſuggeſtionum, *ad petram.* Namqve & Deus ipſe,qvanqvam correptionem per ſupplicia ſæpè differat,correptionem tamen per dehortationem & monita nunqvam differt,ſed *manicat,*(ut Vulgatus ex Ebræo: השכם & Græco ὀρθρίζειν rectè transtulit) *in reprehendendis & corripiendis erratis hominum. Jer.VII,13. Sic Cap.XI,7. XXV,3,4. XXVI,5.* & freqventer alibi. *Exodi XXIII,21:* לא ישא *non parcet prævaricationi veſtræ,*non differet,non ſuſpendet ferulam. Conſulantur interpretes ad illud Vulgatæ Verſionis. Sir X,12 ; *Brevem tanqvorum præſcindit medicus,&c. Et Serarius* in illud II. Machab.VI: *Non ſinere peccatoribus multo tempore ex ſententia agere, magni beneficii eſt indicium,&c.* Econtra qvum David initia ambitionis negligeret.

geret.

Digitized by Google

geret corrigere in Adonia, parricidio occaſionem dedit. I.Reg.I, 6: *Nolebat eum dolore afficere Pater ipſius in diebus ſuis.* Vulg. *Non corripuit eum Pater ſuus.*

Dubitatur nono: *An poſtqvam frater declaratus eſt pro Ethnico & Publicano, officium privatæ admonitionis ceſſet?* Videtur non planè ceſſare: qvia eſt debitum ex jure naturæ; & ſupra oſtenſum, qvod per fratrem h.l. primario qvidem frater in Chriſto, ſive fidelis intelligatur, *qvi Eccleſiam* agnoſcat pro judice: Verum non ſolus, ſed qvicunqve ab ovili aberrat, ſive ante fuerit de ovili, ſive nondum acceſſerit. Omne ἀπολωλὸς, *omne perditum*, in ſtatu perditionis conſtitutum, ponitur pro *ſubjecto reqvirendo & reducendo per admonitionem fraternam*, ſicut Chriſtus omni erranti reducendo miſſus eſt. Uti connexio hujus præcepti cum antecedentibus oſtendit, *per verſum 11.12.13.14.15.* Et rectè hic *Fernandez l.cit. &* §. *1. n. 1.* per fratrem intelligi *qvemvis proximum*: per proximum autem *omnem eum, qvi nobiscum POTEST particeps eſſe ejusdem ſupernaturalis finis ac beatitudinis.* 380 *Quæſt. 9. An judicatus ab Eccleſia porrò non ſit coripiendus?*

Neqve declaratus Ethnicus aut Publicanus deteriori conditione haberi poteſt aut debet, qvàm *bos & aſinus profeſſi inimici*, aut bos vel aſinus notorii publicani vel idololatræ. Hiſce autem ſubveniendum eſt ex lege juris naturalis & divini *Exod. 23. Deut. 22.* Tametſi non negem, ſtudium atqve ſollicitudinem reducendi Ethnicum & Publicanum declaratum, admittere laxiorem graduum remiſſionem qvam ſtudium reducendi fratrem peccantem, qvale diſcrimen graduum facit Apoſtolus *inter dilectionem communem & dilectionem fraternam II.Pet. I,7.* Nihilominus tamen incumbit omnibus commune ſtudium reducendi qvosvis errantes, cuiqve pro conditione & ſtatu ſuo. *Jacobi V,19.* atqve alibi. Dicendum igitur: Qvia fratres in Chriſto freqventius concurrunt, qvàm Concives unius Regni vel Provinciæ, illos & freqventius & impenſius eſſe corrigendos, qvam extraneos, ſive privativè, ſeu negativè tales. 381 *Limitatur.*

§ XVI.

De Fine Correptionis Fraternæ.

382 FInis proximus à Chriſto intentus Matth. XVIII. erat exercitium & *profectus charitatis, manſvetudinis & patientiæ fraternæ* in ſubjecto corripiente, ſeu fratre læſo: ut frater correpturus alterum, diſceret & ferre, & tractare & emendare lædentem, *qvemadmodum ipſe cupiat ferri à Deo, & tractari & emendari à Superiore ſuo, qvem freqventius & gravius offendit.* Hunc enim eſſe ſcopum totius paræneſeos à Chriſto illic inſtitutæ, oſtendit occaſio qvæſiti, verſic. 10.12.14.15.21. objectum, 21.24. modus reſpondendi, 15. 16.17. qvalitas inſtantiæ, v.21. ſolutio ejus, v.22.23. deniqve concluſio: *Sic etiam vobis faciet Pater meus Cœleſtis, niſi remiſeritis unusqvisq; fratri ſuo de cordibus veſtris offenſas,* ſive *peccata eorum*, τὰ παραπτώματα αὐτῶν: Qvod objectum remittendum *Vulgatus* omiſit, & neqve *in Sixtinis*, neqve *Clementinis* editionibus ſupplætum eſt, etſi *Græca, Syrus & Ebræus* conſtanter legant, neqve *Grotius* inveniat, qvod hic pro Vulgato dicat, qvi tamen *Ebræam Matthæi editionem pro Archetypo* & authentica haberi vult. Etiam *Origenes, Chryſoſtomus, Oecumenius, Theophylactus:* qvanqvam in numero relativi varient, & alii αὐτοῦ, alii αὐτῶν legant: In plurali Hieronymus legiſſe videtur, qvia in Gloſsâ addidit: *Si parva fratribus non dimittimus; Magna nobis à Deo non remittentur.* Gloſſa ord: *Si non dimiſeritis ex corde, qvod in Vos delinqvitur: Et hoc, qvod per pœnitentiam dimiſſum erat, à Vobis exigetur.*

383 Corripientis autem profectum per tolerantiæ & charitatis exercitium, non minus hic qvæſitum fuiſſe à Chriſto, qvam fratris lædentis & corripiendi emendationem, ex *Chryſoſtomi, Hilarii,*

rii, *Hieronymi*, aliorumqve Commentariis ſupra dedi probatum, ut oſtenderem: vel hâc ſola de cauſa non licitum eſſe provolare illicò ad denunciationem fratris corripiendi, faciendam Eccleſiæ, ne profectus & lucrum corripientis privati fratris intercipiatur, & officium â Chriſto ipſi impoſitum negligatur vel omittatur.

Alter finis eſt emendatio fratris de peccato præterito, & præſervatio à futuro: eiqve ſubſtrata agnitio peccati, qvod eſt vel in fieri, qvoad occaſionem proximam, vel in eſſe & facto. Agnitionẽ autem non virtualem, ſed actualem *Lucas* præreqviſivit Cap. XVII. 3. & 4: *Si pœnitentiam egerit: ſi converſus fuerit & dixerit: Pœnitet me, Tunc remitte illi.* Qvod reqviſitum ad qvalitates abſolvendi, non corripiendi pertinet. 384

Tertius & ſubordinatus finis, isqve eventualis & hypotheticus, eſt caſtigatio fratris per excommunicationem: *Dic Eccleſiæ: Si Eccleſiam non audierit, &c.* De qva nunc porrò dicendum erit. 385

Ultimus: Gloria Dei, conſiſtens in averruncatione ſcandalorum, indeqve pẽdentium cladium publicarum & domeſticarum: ſive illa averſio fiat per emendationem, ſive per ejectionem peccantis ex Eccleſia. Qvi finis certè majorem induſtriam atqve ardentiꝰ ſtudium in nobis concitare debebat ad corripiendos ſcandaloſos, qvàm ſollicitudo avertendi ſive peſtem epidemiam, ſive incendium & conflagrationem urbium, ſive infamiam, ſive aliam qvamvis læſionem vitæ temporalis, famæ, fortunarum, & deſideratiſſimarum qvarumcunqve rerum. De qvibus legendi *Dn. Balduinus* lib. IV. Caſuum Conſc. Cap. XVII. Caſ. XVI. & Conferendus *Lutherus* in Cap. XXXVII. Geneſ. & in *Expoſit. Decalogi* Tom. IV. Jen Germ. fol. 530. *Chemnitius* in LL. Melanchtonis *de vindicta licita & illicita. Melancht.* ipſe, *Chytræus*, *Pannius in Cap. XVIII. Matth.* Ameſius *lib. V. de Conſc. Cap. IX.* & alii. 386

Non

Non pigebit *Petri Martyris* confeſſionem ſubjicere ex LL. Claſſe ſecunda Cap. XVII:

Fraterna correctio hisce temporibus ita neglecta eſt, ut nemo eam, aut in uſum ullum adhibere, aut ei ſubjici velit: Tam probè in Chriſti ſchola profecimus.

Digitized by Google

§ XVII.
De Effectu ratæ Correptionis fraternæ.

Effectum principalem ratæ & acceptatæ correptionis fraternæ, Salvator ipſe appellat *lucrifactionem fratris Rei, verſic. 15.* qvâ phraſi reſtitutio animæ peccatricis in priſtinum ſtatum tàm juſtificationis qvàm ſanctificationis exprimi ſolet; ut ex oppoſito damno & perditione animæ apparet *Matthæi Cap. XVI, 26* : *Qvid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, & damnum animæ patiatur?* In qvem ſenſum etiam Apoſtolus *I. Cor. IX, 20. ſeqq. Judæis factus ſum ſicut Judæus, infirmis tanqvam infirmus, ut utrosq; lucrarer. I. Pet. III, 1: Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis, ut, ſi qvi non credunt verbo, per mulierum converſationem lucrifiant.* N. 1 *Effectus principalis ſalutaris correptionis.*

2 *Signa hujus effectus.* Ad teſtificandum de hoc effectu, & ut innoteſcat lucrifactum eſſe fratrem: denominat Salvator alios etiam effectus correptionis fraternæ, qvaſi ſigna & notas emendationis jam ſecutæ: I. *Ultroneam agnitionem erroris aut delicti. II. Dolorem & pœnitentiam de commisſis. III. Confeſſionem. IV. Deprecationem & Palinodiam.* Atq; hæc Lucas qvidem citra allegoriam aut parabolam apertè reqviſivit: *Si peccavit in Te frater Tuus, increpa illum: & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et ſi ſepties in die peccaverit in Te, & ſepties in die converſus fuerit ad TE, dicens: pœnitet me, dimitte illi.* Matthæus autem hos effectus intermedios correptionis fraternæ, partim per manifeſtam paræneſin, partim per parabolam *de geſtibus & verbis tàm ſervi debitoris, qvàm etiam Remittentis & condonantis Creditoris*, h.m. deſcribit: *Dic Eccleſiæ, Si Eccleſiam non audiverit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Amen dico Vobis, qvæcunq; alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo: Et qvæcunq; ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo: Iterum dico vobis: Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re qvamcunq; petierint, fiet illis à Patre meo: Ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo,*

 ibi

Digitized by Google

ibi ſum in medio eorum. Hic de valore & effectu *etiam privata remiſſionis inter fratres,* non ſolùm publicæ & ſacerdotalis, qvæ per Eccleſiam fit, ſermonem eſſe, manifeſtò patet ex diſtinctione diverſorum ſubjectorum: nempe *Eccleſiæ, & duorum vel Trium* aliis delicta remittentium.

3 Qvamobrem *Origines, Athanaſius, Chryſoſtomus, Theophylactus,* ex Græcis: *Hilarius, Ambroſius, Hieronymus & Auguſtinus* hanc remittendi facultatem expresſis verbis extendunt etiam *ad privatos,* de qvibus cœpit inſtitui qvæſtio, & de qvorum officio continuatur qvæſtio, à Petro interrogante: *Qvoties remittam fratri offendenti me, an ſepties? &c.* & de qvibus Chriſtus producit reſponſum: *Non dico Tibi ſepties, &c. Aſſimilatum eſt enim regnum cœlorum Regi conferenti rationem cum ſervis ſuis, &c.* Sic enim connecti parabolam hanc *cum præcepto de correptione fraterna,* ut ſit qvaſi norma & regula manſvetudinis fraternæ erga corripiendos delinqventes, *Janſenius, Maldonatus, Barradas, Toletus in Lucam,* aliiqve ex ipſis Pontificiis Interpretes largiuntur, Etſi *Salmeron & Maldonatus* negent: *Privatis, & non Sacerdotibus collatam hîc eſſe poteſtatem abſolvendi fratres à privatis offenſis in ſe commiſſis.* Qvam tamen fatentur, *à priſcis Eccleſiæ Doctoribus* & dicti hujus Interpretibus hîc agnoſci.

4 S. Matthæus igitur *geſtu & voce ſervi ingenua* coram Creditore *procidentis, orantis, & deprecantis*: nec non voce & geſtu Creditoris *remittentis* debitori *& culpam & pœnam,* voluit exprimere *Agnitionem, dolorem, confeſſionem & deprecationem* peccati, de qvo qvisqve corripitur, tanqvam partes obligationis, ad qvas tenetur debitor, inter qvas eſt *deprecatio*: Serve neqvam, totum debitum remiſi Tibi, *poſtqvam me deprecabaris, E. & Te oportebat miſereri conſervum deprecantem v. 29. 32.* Ubi conjungitur etiam Corripientis obligatio; nempe, ut ignoſcat agnoſcenti, dolenti, confitenti, & deprecanti, uti *Abulenſis q 85. Gvido Carmelitanus* in Harmonia, ſive *Qvatuor Uno,* ad h. l. nec non *Janſenius, Toletus & Maldonatus* rectè obſervaruut. Ambroſii in Luc. XVIII, 1. hæc ſunt: *Subjecit præceptum* (inqvit) *veniæ largiendæ, his utiq;, qvi ſe ab errore* con-

convertunt, ne qvem deſperatio non revocet à culpa. Qvàm verò moderatus eſt? ut neq; difficilis venia, nec remiſſa ſit indulgentia. Ne qvem vel auſtera percellat invectio, vel conniventia invitet ad culpam.

Qvamvis enim etiam non agnoſcentibus, non confitentibus, non deprecantibus ignoſcendum ſit à privatis; ut *Didacus Stella & Maldonatus* ad h.l. rectè obſervarunt; Non tamen propterea liberatur Reus ab obligatione agnoſcendi & deprecandi coram offenſo, vel Sacerdote. Detrectantem verò dicere: *peccavi, pœnitet me, μετανοῶ*, Eccleſia à gremio ſuo per excommunicationem meritò excludit. Dico, *meritò*. 5 *Ab abſolvendo exigitur agnitio & deprecatio.*

At hîc ſe ingerit difficultas de *qvalitate & modo* confitendi & deprecandi publica ſcandala, commiſſa ſive in vita, ſive in doctrina? Apoſtoli Regula præcipit, *ut publica ſcandala dantes, publicè confundātur*, (ἵνα ἐντραπῇ, ut pudore afficiatur) *ut reliqvi timeant à ſimili ignominia, II. Theſſal. III. 1. Tim. V.* Atqve hinc natæ ſunt publicæ illæ *Exomologeſes, Pœnitentiæ canonicæ, ſatisfactiones Canonicæ*, qvas, ut ſupra etiam indigitavi, Apologia Auguſtanæ Confeſſ. *ad Art. XII.* non omninò improbat, ſi opinio ſatisfaciendi & merendi coram Tribunali Dei, iis adimatur. 6

De hac exomologeſi ſermo eſt *Act. XIX, 18. 19*: qvod multi Epheſiorum, viſo & audito exemplo vindictæ divinæ, de filiis Scevæ Phariſæi ſumptæ, ob imitationem earundem vocum & geſtuum Apoſtolicorum in patrandis miraculis, neglectâ imitatione fidei Apoſtolicæ; *compuncti fuerint corde, & confeſſi ſimilia delicta*, qvæ hactenus latuerant, & qvæ illi fortè impune committi poſſe putaverant. *Alii autem & libros, qvibus artes illicitæ deſcribebantur, tradiderint ad comburendum.* 7 *Exemplum publicæ Exomologeſeos.*

Tametſi enim hanc exomologeſin non intelligam de *Sacramentali*, ut vocatur, multò minus de *auriculari & plenaria* ſingulorum peccatorum à baptiſmo commiſſorum recitatione: ſed de confeſſione nondum baptizatorum, credentium tamen, uti ex textu, & parallelis *Act. IV, 4. V, 14. VIII, 12. 13. XI, 21. XVI. 31. 34.* & ſuffragiis *Baſilii, Bedæ*, aliorumqve, oſtendit *Lorinus in Comment. h. l.* Indubium eſt tamen, *Exomologeſin* apud Scriptores Eccleſiaſticos 8 *Exomologeſis apud Irenæum.*

 ſumi

ſumi non ſolùm pro confeſſione Catechumenorum, ſed etiam de confeſſione baptizatorum, uti *ex Cap.IX. libri primi Irenæi* adverſus hæreſes apparet, ubi aliqvoties mentionem facit *exomologeſeos facta à fœminis, qvæ à corruptelâ Marci Valentiniani hæretici ad Eccleſiam redierant*, qvarum aliqvas, ait, *non ſolùm talia confeſſas, ſed unam Diaconi cujusdam Aſiani conjugem, qvæ deſerto Marito, Marcum aliqvot annis ſecuta fuerat, per univerſum vitæ tempus in iſta Exomologeſi perſeveraſſe, lugentem & lamentantem propter corruptionem, qvam à Marco paſſa erat. Et lib. III cap.4.* de vertumno *Cerdone* ſermonem faciens ait: *qvòd ſæpè in Eccleſiam veniens, & exomologeſin faciens ſic conſummaverit; modò qvidē latenter docēs, modò v. exomologeſin faciens, modò v. ab aliqvibꝰ denũciatꝰ in his, qvæ docebat occultè, abſtentus à religioſorum hominum conventu*, i: excommunicatus fuerit. *Abſtentorum* enim voce pro excommunicatorum, *Cyprianꝰ* freqventer uti ſolet, in *Epiſt. ad Cornelium, Stephanum, Firmilianum*, 9 nec non in Serm. *de Lapſis*, & alibi.

Apud Cyprianum. Eidem Cypriano Vocabulum *Exomologeſis* nunc publicam Catechumenorum confeſſionem notat de fide & moribus: nunc baptizatorum confeſſionem de peccatis poſt baptiſmum commiſſis: Auricularem ſingularum circumſtantiarum enumerationem nunqvam notat, uti *Chemnitius* noſter parte ſecunda Examinis Concil. Trid. per inductionem *Novem ſpecierum Confeſſionis*, egregiè oſtendit; inter qvas ultima, ſive ſecreta Confeſſio, etiam voce *Exomologeſeos* inſignitur, & ad peccata qvotidianæ incurſationis extenditur à *Cypriano lib. III. Epiſt. 14. & 16.* qvando dicit; *Etiam in minoribus peccatis veniendum eſſe ad exomologeſin*, atq; inde concludit: Multò minus cum Lapſis in idololatriam per ſacrificia, aut thura adolita; ſive cum *Libellaticis*, vel etiam *Traditoribus* theſaurorum Eccleſiæ eſſe communicandum *ante Exomologeſin*. De qvo argumento legendæ ſunt *Simonis Goulartii, & Jacobi Pammelii* Annotationes *in Epiſtolas X. XI. XII. XIII. XIV. & LV. Cypriani*, qvibus disſvadet præcipitem & ſubitaneam receptionem Lapſorum, *citra publicam Exomologeſin*, & non niſi poſt edita conſtantia ſigna pœnitentiæ; Nec non *Epiſt. LXII.* (aliis l.3.

ep.

ep.XI.) *ad Pomponium,de Virginibus continentiam profeſſis, ſed poſtea in eodem lecto cum maſculo deprehenſis*, Ubi *eas* qvidem *qvæ diligenter inſpectæ ab obſtetricibus,Virgines inventæ fuerint, acceptâ communicatione ad Eccleſiam admittendas* cenſet,ſub hac tamen interminatione, *ut, ſi ad eosdem maſculos poſtmodum reverſæ fuerint, aut,ſi cum eisdem in unâ domo,aut ſub eodem tecto ſimul habitaverint, graviore cenſurâ ejiciantur,nec in Eccleſiam poſtmodùm facilè recipiantur.* Pergit: *Si autem de iis aliqva corrupta fuerit deprehenſa, agat pœnitentiam plenam,& æſtimato juſto tempore,poſtea Exomologeſi factâ,ad Eccleſiam redeat.* In ſermone de Lapſis §.23. ex edit. Pammel. ait: *Qvantò & fide majores, & timore meliores ſunt, qvi, qvamvis nullo ſacrificii aut libelli facinore conſtricti, qvoniam tamen de hoc vel cogitaverunt; Hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter & ſuppliciter confitentur,exomologeſin conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt,ſalutarem medelam parvis licet & modicis Vulneribus exqvirunt?*

Plura de diverſis *Exomologeſeos ſpeciebus*, ex Chemnitio hîc 10
deſcripſit *Goulartius*. Qvibus utiliter conferentur Centuriatorum Magdeburg. obſervationes *de Ritu circa uſum Clavium Cent. II. Cap.VI.* nec non Cent. III. eod. Cap. *ex Tertulliano, Cypriano* & *Euſebio*.Cẽt.IV. eod. *ex Theodoreto,Sozomeno,Baſilio, Ambroſio,&c.*

Baronius ad Annum Chriſti XXXVI. & *Dionyſius Petavius*, 11
in Notis ad hæreſin Novatianam apud Epiphanium fol.260. malè eam reſtringunt ad ὑπόπτωσιν & *macerationem corporis*. Qvanqvam enim geſtus humilis Exomologeſi conjunctus fuerit, planctus etiam & lamenta præceſſerint; Qvæ Salvator qvoqve apud *Matthæum d. cap.XVIII.* tanqvam ſigna ſalutaris effectus, ad correptionem fraternam conſeqventia reqvirit & præſcribit: Nullum tamen idoneum ſcriptorem nominare potuerunt, qvi ipſas actiones & paſſiones pœnales,qvas vocant,ſive ipſam macerationem corporis Exomologeſeos vocabulo inſigniviſſet.

Huic publicæ Exomologeſi ſubmiſerunt ſe ex Imperatoribꝰ 12
Romanis *Philippus Imp.*Gordiani Patris interfector & parricida, apud *Euſeb.l.6.ep.23.* Valens ſub Baſilio *apud Theodoretum lib.IV,16.*

Digitized by Google

Theodoſius Magnus ſub Ambroſio apud *Theodoretū l.V.c.18.Soz. VII.c.24.* & *Arcadius Imperator*, ſi Nicephoro l.13.c.34.credendum eſt, ſilentibus illud Hiſtoricis, Arcadio tamen coævis, & pauló ſeqvioribus. Cui ſe hodieqve ſubmittere coguntur publici peccatores in Saxonicis Eccleſiis, Vi *Articulorum General. X.* & *XI. de Banno & Excommnicatione, ejusq; proceſſu*. Neqve ſub hoc Lipſienſi Conſiſtorio ulla Ephoria eſt, in qvâ exercitium & executio publicæ pœnitentiæ & deprecationis prorſus expiraverit.

13 *Agnitio & revocatio erroris reqviſita in Vet. & Nov. Teſtam.* Hæc palinodia ſive agnitio & confeſſio erroris & vitii, habet manifeſta præcepta & exempla Sanctarum Scripturarum & Eccleſiæ priſcæ. In Veteri Teſtamento omnis hoſtia pro peccato, & maximè magna illa hoſtia die expiationis reqvirebat *confeſſionem expiandorum, Levit. XVI, 21. Num. V, 7. II. Paral. XXX, 16: Nehem. IX, 2. Job. XXXIII, 27.* Huc Davidis ſpectat parænesis, de neceſſitate Exomologeſeos publicæ peccatorum *Pſ. XXXII, 5. ſeqq.* Salomonis, de noxâ diſſimulandi, & ſpe ingenuæ confeſſionis *cap. XXVIII, 13.* In novo Teſtamento ſatis clarum extat præceptum d.l. Matthæi XVIII. & Luc. XVII. qvem hactenus elucidavimus: *Qvoties reverſus fuerit & dixerit: Peccavi pœnitet me, &c.* & Apoſtolorum præcepta paſſim ſunt nota. *Si confitemur &c. I. Joh. I, 9. Confitemini alter alteri peccata veſtra, Jacobi V, 16.* Exempla ſacra de confeſſione enormium peccatorū proſtant Joſuæ VII. de Achane, Iſraelitarum *Judic. II, 1. ſeqq. Jerem. III, 12. 13. Manaſſis*, & aliorum ex divino mandato edita. In Novo Teſt. *Ananiæ & Saphiræ Act. V:* Artes magicas doctorum *Cap. XIX, &c.*

14 Etiam apud Prophanos & Idololatras graviorum ſaltem peccatorum exomologeſin prius edendam fuiſſe, qvàm ad ſacrificia expiatoria admitterētur, patet ex Plutarchi Apophthegmatis, *qvæ Antalcidam initiandum, prius à Myſtagogo interrogatum fuiſſe* memorant, *cujus maximè peccati ſibi eſſet conſcius*: Geminum eſt in ejusdem Laconicis: Laconem Expiandum interrogatum ante fuiſſe, à Myſtagogo: Τί πράξας ἑαυτῷ σύνοιδεν ἀσεβέςατον; *Cujus maximè impii ſceleris ſibi eſſet conſcius?* De Nerone Auguſto *Suetonius Cap. XXXIV. qvòd poſt occiſam matrem ad Sacra Eleuſinia*

nia accedere non fuerit auſus. Vid. Caſaub. *Exercit. XVI.n.43.* 15
Coñſonat hiſce Sirachidis monitum de non detrectanda palinodia, ſi qvis in errorem de fide, aut ſcandaloſum crimen morum incidit. *Cap, IV.30.31: Suſtine contumeliam, &c.* Lutherus: **Laß den Hohn über dich gehen / wo du der Sachen gefehlet haſt.** Ubi primò interdicitur inficiatio, & impugnatio veræ ſententiæ: Μὴ ἀντίλεγε τῇ ἀληθείᾳ κατὰ μηδ᾽ ἕν: *Ne contradicas veritati, ne in minutiſſimo qvidem.* Deinde, ſi qva contraventum fuerit veritati, præcipitur publica recantatio: καὶ περὶ τοῦ ψεύματος τῆς ἀπαιδευσίας σου ἐντράπηθι. Junius: *Sed verecundi cohibitor, ne mentiaris inopiâ eruditionis tuæ.* i: ne TE pudeat agnoſcere & confiteri ruditatem vel etiam incivilitatem tuam. Tanqvam eſſet interdictum de futuro, ſeu cavendo mendacio & impudentia. Druſius: *Et de inſcitia tua confundere, erubeſce, pudeat erroris aut mendacii commiſſi.* Tertio, iteratur interdictum de ne palliando errore aut detrectanda palinodia: μὴ αἰσχυνθῇς ὁμολογῆσαι ἐφ᾽ ἁμαρτίαις σου, καὶ μὴ βιάζου ῥοῦν ποταμοῦ: *Ne te pudeat publicè confiteri de peccatis tuis, & ne ſiſte vi fluxum amnis.*

Qvorum poſteriorum membrorum connexio oſtendit; Eſſe ordinarium & regulare remedium: ut, qvi peccavit, in pœnam peccati qvadantenus confundatur; Et qvi reſiſtit huic congru emendationi, illum qvaſi *vim inferre ordinario curſui juſtitiæ, ſeu luctari contra amnem.* Hoc deniqve intendi, ut peccator liber ſubeat emendationis modum lege conſtitutum. Confirmatur hæc ſententia & ex antecedentibus *v.23.24.25: Obſerva tempus, & cave à malo:* Mox ſeqvitur remedium, ubi cautionem neglexeris: *Ne confundaris pro anima tua:* i: ne detrectes confundi pro ſalute animæ tuæ, ut Vulgatus hîc melius expreſſit: *pro anima tua ne confundaris dicere verum:* Cauſa è veſtigio ſeqvitur: *Eſt enim pudor qvidam adducens & augens peccatum, eſt etiam pudor afferens gratiam & gloriam:* Qvo ſenſu etiam *Genevenſes & Batavi* h verba expoſuerunt. 16

Hieron. Epiſt. XXVI. ad Pammachium Romanum Conſulem: 17
Eſt confuſio qvæ ducit ad mortem: Et eſt confuſio, qvæ ducit ad vitam.
Au-

Auguſtinus *Epiſt.XLVIII. ad Vincentium Donatiſtam*, primipilum Sectæ Rogatianæ, qvæ in ipſo ſchiſmate ſchiſma aliud & novum feceerat; de modo recipiendi Donatiſtas in pacem Eccleſiæ, ex profeſſo agens, qvum Donatiſtæ cuperent *recipi, qvales erant*, uti *Vincentius & Creſconius* poſtulabant, ſine ulla palinodia, ſine publica pœnitentia, ſicut illi qvi à Paganiſmo accedebant; Hiſce objicit, inqvam, Auguſtinus dictum allegatum Siracidis ſub finem illius Epiſt. *Qvid igitur adhuc dubitas*, inqvit, *tenere qvod ſentis: niſi, qvia id qvod non ſentis, vel aliqvando ſenſiſſe, vel aliud defendiſſe confundaris? Et dum erubeſcis corrigere errorem, non erubeſcis permanere in errore, qvod utiq; potius erubeſcendum fuit. Hoc eſt illud qvod Scriptura non tacuit: Eſt confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gratiam & gloriam. Confuſio adducit peccatum, cum erubeſcit qvisq; pravam mutare ſententiam; ne aut inconſtans putetur, aut diu erraſſe ſeipſo judice teneatur. Ita deſcendunt in infernum viventes, i: perditionem ſuam ſentientes, ut Core, Dathan, & Abiram. Confuſio autem adducit gratiam & gloriam, cùm erubeſcit qvisq; de iniqvitate, & pœnitendo in melius commutatur, qvod Te facere piget illâ pernicioſâ confuſione ſuperatum, &c.*

18 Tota difficultas eſt *de modo publicandi*, & deducendi confeſſionem illam ad notitiam publicam, ſive illorum qvorum intereſt. Ac de ritu qvidem Veteris Chriſtianæ Eccleſiæ ſatis conſtat: Exomologeſes de enormib9 flagitiis, aut corruptelis fidei initio factas *præſente plebe*; ſeqviorib9 ſeculis, *præſente Epiſcopo & Clero* recantaſſe eos, qvi à fide deſciverant & revertebantur; Si excommunicati fuiſſent, reſtitui eos oportebat *præſente Clero & populo*: Qvi flagitiis ſe obſtrinxiſſent cenſura publicâ nõdum notatis, eos à Qvinto ſeculo ad *pœnitentiarios Sacerdotes* remiſſos fuiſſe, qvorum cognitioni plures ſubinde pluresq; caſus cæperunt ſubtrahi, unde *caſuum reſervatorum* moderna *ſeges nata eſt*.

De redeuntibus ab Idololatria, ad qvam à Chriſtianiſmo, ſi-
19 ve minis, ſive metu, ſive etiam per tormenta defecerant, pro gradu & circumſtantiis defectionis, prolixè diſpoſuit *Concilium Ancyra-*

gyranum in Galatia coactum, decennio ante magnum illud Nicæ-num, *Can.1,2.3.4.5.6.7.8.9.* tùm qvoad tempus, tùm qvoad modum pœnitendi, confitendi & ſatisfaciendi, Ita tamen ut Can. V. *hæc omnia committantur diſcretioni & arbitrio Epiſcopi.*

De Redeuntibus ab hæreſi *Catharorum* Canon. VIII. Concilii Nicæni præſcribit, ut πρὸ πάντων, *ante omnia Recantationem ſuam* ἐγγράφως *in ſcriptis* edant. Cypriani ætate. *in Clero, præſente Epiſcopo,* & aſtantibus Laicis, voce fieri ſveviſſe Recantationem, conſtat ex *ſermone de Lapſis,* & Epiſtolis benè multis. Synodus Alexandrina ab Athanaſio convocata, ut ipse in Epiſtola ad *Epictetum Corinthiorum* Epiſcopum, & *ad ſolitariam vitam agentes* teſtatur, redeuntes à Secta Arii & Sabellii poſcit *edere confesſionem ſuam* ἀσφαλῶς, & *anathematizare Sectam, à qva reverſi ſunt.* 20

Variaſſe autem modos Revocationis etiam in Priſca Eccleſia, conſtat ex Varietate Canonum pœnitentialium ſub finem partis tertiæ Decretorum à Gratiano collectorum, nec non ex *Diſt. L. C.64. Diſt. LXXXII. Can.5.* aliisqve pluribus locis. Ritum pœnitẽdi & mores deſcripſit *Sozomenus* lib. VII. Cap.17. Ex eo aliisqve Hiſtoricis *Magdeburgenſes Centuria IV. cap.6.* Chemnitius ad *Seſs. XIII.* Concilii Tridentini, *Marcus Antonius de Dominis* l. V. de Rep. & alii. 21

Libelli Recantionum, ſaltem eorum qvi ab hæreſi aut Secta revertebantur, exſtant ap. Hiſtoricos innumeri. 22

Libelli palinodici.

Formulam libelli Pœnitentiæ & Recantationis ac deprecationis ſimul, qvâ miſsâ ad *Coriphæos Epiſcoporum,* ut Socrates loqvitur, Arii Complices juſſu Imperatoris Conſtantini M. ab Exilio revocati ſunt, & Eccleſias ſuas receperunt, Nicomedienſem qvidem *Euſebius,* Nicænam verò *Theognis,* exhibet dictus *Socrates lib.1.cap.14.* Libellus ſic infit: *Oportebat qvidem Nos, cùm jam à Reverentia Veſtra condemnati eſſemus, qvæ à Sancta Veſtra cognitione ſunt dijudicata, cum ſilentio ferre; Verùm qvia abſurdum eſſet, ſi contra nos ipſos Sycophantiæ documentum ſilendo daremus; ob eam cauſam hoc ſignificamus: Qvòd Nos & Fidei* (Nicænæ) *conſenſimus, & inqviſitione de ſenſu Homouſii facta, prorſus pacati ſumus. Qvi etiam*

hæreſi neqvaqvam adhæſimus,ſed propter cautionem ac certitudinem Eccleſiarum admonuimꝰ, qvæcunq; menti noſtræ ſuccurrebant: Et ut illis, qvi per nos perſvaderi debebant, ſatisfaceremus, Fidei ſubſcripſimus, ANATHEMATISMO autem (contra Arium) *NON SUBSCRIPSIMUS. Non, qvòd Fidem reprehendamus, ſed qvòd non credidimus, Talem eum* (Arium) *eſſe, qvi accuſatus eſt: eò, qvòd ex iis qvæ ad Nos ille ſeorſim vel per Epiſtolam ſcripſit, vel coràm loqvutus eſt, Talem Eum NON ESSE perſvaſi ſumus. Si verò Sancta Veſtra Synodus ſic perſvaſa eſt* (Arium Talem eſſe) *non repugnamus, ſed Decretis veſtris conſentimus, Et PRÆSENTI HOC SCRIPTO CONSENSUM NOSTRUM CONFIRMAMUS. Non, qvòd exilium moleſtè feramus, ſed ut ſuſpicionem hæreſeos reprobemus, &c. Et hic qvidem Palinodiæ libellus eſt* (addit Socrates) *Euſebii & Theognidis.* Mox verò Cap. XXIII. ejusdem libri refert: *Euſebium Nicomediæ, & Theognidem Nicææ Epiſcopos, poſtqvam ſedibus ſuis reſtituti fuiſſent, Nicænam fidem, ſtructis Athanaſio inſidiis, ſubvertere conatos eſſe.*

23 Formulam Recantationis Arianæ, ab *Ario & Euzoio*, at ſubdolè ſcriptam retulit idem Euſeb. ibid. Cap. 26. poſtqvam C. XIV teſtatus erat: Arium etiam ante hanc Palinodiam, *ab exilio qvidem revocatum, Alexandrinam tamen urbem accedere vetitum fuiſſe, donec reditum ad Eccleſiam & urbem hanc, ficta pœnitentiâ ſibi paraſſet.* Libellus Pœnitentiæ hic erat: *Credimus in unum Deum, Patrem Omnip. &c. Et in D. N. J. C. Filium ejus, ex eo ante omnia ſecula genitum* (fingebat Veterator aliqvod tertium Nῦν inter Tempus & Æternitatem) *Deum verbum, per qvem omnia facta ſunt, tùm qvæ in Cœlis, tùm qvæ in terrâ, &c.* (Homouſion omittit) *Hanc fidem ex Sacris Evangeliis accepimus, Domino diſcipulis ſuis dicente: profecti, &c. Baptizantes eos in nomen Patris, Filii & Sp. S. Sicut Univerſa Catholica Eccleſia & Scriptura docent, qvibus per omnia credimus. JUDEX noſter Deus eſt, & in hoc & in futuro ſeculo. Qvapropter Pietatem Tuam, DEO dilectiſſime IMPERATOR, obſecramus, ut nos, cùm Eccleſiaſtici Viri ſimus, & FIDEM & SENSUM Eccleſiæ, ſenſumq; Sanctarum Scripturarum teneamus, per pacificam & religioſam pietatem Tuam, diremptis Qvæſtionibus & PERISSOLOGIIS, Matri noſtræ, Eccle-*

cleſiæ videlicet unias,ut & Nos & Eccleſia in Pace degentes, conſvetas inter Nos preces pro pacato Imperio, omniq; familiâ Tuâ conjunctim & cunctiſ fundamus.

Qvomodo verò Athanaſius ad inſufficientem hanc Palinodiam, Arium ad Presbyteratus officium in Eccleſia Alexandrina recipere detrectaverit, Et propter hanc detrectationem à Tyrienſi Synodo depoſitus, mox Imperatoris religioſisſimi licet, mandato in exilium pulſus ſit, ſeqventibus Capp.d.l. commemoravit idem Euſebius.

Libellum Reſipiſcentiæ, qvem *Urſacius* Singidonenſis in Myſia, & Valens Murſorum in Pannonia, Ariani Epiſcopi *Julio Romano Epiſcopo* obtulerunt, & communionem cum eo impetrarunt, etſi & hi dolo eum circumvenirent, deſcripſit idem *Socrates lib.II.Cap.12.* 24

Ad qvam Palinodiam provocat *Ariminenſis Synodus* in Epiſtola ad Conſtantium ibid. Cap.37. his verbis: *Unde Urſacius & Valens, qvoniam Ariani dogmatis jam olim participes, inq; illo cum reliqvis Arianis concordes & à noſtra communitate ſeparati fuerunt: ut illius participes redderentur, pœnitentiam ac veniam eorum ſibi dari petierunt, qvæ deliqviſſe ſe cognoverunt: Sicut & SCRIPTA AB ILLIS FACTA teſtantur, per qvæ omnium veniam & culparum ignoſcentiam ſunt conſecuti.*

Petri Moggi, ſive Gnaphei Alexandrini Epiſcopi Recantatio hæreſeos Eutychianæ, qvam propriâ manu exaravit: uti *Zeno Imperator* ait, recitatur ab *Evagrio lib.III.cap.17.* & ad eam provocat laudatus Imperator Cap.XX. ejusdem libri, atqve exinde conficere ſatagit: qvod *Acacius Conſtantinopolitanus & Felix Romanus* immeritò poſthac communione illius Petri abſtinerent. 25

Joannis Conſtantinopolitani Epiſcopi *libellus Reconciliationis* ad Hormisdam Papam miſſus, de excommunicando & expungendo Diptychis nomine defuncti dudum *Acacii Conſtantinop.* legitur in Actis Conciliorum apud *Binium Tom. II. parte I. fol.582.* 26

De publica confeſſione & *Retractatione Eleuſii Cizizeni* Epiſco- 27

pi, qvod per Valentem Imp. ad communicandum cum Arianis ſe cogi paſſus fuiſſet: teſtatur *Sozomenus lib. V c. 8.*

28 *De Euſtathii Sebaſteni, Sylvani Tharſenſis, & Theophili Caſtabaleni* publicè ſcriptâ *Recantatione Ariminenſium decretorum*, qvibus dolo & perjurio perſvaſi ſubſcripſerant, idem *Sozomenus ibid. cap. XI.* perhibet.

29 *Berengarii Andegavenſis* Eccleſiæ Diaconi Recantatio, Romæ coram CXII. Epiſcopis facta, qvâ fatetur, qvod *poſt conſecrationem in Sacramento Altaris NON SOLUM Sacramentum, ſed etiam verum corpus & ſangvis Chriſti adſit*, extat etiam in Decreto Gratiani Diſt. II. de Conſecrat. Can. 42: Ego Berengarius. Poſthæc qvidem in Synodo Anno MLXXIX. *aliam formulam Recantationis* edidit, qvæ Transſubſtantiationem & abolitionem Elementorũ panis & vini in ſe continebat, de qva legendus *Binius* & Polemici; ſed iſta hæc genuina eſt, cui Berengarius in hæc verba ſubſcripſit: *Eos, qvi contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus & Sectatoribus ſuis æterno Anathemate dignos eſſe pronuncio, &c. Lecto & perlecto ſponte ſubſcripſi.*

30 De ſua ætate eaqve meliore teſtatur *Cyprianus lib. I. epiſt. 3. Pamelio LV*: Qvod reverſos ab hæreſi Novati, *peccatum ſuum ſatisfactione humili & ſimplici in publico confiteri* oportuerit: Ejus σύγχρονος *Cornelius Romanus ibid. epiſt. XI. lib. 3.* (Pamel. 46.), de Palinodia *Maximi Presbyteri, Urbani, Sidonii, Macarii*, & aliorum Novatianorum (Schiſmaticorum tantùm) voce & ſcripto factâ, & populo publicata, idem atteſtatur: *His ita geſtis*, inqvit, *in Presbyterium venerunt Maximus, Sidonius, Urbanus & Macarius, & pleriq; fratres, qvi ſe eis adjunxerant, ſummis precibus deſiderantes, ut in oblivionem cederent ea, &c. Qvod erat conſeqvens: Omnis hic actus populo fuerat inſinuandus, ut & ipſos viderent in Eccleſia conſtitutos, &c.*

Modus recantandi ætate Cypriani.

Eorundem Coætaneus *Dionyſius Alexandrinus* apud Euſebi-
31 um lib. VII. cap. 7. de Anteceſſore ſuo *Heracla* ait: *Proditos, qvod ad heterodidaſcalum acceſſiſſent, ab Eccleſiâ pepulit, nec deprecantes*

qvi-

qvidem admiſit, NISI publicè cuncta expoſuiſſent, qvæ audierant ex Adverſariis.

Synodus Laodicena, ante Nicænam Magnam, ut fertur celebrata, *Can. 7 & 8. de his qvi revertuntur ab hæreſi Novati, Sabellii, Qvartadecimanorum, & Cataphrygum* præcipit: *ut anathematizent omnes hæreſes, præcipuè eam à qva revertuntur.* 32

Pſeudocanonas XXXVI. & XXXVIII. Concilii Magni Nicæni, ex editione *Alphonſi Piſani*, etſi planè idem definientes, non allego. Concilium Arelatenſe ſecundum, *Anno Chriſti CCCXXVI.* ut vetus inſcriptio habet, ex *Binii* autem ſententia ſub *Siricio* celebratum *Can 9.* ſanxit: *Novatianum in communionem recipi non debere, niſi ſuceptâ pœnitentiâ incredulitatis, præteritum DAMNET ERROREM.* 33

Notisſimus eſt proceſſus *Synodi Magnæ Epheſinæ* cum Neſtorio Conſtantinopolitano Patriarcha, hæreſeos inſimulato. *Epiſtola Synodi* ad ipſum ſcripta & recantandi ſpacium determinans *apud Binium fol. 151.* ſic habet: Cæterùm minimè ſufficiet, ſi Reverentia tua ILLUD TANTUM FIDEI SYMBOLUM, qvod pro illo tempore in magna illa Synodo, qvæ in Spiritu Sancto in Urbe Nicæa qvondam convenit, expoſitum eſt, nobiscum confiteatur (οὐκ ἀρκέσει τῇ σῇ Εὐλαβείᾳ, τὸ συνομολογῆσαι μόνον τὸ τῆς πίστεως σύμβολον, τὸ ἐκτεθὲν κατὰ καιροὺς, παρὰ τῆς ἁγίας καὶ μεγάλης συνόδου κ.τ.λ.) *Verùm, præter hoc etiam oportet, ut* (ἐγγράφως καὶ ἐνωμότως) *ſcripto & qvidem juratò confitearis, & anathematizes, publiceq; abjures, qvæ profanè & ſcelestè hactenus ſenſiſti alioſq; docuiſti: Ea verò poſthac Te ſenſurum & docturum ſanctè pollicearis, qvæ & Nos & cæteri omnes, qvotqvot vel in Occidente vel in Oriente vivunt Epiſcopi, Doctorum ac populorum Duces, ſentimus, &c.* 34 *Palioodia à Neſtorio poſtulata.*

Et poſt recitatum Symbolum, ac propoſitam doctrinam de *unione perſonali & communicatione Idiomatum*, in theſi; ſub finem 35

Epiſtolæ repetunt poſtulatum ſuum: His omnibus & Tuam Reverentiam ſubſcribere opportet,& aſſentire citra omnem fucum aut dolum: συνθέσθαι δίχα δόλου παντός. Germani dicerent; Treulich ſonder alle Gefehrde. *Quæ verò neceſſaria ſunt ut execretur & anathematizet Tua Reverentia, ea noſtræ huic Epiſtolæ in hunc modum hoc loco ſubjiciuntur, &c.* Et ſeqvuntur XII. Anathematiſmi Cyrilli, præſcripti Neſtorio, ut, ſi pacem cum ipſis cupiat, ſimiliter eadem execretur, *qvæ XII. illis Anathematiſmis* exploduntur.

36 In *Chalcedonenſi Synodo* publicam Recantationem ab *Eutyche & Dioſcoro* ſæpius atqve iterum poſtulatam, eaqve cum denegata fuiſſet, Hæreſiarchas hos excommunicatos fuiſſe ſolenni excommunicatione, omneſqve pariter, qvi ſolis de Religione colloqviis iis adhærerent, notisſimum eſt ex actione I. illius Concilii apud *Binium* Tom,II. parte I. Atqve inter alias cauſas, qvibus Flavianus Archiep. Conſtantinopolitanus Eutycheti Palinodiam perſvadere nitebatur, etiam hæc erat fol. apud Binium 83: *Homines ſumus: Pœnitentia non adfert confuſionem, ſed permanere in peccato opprobrium eſt. Sicut enim vermis conſumit lignum, in qvo naſcitur, ita & peccatum permanens in faciente illud. Accedat igitur ad Synodum Eutyches, Et confitenti delictum, & anathematizanti dabimus pro præteritis veniam: De futuris autem Nos & Sanctam Synodum muniet, Qvod conſona Expoſitionibus SS. Patrum ſapiat, & præter has neq; docere poſtmodum aliud velit, neq; aliud in præſentia aliorũ diſſerere. Hoc decet* οὕτοχρῆ.

37 Ambroſius in Pſ.CXVIII. Serm.8.verſ.2: *In Eccleſia*, inqvit, *Ubi maximè miſereri decet, teneri qvàm maximè debet juſtitiæ forma, ne qvis à communionis conſortio abſtentus, BREVI LACRYMULA ad tempus parata, aut etiam uberioribus fletibus, qvod plurimis debet poſtulare temporibus, facilitate Sacerdotis extorqveat. Nonne uni indulgens indigno, multos ad prolapſionis contagium provocari facit? Facilitas enim Veniæ, incentivum tribuit delinqventi: ut ſciamus, ſecundum Dei verbum & rationem diſpenſandam eſſe debitoribus miſeri-*

ricordiam. Medicus,ſi ſerpentis interius inveniens vulneris ſaniem, cùm reſecare debeat ulceris vitium ne latius ſerpat, à ſecandi tamen urendiq́; propoſito lacrymis inflexus ægroti, medicamentis tegat qvod ferro fuit aperiendum; nonne inutilis miſericordia eſt, ſi propter brevem inciſionis & exuſtionis dolorem corpus omne tabeſcat,vitæ uſus intereat? &c. Plura hujus argumenti de ſcandaloſis non facilè in gratiam recipiendis legas apud *Eſſencæum in Cap. III. ad Titum, ad verſum 10.*

Modum & formam *Recantandi pro Arianis*,præſcribunt Antiocheno Patriarchatui *Athanaſius* & Socii ex Alexandrina Synodo,*in Epiſt. ad Antiochenos Tom.I.Opp. Græcolat fol.447.* nec non ad Ruffinianum Tom.2.fol.47. qvæ Palinodia conſiſtebat,(1) *in confeſſione erroris* (2) *apertâ execratione Arii*: (φανερῶς ἀναθεματιζέτωσαν), & deniqve (3) *confeſſione Nicænæ fidei.* 38

Aurelius, Alipius, Auguſtinus, Evodius & Poſſidius, apud Aug. Ep. XCV. Innocentio Papæ Romano, de latere in Urbe Pelagio ſic ſcribunt: *Anathematizet ergo Pelagius ſcripta ſua,ubi contra gratiam, ſi non per contumaciam,tunc per ignorantiam diſputat. Aut ſi ſua eſſe negat,anathematizet ea tamen & damnet, paternâ exhortatione & autoritate ſanctimoniæ tuæ. Si vult; Ergo oneroſum ſibi,& pernicioſum Eccleſiæ diſcat ſcandalum auferre,qvod ſcandalum Auditores & in perverſum dilectores ejus usq́; qvaq́; ſpargere non qvieſcunt.* 39

Approbat hoc poſtulatum ſeq. Epiſtolâ *Innocentius*, qvem *more ſuo ſævum potius qvàm eruditum, & ad damnandum qvàm ad docendum inſtructiorẽ hic ſe dare,* Roterodamus immeritò cenſet. Reſpondet enim, *ſibi non conſtare,habeat Roma Pelagius nec ne: Accerſi autẽ à vicinis Afris citius è Palæſtina poſſe qvàm à ſe. Poſſe etiam abſentẽ ea damnare,qvæ objiciebantur; ac datis literis,erroris ſui veniã poſtulare,ut regreſſum ad nos decet. Anathematizet ergo iſta qvæ ſenſit,ut illi,qvi ſermonibus ejus præceptisq́; fuerunt collapſi,qvid tandẽ habeat fides vera, cognoſcant. Faciliùs enim revocari poterunt,cùm iſta ſuo ſenſerint Autore damnari. Qvod ſi ille pertinaciter in hâc voluerit impietate perſiſtere; agendum eſt,qvaliter vel iis poſſit ſubveniri, qvos non* 40

non ſcelus hūc, ſed magis error induxit: nec & illis hac medicina pereat, cujus iſte talem non admittit nec poſtulat curam.

41 Idem Innocentius Epiſt. XXV. apud Auguſt. XCII. de Pelagianorum tùm ejectione tùm receptione conditionatâ: *Avellendi* ait, *ſunt longius & ab Eccleſiæ procul viſceribus removendi, &c. Diu enim in hac impunitate verſati, multos neceſſe eſt in hanc pravitatem inducant, decipiantq; innocentes vel potius imprudentes, qvi putabunt eos rectè ſentire, qvos adhuc in Eccleſia viderint perdurare. Separetur à ſano corpore vulnus inſanum grex purior ab hac mali pecoris contagione purgetur, &c. Qvi tamen, ſi tandem aliqvando de hac Tabe liberentur, qvaſi in lucem de fæda tracti caligine, &c. DAMNENT HÆC, qvæ hucusq; ſenſerunt, & animum rectis Diſputationibus accommodantes, correcti, veris ſe ſanandos conſiliis tribuant atq; ſubmittant; ERIT IN POTESTATE PONTIFICUM iis aliqvatenus ſubvenire, &c.*

Noxa dilatæ cenſura.

42 Idem ſeq. Epiſt. XXVI. (Auguſtino XCIII) primùm excommunicat Pelagium & Cœleſtium, omnesqve iis adhærentes, eosq; defendentes, *non ſolùm facientes ſed & facientibus conſentientes, Rom. 1. Qvia non multum intereſt, ait, inter committentis animum, & conſentientis favorem: Et errare plerumq; dediſcit, cui nemo conſentit. Abſint ab atriis Domini: careant cuſtodia Paſtorali, ne duarum ovium* (Pelagii & Cœleſtii.)

Dira per incautum ſerpant contagia vulnus:

rapaxq; lupus lætetur tantas ovium catervas, dum à cuſtodibus DISSIMULATUR Duarum vulnus, eſſe fuſas. Proſpiciendum, ne lupos permittendo, Mercenarii magis videamur eſſe qvàm Paſtores.

43 Mox de conditione recipiendi has Duas oves: *Jubemus ſane,* (inqvit) *qvia Dominus propria voce ſignificavit, nolle ſe mortē morientis, ſed tantùm ut revertatur & vivat; Si unqvam ſani, depoſito pravi erroris dogmate reſipuerint; DAMNAVERINTQVE ea, qvorum ſe prævaricatione damnabant; ſolidam eis medicinam non negari. Ne, dum eos redeuntes forſitan prohibeamus, extra ovile manentes expectantis hoſtis rabidi faucibus glutiantur.*

Eodem

Eodem ſeculo *Leo Papa* peculiari ſerm. *de Vitandis hæreticis* inſcripto, multa de obligatione vitandi & deſerendi eos præfatus, poſtea de conditione eosdē recipiendi ait: *Qvosdam ergo, qvi rebus impiis conſenſum præbuerant, reconciliationem repoſcentes & Catholicorum communionem deſiderantes ſic exaudivit Eccleſia, ut correctis, & ERRORES PROPRIA SUBSCRIPTIONE DAMNANTIBUS, pacis gratia tribueretur.* 44 *Leonis P. ſent. de Palinodia.*

Idem Leo Epiſt. XL: Communionis cupidos ſic admiſſos ait: *Qvatenus plenis ſatisfactionibus malè geſta condemnarent, & ut digno PRIUS anathemate contra fidem Catholicam recepta damnarent.* Iterum Leo Epiſt. XLI: *Qvi ſe deceptos doleant, & DAMNATA cum Autoribus ſuis perfidiâ gratiam communionis noſtræ expoſcant, nos libenter accipimus, reddituri eis qvam deſiderant communionem, cùm promiſſa compleverint.* 45

Eodem ſeculo Qvinto, *Gelaſius*, XXX annis Leone poſterior indignatur Proceribus Conſtantinopolitanis, *qvod communicarent Acacio heterodoxo & nondum reconciliato*, in commonitorio ad eos miſſo, qvæ *eſt Epiſtola V. apud Binium fol. 470.* ex qva petitus *eſt Canon. 2. 24. q. 2: Veniam ſibi dari proponunt? Legatur, ex qvo eſt religio Chriſtiana, vel certè detur exemptum in Eccleſia Dei, à qvibuslibet Pontificibus, ab ipſis Apoſtolis, ab ipſo deniq; Salvatore veniam NISI SE CORRIGENTIBUS fuiſſe conceſſam! Auditum enim ſub iſto cælo nec legitur omninò, nec dicitur, qvod eorum voce depromitur: DATE VENIAM NOBIS DUM TAMEN NOS IN ERRORE MANEMUS, &c. Oſtendant, qvibus hoc Canonibus, qvibus Regulis, qva lectione, qvove documento, ſive à Majoribus noſtris, ſive ab ipſis Apoſtolis, ſive ab ipſo Salvatore hoc factum eſt unqvam? &c. Mortuos ſuſcitaſſe Chriſtum legimus: in errore mortuos abſolviſſe non legimus.* 46 *Gelaſii I. provocatio ad perpetuam legem Chriſti.*

In Decreto *Gratiani 1 q. 7.* duo Canones ex Epiſtola *Leonis Magni ad Januarium* Epiſcopum Aqvilegienſem citantur, & Tertius ex *Concilio Martini Papæ, qvi ſcripto exhiberi, & ex ſcripto prælegi palinodias* volunt. Canon IV. ex Synodo Oecum. VII. ait: *Conſtitutio Eccleſiaſtica canonice à ſanctis Apoſtolis, & ſucceſſoribus eorum, & Sanctis Univerſalibus ſex Synodis tradita habet: Ut, qvi ab aliqva* 47 *Iterum Leonis I. & aliorum.*

 hæ-

Digitized by Google

hæreſi revertuntur ad Orthodoxam fidem, SCRIPTO *negare debeant hæreſin ſuam, & confiteri Catholicam fidem.*

48 Can.XX: *Donatum autem Salicinenſem ex Novatiano cum ſua plebe converſum, ita Dominico volumus gregi præſidere, ut* LIBELLUM *fidei ſuæ ad Nos meminerit dirigendum, qvo & Novatiani dogmatis damnet errorem, &* PLENISSIME *confiteatur Catholicam veritatem.*

49 Can.XXI: *Saluberrimum enim, & ſpiritualis medicinæ utilitate pleniſſimum eſt, ut ſive Presbyteri, ſive Diaconi, aut cujuslibet ordinis Clerici, qvi ſe correctos videri volunt, atq; ad Catholicam fidem, qvam pridem amiſerant, rurſum reverti ambiunt; prius errores ſuos & ipſos Autores errorũ damnari à ſe* SINE AMBIGUITATE *fateantur, ut ſenſibus etiam pravis peremptis, nulla ſperandi ſuperſit occaſio, ne ullum membrum talium poſſit ſocietate violari, qvum per omnia illis Profeſſio propria cœperit obviare.*

50 Can.XXII: *Si qvis Epiſcopus, ſive alicujus Epiſcopi Presbyter aut Diaconus in alicujus hæreſis opinionem offenderit, & ob hanc cauſam fuerit excommunicatus, Nullus Epiſcopus eum in communionem recipiat, niſi prius in communi Concilio,* PORRECTO *prius fidei ſuæ* LIBELLO, *ſatisfaciat omnibus, & ita liberam teneat purgationem. Hoc idem & de fidelibus Laicis ſit decretum, ſi in aliqvâ hæreſis opinione fuerunt* NOMINATI.

51 *Vigilii rigor.* Qvantum *Juſtinianus* Auguſtus, ejusqve conjux Auguſta, in *Vigilio Romano* laborarint, ut *Anthimum Eutychianum*, à Deceſſoribus Romanis Epiſcopis excommunicatum reciperet, *Cedrenus & Zonaras* prolixè commemorant. Extat Vigilii Epiſtola ad Mennam Conſtantinopolitanum Anno Chriſti DXL. ſcripta. *Tom.II. Concil.parte 2.fol.6.apud Binium*, de receptione Anthimi ſic habens: *Hoc per omnia reſervantes, ut ſi vel eorum vel qvorumlibet errantium, qvaſi agnita fidei Catholicæ veritate pœnitentiam agens, reverti voluerit, & hæreſis in qvâ volutatur errore concepto,* SCRIPTURÆ QVOQVE PROFESSIONE *univerſam errorum ſuorum ac* COMPLICUM *damnaverit pravitatem, & Apoſtolicæ ſeqvens inſtituta doctrinæ,* ANATHEMA *dixerit ei, qvi vel prædictas IV. Synodos*

in

n fidei cauſa non ſeqvitur, vel b. recordat. prædeceſſoris noſtri Leonis conſtituta in omnibus non confitetur, &c. tunc communionis noſtræ, ſub Apoſtolicâ & Canonica ſatisfactione ageretur.

In Decreto Gratiani d. c. 1. q. 7. *Can. Qvoties 9. ex Gregorio Magno* præſcribitur *jurata formula Recantationis ſcripto exhibenda* ab Epiſcopo & Clericis, ſi qva in hæreſin lapſi fuerint: cujus extrema clauſula poſt jurisjurandi præmiſſam formulam: (*Jurans dico per Deũ Omnipotentẽ, & hæc ſancta qvatuor Evangelia, quæ manibus teneo, &c.*) deſcribit ſolennitatem ſcripturæ extradendæ his verbis: *Hanc autem profeſſionis, promisſionisq; meæ Chartulam, Notario illi, cum conſenſu Presbyterorum & Diaconorum atq; Clericorum, qvi me in hac unitate obligantes, in ſupra ſcriptis omnibus pronâ ſimul voluntate ſecuti, atq; propriis manibus ſubſcripturi ſunt, ſcribendam dictavi, & propria manu ſubſcribens Tibi N. tradidi: Actum in loco N. die N. & conſulibus ſupra ſcriptis. Ego N. Epiſcopus civitatis N. huic confeſſioni promisſioniq; meæ, præſtito de ſupra ſcriptis omnibus ſervandis Sacramento ſubſcripſi.* 52 *Abjuratio hæreſeos.*

53 Seqviorum ſeculorum ſtatuta non allego, videnda apud *Magdeburgenſes & Binium, ll. dd.* Et optandum qvidem nec minus æqvum erat, Hunc ſatisfaciendi modum non exigi ſolùm, ſed etiam impetrari poſſe ab omnibus heterodidaſcalis. Neqve negari debet, cum aliqvando, ubi manum fecerint Novatores, neceſſarium eſſe, nempe: ut per ſignũ externũ, qvale eſt publica palinodia, conſtet ſeductis, fluctuantibus, meliora præſumentibꝰ, & multò benignus de hæreſi perſvaſis, uti *Euſebius & Theognis, Innocẽtius & Leo* paulò ante de ſeductis hæreticorum fautoribus pronunciabant, ut his inqvam, conſtet: *Qvòd ſeductor omninò graviter erraverit, & ſeriò doleat.* Ne ſimpliciores & Idiotæ errores iſtos, & pravas opiniones de Religione parvipendant, & ſenſim ad impietatem, aut fanaticarum de Deo & rebus divinis imaginationum indifferentiam prolabantur: Deniqve ut ſcandalum publicè datum publicè etiam aboleatur ex hominum animis.

Certæ enim atq; immotæ qvidem veritatis eſt: Heterodidaſcalũ in foro cõſciẽtiæ nõ abſolvi à debito expiandi delictum, pro qva- 54

Digitized by Google

litate & qvantitate ſcandali dati,etiamſi ad majora incommoda avertenda,ſatisfactio etiam juſta ei ab hominibꝰ aliqvando condonetur & remittatur: Qvemadmodum Latro nunqvam abſolvitur ab obligatione reſtituendi,etiamſi ſpoliatus rem ablatam non repetat.

55 Certũ: non ſolùm confeſſionem ſed etiam deprecationem datorum ſcandalorum publicorum,eſſe præcepti divini,uti exemplis *Achaonis,Saulis & Davidis conſtat. Jerem.III: Saltem à modo voca me Pater meꝰ,&c.ſum miſericors,veruntamen agnoſce iniqvitatem tuam,&c.* Ubi legendus Hieronymus:*Erubeſcãt*,inqvit,*hæretici, qvi nolunt ad meliora reverti,& audiant : Saltem à modo voca me,Pater meus,&c.* Neqve Paulus Apoſtolus admittebatur ad communionem Eccleſiæ Ieroſolymitanæ,anteqvam ſe ſufficienter purgaſſet de hæreſi Phariſaicâ Act.IX,26. ſeqq.

56 Immotum deniqve & notorium eſt præceptum divinum,de honore Deo tribuendo & confuſione noſtra ſponte ſubeunda, qvoties publicum ſcandalum dedimus.*Volo,ut Mirjam ſeptem diebus ignominiam ferat,ac ſi pater in faciem ejus expuiſſet, anteqvam recipiatur in communionem. Num.XII,15. Tibi juſtitia, nobis autem confuſio faciei. Dan.IX.*

57 Veruntamem,qvum præceptum ſit affirmativum,reqvirens ad exercitium & executionem ſui, temporis etiam opportunitatem,loci,& perſonarum ; hinc fit,ut Confeſſio & Deprecatio etiam publica,aliqvando fiat realiter,& tacitè qvoad verba revocatoria aliqvando expreſsè , tùm qvoad publicam expreſsionem vocum palinodicarum,tùm qvod ad realem demonſtrationem abſtinentiæ à priſtino ſcandalo,ſive in vita,ſive in doctrina dato attinet.

Palinodia realis & verbalis.

58 Revocatio realis & tacita dici poterit, qvando dictum vel factum commiſſum damnatur per abſtinentiam evidentem ac notoriam,ab heterodidaſcalia vel ſcandalo,ſive per non repetitionem ejus: additamqve ſtipulationem, de non iteranda , devitanda occaſione,loco,tempore,annexis illi ſcandalo , qvod qvis-

Digitized by Google

qviſqvam dedit: *Expreſſa*, qvæ voce publicâ, ſive propriâ ſive vicariâ profertur. Ita *Aaron* publicè qvidem legitur excuſaſſe miniſterium ſuum, qvod Idololatriæ commodaverat; at deprecatꝰ eſt & revocavit tacitè, per abſtinentiam ab idololatria, & per publicam doctrinam & exercitium veri cultus. Exodi XXXII, 22. 25. ſeqq.

Publica etiam Recantatio ſumitur duobus modis, ſive de Reali & tacita, ſive de Verbali palinodia intelligatur. Publicum & publicè fieri dicitur, qvod ſive coram Eccleſia repræſentativa, id eſt, coram Presbyterio exhibetur; ſive etiam qvod coram Eccleſia collectiva ex Paſtoribus & Auditoribus cujusvis Eccleſiæ Particularis, unius ſive plurium agitur. *Publicè factum dicitur, qvod coram legitimo judice fit*, & judicialia acta inducunt notorium, faciunt publicum. *gl. in c. Manifeſta. 2. q. 1.* Navarrus *Enchirid. c. 27. &c.* 59 *Publicè fieri, qvid.*

60 Hoc ſenſu ſupra dicebat Cornelius Romanus in Epiſt. XLVI. ad Cyprianum: *Maximum Presbyterum* & Socios ad Novatianam hæreſin prolapſos, indeqve reverſos *revocaſſe in Presbyterio; conſeqvens autem fuiſſe, ut oſtenderentur plebi in Eccleſia, qvod iterum recepti eſſent.* E. non revocarunt coram plebe, ſed oſtenſi ſolum ſunt plebi, qvod Paſtoribus modis idoneis ſatisfeciſſent.

61 *Diſcrimen errantium.* Subjectorum qvoqve, ſive perſonarum à qvibus exigitur Recantatio, diverſa habenda eſt ratio. Qvidam enim (1) inter notorios hæreticos, cultu, profeſſione, templis, communione Sacramentorum, ab Eccleſiâ publicè ſeparatos nati & educati ſunt, iiq; (2) vel Doctores, qvi hæreſin publicâ doctrinâ defenderunt, vel (3) Idiotæ, qvos *credentes hæreticorum* appellare ſolemus. Qvidam (4) Apoſtatæ ſunt mente & cultu externo ſimul, & in cœtibus hæreticorum communicant: (5) Qvidam Apoſtatæ mente tantùm, notorii tamen ex ſignis, qvia cum Orthodoxis non communicant, neqve etiam cum heterodoxis, eò, *qvòd communionem per Symbola* ſive Sacramenta, & per aggregationem ad publica ſacra, non neceſſariam putant, *ad communionem internam* cum Sanctis & Electis ſive obtinendam ſive retinendam. Qvalem Sectam *Hugo Grotius*

nuper facere conatus eſt, in qva etiam expiravit. (6) Qvidam ſunt heterodoxi mente & opinione tantùm; Qvidam (7) mente & profeſſione ſimul, qvi tamen in externa communione Orthodoxæ Eccleſiæ tantiſper manent, donec de iis, vel excommunicandis, vel ſuſpendendis, in judicio competente ſtatuatur.

62 *Errantes de ſilentio tenendo.*

(8) Ipſi deniqve heterodoxi in Eccleſiæ viſibili communione tantiſper hærentes, aut laborant falsâ opinione circa verum & falſum dogmaticum; aut dogma qvidem verum approbant, ſed laborant errore *circa tolerantiam dogmatum* heterodoxorum, qvæ tolerantia ipſorum judicio, conſiſtat ſive in ſilentio, & nõ contradicendo heterodoxiæ, vel reali tolerantia heterodoxorum in cætu & communione Orthodoxorum, etſi cum contradictione & Refutatione heterodoxiæ: Qvemadmodum *Meletius Thebaidis Epiſcopus* dogma Arii non approbabat, ſed refutabat; *& primus erat, qvi Arii heterodoxian Petro Alexandrino detegebat*; Noxam tamen Ariani dogmatis non putabat tantam, ut Arius & Socii Communione propterea excludendi eſſent, apud *Epiphan. hæres. LXVIII.* Qvẽadmodũ in cætu Romanæ Eccleſiæ ſuperiore ſeculo tolerati ſunt *Ambroſius Catherinus Compſæ Epiſcopus, Dominicus Soto Segobienſis Epiſcopus, Cardinalis Cajetanus, Conradus Clingius, Eraſmus Roterodamus, Didacus Stella, Joannes Gropperus, Georg. Wicelius, Albertus Pihgius, Ruardus Tapperus, Joannes Heſſelius à Lovanio, Michael Bajus, Theologi Lovanienſes, Georgius Caſſander, Claudius Eſpencæus*, aliiq; innumeri, qvorum ſcripta vel inter *libros prohibitos*, vel inter *libros expurgandos*, publicâ Pontificis Romani ſententiâ rejecti ſunt, hodieqve à Polemicis partis Pontificiæ *hæreticarum propoſitionum*, ſed non formalis hæreſeos accuſantur. Et qvemadmodum Calviniſtæ & Arminiani hodie multos, opinione privatâ & publica Sectæ Calvini neqvaqvam deditos, ad ſacra tamen ſua admittunt: legeqve publicâ *Charentoni anno M DCXLI.* ſancitum eſt: ut Lutherani *citra revocationem ſuæ ſententiæ*, ad Synaxin Hugonottorum admittantur.

63 Priores V. Claſſes, qvia publicum ſcandalum dederunt, & corpore extorres facti ſunt ab Eccleſia, *ad Realem & verbalem* Recan-

cantationem meritò tenentur: nam dolus ſemper de talib9 præſumitur, qvòd int9 ſint lupi rapaces M. 8. ergo qvovis modo explorãdi ſunt. Modus a. ſive tolerandi & permittendi, ſive recipiẽdi & recõciliandi poſteriores Tres Claſſes, pro diverſâ qvalitate perſonarũ, locorum, & temporum, haud immeritò committitur prudẽtiæ & arbitrio Eccleſiæ, in qva tales latent, vel ad qvas externã communione ſe recipere ſatagunt. Namqve etiam jure civili *ad arbitrarias judicum ſententias* ſpectat, Maledicis *vel Recantationem imponere*, vel Palinodiam *convertere in judicialem Declarationem, aut Chriſtianam Deprecationem, qvæ non infamat.* Ut poſtea pluribus oſtendetur.

Cùmqve hæc ſigna pœnitentiæ, remedia ſint, tùm extinctiva vitii, tùm prophylactica adverſus recidivam; à prudenti Medico ſic adhibenda erunt, ne ſive qvantitate plures, damnum æqvale vel etiam majus inde contrahant aut ſentiant, ſive qvalitate majus damnum ab executione juris probabiliter timendum veniat; ubi ſcãdaloſus peccator, qvi facto qvidẽ ipſo deſiſtit à ſcãdali continuatione, aut deſtiturũ ſe pollicetur, ſi publica confeſſio & deprecatio ei fuerit remiſſa; nullo modo permittitur in communione noſtra ultra vivere, ſed arcetur ab eâ & expellitur. Hanc ipſam enim ob cauſam ſuſpenſio & moderatio non qvidem effectuum correptionis fraternæ, ſed ſignorum, per qvæ effectuum actualis exiſtentia publicè innoteſcere ſolet, arbitrio illi9 Eccleſiæ, in qvâ ſcandalum excitatum fuit, *per Canones Laodiceni, Ancyrani & Nicæni Concilii ſupra allegatos* committebatur. Eccleſia enim tanqvam adminiſtratrix myſteriorum & judiciorum Dei, noverit etiam hujus θεραπείας σιτομέτριον juſto tempore & menſurâ ſingulis impertiri, Lucæ XII, 42. 64

Agnitionem qvidem erroris aut delicti, illiusqve ſigna oportet eſſe in comperto, anteqvam qvis habeatur pro lucrifacto, aut permittatur manere in communione, vel redire ad communionem publicam, à qva fortè ſuſpenſus erat; At confeſſionis publicæ & deprecationis ſigna publica, poſitiva, evidentia & ſenſi- 65

bi-

Digitized by Google

bilia paſſim omnibus, præter illa ſigna qvaſi privativa, qvæ ex abſtinentia & non continuatione peccati eluceſcunt, poſſunt aliqvando remitti, ad malum in proportione majus præcavendum vel avertendum.

66 Ratio in propatulo eſt: Primò enim doctrinæ ſcandala haud dubie veniunt ſub figura *Zizaniorum Matth.XIII,41.* Et publica exomologeſis, publica deprecatio, Revocatio, Recantatio talium, ſine dubio habendæ ſunt inter *inſtrumenta evellentia iſta Zizania*: Itaqve, ob qvem finem præceptum eſt, ut permittatur ſcandalis ipſum etiam incrementum; ſcil. ne damnum majus fiat: ad eum finem obtinendum licitum ſaltem erit, ut omittatur publica jactantia & oſtentatio inſtrumentorum evellentium, qvalia ſunt: publica exomologeſis, deprecatio, Recantatio: qvando Zizaniorũ incrementũ aliis etiã mediis ſiſti & impediri poteſt. Impeditur autẽ ſubtractione ſoli, ſucci, radicis, id eſt, ſtipulatione abſtinendi à continuatione ſcandali, ſive ab incrementis & fomentis Zizaniorum ſeu ſcandalorum. Ergo ad cavendum incrementum ſcandali, poteſt abſtineri ab hac ſaltem adjuvãte cauſa evulſionis.

67 Deinde, ob qvam cauſam non ſolùm licet ſed etiam oportet totum officium correptionis fraternæ omittere, ob eam ſaltem licebit omittere qvædã ſigna & notas probabiles producti effectus ex officio correptionis fraternæ: Sed ad evitandum malum ſive in qvalitate, ſive in qvantitate & dilatatione majus, non ſolùm licet ſed etiam oportet omittere totum officium correptionis fraternæ, ut ſupra §. XI. de tempore & oportunitate correptionis oſtendi, qvando Tyrannus, vel Latro, vel Homicida, vel Adulter, vel qvivis alius Maleficus per correptionem meam probabiliter putatur magis irritandus & inflammandus ad nocendum animæ ſuæ, vel aliorum, famæ, fortunis, corpori, &c. Tunc oportere omitti correptionem, cujus finis principalis eſt lucratio animæ peccatricis: Ergo ob eandem cauſam, ſcil. ad vitandum majus malum, ad præcavendam continuationem & freqventationem ſcandali, pertractionem aliorum in partes, diſſidia, factiones avertẽdas, ſaltem licebit aliqvando omittere qvædã ſi-

gna

gna & notas effectus correptioni fraternæ proprii , qvalia ſigna
ſunt, Publica deprecatio, Recantatio : *frater peccavi, pœnitet me,*
Remitte mihi Luc. XVII, 3.

Tertiò: Nullius præcepti Dominici finis principalis ne- 68
gligi debet, ob non aſſecutionem , ſive non concomitantiã, & a-
miſſionem finis minus principalis: At præcepti Dominici finis
principalis eſt lucratio animæ fraternæ, Matth. XVIII, 15. minus
principalis eſt popularis innoteſcentia publicorum ſignorum e-
mendationis actu ſecutæ; Ergo, ubi emendationem fratris impe-
trare poſſum, non licet eum negligere ob pudorem Revocandi
publicè.

Qvarta ratio ſumitur à pari. Qvemadmodum reliqvæ ſpe- 69
cies ſatisfactionis Canonicæ aliqvando remitti & omitti ab im-
ponentibus poſſunt, ubi cum majore incommodo qvàm commo-
do publico, ſive Eccleſiæ exiguntur, & Realis emendatio, ſive ab-
ſtinentia à priſtino vitio habetur pro ſatisfactione: ita nihil ob-
ſtat, ne & hæc ſpecies aliqvando remittatur.

Qvod de primo & ſecundo gradu correptionis fraternæ us- 70
qve adeò verum eſt, ut frater corripiens, & adhibiti teſtes, qvin &
ipſe Sacerdos pœnitentiarius, ſi de emendatione peccati occulti,
ſigna publica à fratre correpto petant vel ſtatuant; proditores
potius futuri ſint fratris corripiendi, qvàm Correctores ; Si, in-
qvam, Notas emendationis in oculos vulgi incurrentes à fratre
correpto, & abſtinente à priſtino peccato, flagitaverint.

De Tertio gradu correptionis fraternæ, ſive de effectu cor- 71
reptionis *Paſtoralis*, non minus verum eſt, & in confeſſo apud o-
mnes Caſiſtas: (1) pro delicto occulto non licere ſacerdoti, ut
imponat publicam ſatisfactionem, præſertim talem, ex cujꝰ qva-
litate delicti qvalitas poſſit innoteſcere. (2) Neqve pro delicto
publico ſatisfactionem exigendam eſſe ab eo, de qvo probabilis
metus eſt, ut propter tædiũ hujꝰ ſatisfactionis corrigatur ipſe ap.
ſe, & abſtineat ab iteratione vel continuatione delicti; Aut v. ne
tùm ſibi tùm aliis majori noxæ ſit, niſi ſatisfactio remittatur, vel
ſanè differatur.

Digitized by Google

Hac ratione enim omnia omninò ſigna veræ obedientiæ, vel ſaltem plæraqve eludi contingat, cùm per naturam nemo ad mortificationem carnis inclinetur; ſed qvisqve putet, palinodiam commiſſi erroris, aut publicam pœnam flagitii ſibi eſſe ignominioſam.

Conſentit autem limitationi noſtræ ſupra poſitæ jus Pontificium *de pœnitentiis & remiſſionibus*. Sic enim ad Epiſcopum *Livoniæ, non ita pridem ad fidem Chriſtianam reductæ*, Innocent. *III. Cap. Deus qvi.8 : Cùm pœnitentia non tam ſecundum qvantitatem exceſſus, qvàm pœnitentis contritionem, per Diſcreti Sacerdotis arbitrium ſit moderanda; penſatâ qvalitate perſonarum, ſuper fornicatione, adulterio, homicidio, perjurio, & aliis criminibus; conſideratis circumſtantiis omnibus, & præſertim novitate Livonienſis Eccleſiæ, competentem pœnitentiam delinqventibus imponatis, prout ſaluti eorum videritis expedire: Apoſtoli autem veſtigiis inhærentes dicentis*: LAC VOBIS POTUM DEDI, NON ESCAM; *paulatim eos inſtruatis in fide: Confeſſionis formam, Orationem Dominicam & Symbolum ſollicitè eos edocentes. Interim tamen corporis & ſangvinis Dominici Sacramentū Renatis fonte* Baptiſmatis, conſvetis feſtivitatibus, *& in mortis articulo tribuatis.* 75 *Palinodiæ impoſitio cadit ſub arbitrium judicis*

Antiqvior Canon, qvem *Gratianus C. menſuram 86. de pœnit. diſt. I.* Hieronymo tribuit, (Beatus Rhenanus *ad Tertull. de pœnit.* in Antiqvo pœnitentiali ſe eum legiſſe ſcribit:) qvemqve *Concilium Metenſe* Anno DCCCLIX. cap.10. repetit, ait: *Canones ideò non præſcribere menſuram pœnitentiæ pro unoqvoq; crimine, ut de ſingulis dicant, qvomodo ſit emendandum, ut magis in arbitrio Sacerdotis intelligentis illud relinqvendum ſtatuant.* Et hoc eſt, qvod paulò ante ex Decretis Concilio Nicæno antiqvioribus oſtendebamus. 76

Hac eâdem de cauſa Gregorius M. in Epiſtola *ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum*, cujus partem etiam Gratianus Decreto ſuo infarxit *Can. finali Diſt. IV.* ſcribit: *Hæſitare ſe, An Qvadrageſimale jejunium à die Dominica Qvinqvageſimæ incipiendum ſit, cùm omnes Laici & ſeculares illâ die plus ſolitò cæteris diebus, accuratius cibos carnium appetant, & non niſi novâ qvâdam aviditate ſe ingurgitent,* 77

 &c.

Digitized by Google

&c. Unde, inqvit, *nec à tali conſvetudine averti poſſint: Et ideò* (addit) *cū veniâ ſuo ingenio relinqvendi ſunt, ne fortè pejores exiſtant, ſi à tali conſvetudine prohibeantur.*

78 Gregorio Magno ducentis penè annis prior *Innocentius I.* Auguſtini σύγχρονος, allegatâ *Epiſtola XCII.* apud Auguſtinum, de Recantatione Pelagii & Cœleſtii hæreſiarcharum ait: *Si damnent hæc, qvæ hucusq; ſenſerunt, & animum rectis diſputationibus accommodantes veris ſe ſanandos Conſiliis tribuant atq; ſubmittant; erit IN POTESTATE Pontificum, iis aliqvatenus ſubvenire, & talibus curam præſtare vulneribus, qvam ſolet lapſis reſipiſcentibus Eccleſia non negare, &c.*

An publica anathematizatio erroris, de qvo qvis ſuſpectus eſt, aliqvando poſſit remitti

79 Patet a. Canones hos loqvi nō ſolùm de remittendâ aliqvādo Cōfeſſione & Deprecatione publica vitiorū moraliū; ſed diſponere qvoq; de remittendâ aliqvando publicâ cōfesſione, deprecatione & Recantatione *heterodoxiæ & heterodidaſcaliæ*, ſive vitiorū in doctrinâ & fide commiſſorum, ſive ex errore, ſive ex φιλονεικίας, ambitione, odio, aliâve qvacunq; malâ radice ortum duxerint, dummodo de facto à continuatione & defenſione erroris deſiſtatur. Qvanqvam enim vetus Eccleſia etiam ad mentem ab errore liberandam, *Anathema* dici juſſerit illi errori, à qvo qvis reſipuit; neqve ſine anathematis jactu in hæreſin illam, de qva ſuſpectus vel convictus erat, regulariter qvenqvā in gratiam recipere ſveverit, ut ex benè multis Antiqvis Canonibus *VII. & VIII. Concilii Laodiceni VI. & VIII. Cōcilii Arelatenſis*, ante Nicænām celebratorū, aliisq; apparet; Usq; adeò ut *Qvinta Synodus*, qvā Generalē vocant, Can. XI. etiam illi Anathema dicat, *qvi detrectaverit anathema dicere Ario, Evnomio, Macedonio, Apollinari, Neſtorio, Eutycheti, cum impiis illorū ſcriptis & omnibus aliis hæreticis;* Euſebii qvoq; Nicomedienſis, & Theognidis Niceni dolus inde agnitus fuiſſe dicatur, *qvod fidei qvidem Nicenæ ſubſcribere parati erant, Ario autem Anathema dicere tergiverſabantur*, apud Rufinum *l. I. Hiſtor. C. 14.* Etſi de facto tamen ſuis Ephoriis reſtituti ſunt, pulſis orthodoxis, qvi intereà ſurrogati erant, uti *Socrates* eodem loco commemoraverat; ſed dolum poſtea detexerunt Cap. XXVII. qvum *Alexander* ad ſimilem

iam-

Digitized by Google

i: ambiguam palinodiam, *Arium & Evzoium* recipere detrectaret. Cujusmodi præjudicia de habitis & declaratis hæreticis iis, qvi aliis hæreticis Anathema dicere recuſabant, collegit *Nicol. Vedelius parte 2. Arcanorum Arminianismi lib.I.cap.2.*

Qvamvis deniqve etiam exempla benè multa ſuppetant 80
eorum, qvi hæreſin docuerant, ante publicam Recantationem & Anathematiſationem erroris qvem defenderant aut docuerant, in gratiam non receptorum: Qvalis erat exomologeſis *Natalii*, poſtea Martyris, qvi Pauli Samoſateni & Theodori Coriarii hæreſin docuerat, ſeqve hæreticorum Epiſcopum ſalario menſtruo CL. denariorum conſtitui paſſus erat, apud *Euſeb. l. V. cap. ult.* Qvalis erat exomologeſis Cerdonis *apud Irenæum l. III. Cap. IV.* cujus paulò ante memini: Qvalis Berengarii, & aliorum, paulò ante pluribus exemplis â me inductorum;

Illi ipſi tamen Antiqviſſimi Canones, qvi revertentibus ab 81
hæreſi *Palinodiæ onus* imponunt; uti qvalitatem, durationem, aliasqve circumſtantias publicæ pœnitentiæ, arbitrio Epiſcopi committunt; ita & hanc ſatisfactionis ſpeciem. Ut enim pſeudocanonas Apoſtolicos & Nicænos prætercam, qvibus hoc Sacerdotis arbitrium expreſsè firmatur; ille ipſe *Qvintus Canon Ancyranus*, qvi de diverſis gradibus Apoſtatarum, eorumqve diverſis pœnis & ſatisfactionibus diſponit, decennio ut putatur ante Magnum Nicænum Concil. editus, *apud Bin. fol. 227.* ait: *Epiſcopos tamen ἐξουσίαν habere; & pro exploratâ converſatione ſingulorum, poſſe ἀνθρωπεύεσθαι, i: humanius agere, vel etiam longius tempus pœnitentibus præſcribere.*

Subjacet arbitrio Epiſcoporum.

Genuinus Canon *Nicænus XII.* poſtqvam præcedentibus 82
Canonibus de qvalitate & qvantitate lapſorum *ſub Licinio* diſpoſuerat, hoc Canone arbitrium committit Epiſcopo. Ἐφ᾽ ἅπασι δὲ τούτοις, inqvit, *ſed in his omnibus convenit explorare proæreſin & ſpeciem pœnitentiæ: Qvotqvot enim metu & lacrymis, & patientiâ, & bonis operibus converſionem ſuam in re & nō in ſchemate oſtendunt, hi ubi tempus τῇ ἀκροάσει definitum impleverint, ſimpliciter ad precum communionem admittantur. Et poſt hæc omnia licet Epiſcopo, etiam hu-*

manius,(καὶ φιλανθρωπότερόν τι περὶ αὐτῶν βουλεύσασθαι) *de ipſis ſtatuere*,apud Bin.fol.277. *Concilium Arelatenſe ſecundum*, Surio & Veneris cenſentibus,anno Chriſti CCCXXVI. celebratum, Canone X: *De his*,inqvit,*qvi in perſecutione prævaricati ſunt, ſi voluntariè fidem negaverint,hoc de eis Nicena Synodus ſtatuit* (*Can.XI.*) *ut V. annos inter Catechumenos exigant, & duos inter discommunicantes* (χωρὶς προσφορᾶς,ait Concil.Nicænum, κοινωνήσουσι τῷ λαῷ τῶν προσευχῶν) *In poteſtate tamen vel arbitrio ſit Episcopi, ut ſi eos ex animo errorem deflere, & pœnitentiam agere viderit, ad communionem pro Eccleſiaſticâ humanitate ſuscipiat.*

83 Et hæc arbitrandi facultas,in ſeqq. etiam Conciliis,qvoties de lapſorum reconciliatione agitur,tributa Epiſcopis reperitur. Unde apud *Gratianum*,vel unicâ illa *Qvæſt. VII. Cauſa I.* poſt aliqvot diſcordantes Canones,de receptione redeuntium ab hæreſi, recitantur ſententiæ pro rationibus dubitandi diſcrepantes *Cypriani,Septimæ Synodi,Meldenſis Synodi,Leonis IV.* & aliorum, qvorum aliqvi Clericos ab hæreſi revertentes,*ad pacem qvidem Laicorum*,ad gradus autem Clericatus,qvos vel in Eccleſia habuerant, vel ex hæreſi ſecum attulerant,neqvaqvam admittendos; Alii autem *ad utrumq;* reditum illis patere decernebant. Poſtea plures numero releguntur Canones,*cur in hâc qvæſtione de Recipiendis hæreticis & recipiendi modo,toties variatum fuerit, alia decreta abrogata,alia temperata,alia conſtituta ſint?* ſicuti argumenta Canonum VI.VIII.XI.XII.XIII.XIV.XV.oſtendunt.

84 *Cyrilli Zelotæ Conſilium.*

Hoc autem XV. Canone recitatur *Cyrilli Alexandrini*, ὑπομνηστικὸν *ad Maximum Diaconum Antiochenum*, qvi detrectabat communionem cum Joanne Epiſcopo ſuo, ideò qvod *Neſtorianos* ad communionem ſuam admitteret. Hunc corripit Cyrillus,Zelo etſi ingenti in Neſtoriū æſtuans: *Perpendat* (ait) *æqvitas tua,utrum,qvi cum Joanne communicant, nudè & imprudenter Neſtoriana & ſentiant & proloqvantur ad alios? An verò cauteriatam qvondam conſcientiam habentes,nunc congregentur vobiscum ex reſipiscentia,pudeat verò ipſos palam profiteri lapſum? Solet enim hoc lapſis evenire. Si ergo videas eos nunc concurrere cum rectâ fide, de-*

me-

Digitized by Google

memento malorum præteritorum. Malim enim Eos videre NEGANTES, qvàm defendentes Neſtorii vitia. Cæterùm, ne videamur contentionis cupidi; religioſiſſimi Joannis (Antiocheni) *communionem amplectamur, indulgentes ei: Et* οἰκονομίας ἕνεκα μὴ ἀκριβολογούμενοι σφόδρα *de pœnitentibus. Magna enim moderatione indiget hoc negotium.*

Canone ſeqq. XVI. citatur ejusdem Cyrilli Epiſtolà ad *Gennadium Archimandritam*, ſimilis planè argumenti: *Ne excandeſcat pietas tua in ſanctiſſimum Dei cultorem, fratrem ac comminiſtrum noſtrum Proclum Epiſcopum, eò qvòd admiſerit in communionem Æliensium Hegumenon, qvem qvidem Eccleſiæ Palæſtinæ leges non ferebant eſſe præpoſitum, &c. Igitur ne fugiat pietas tua Sanctiſſimi & Deo amiciſſimi Epiſcopi Procli communionem. Una enim fuit cura mihi & ſanctitati ejus. Et DISPENSATIONIS modus nulli ſapientum diſplicuit:* ὁ τῆς οἰκονομίας τρόπος οὐδενὶ τῶν συνετῶν ἀπήρεσεν. Argumentum Epiſtolæ hujus in edit. Auberti fol. 191. ſic habet: Περὶ τοῦ δεῖν παρορᾷν τι τῆς ἀκριβείας, μείζονος ἕνεκα κατορθώματος. Initium verò Epiſtolæ h. m. *Bonam intentionem* (τὸ εὔτονον) *Tuæ Reveretiæ erga pietatem, non nunc demum cognovi, ſed jam olim perſpectã habeo atq; etiam laudo eam, qvæ cum tanta ἀκριβείᾳ vult vivere. At diſpenſationes rerum* (ἀλλ᾽ αἱ οἰκονομίαι τῶν πραγμάτων) *nonnunqvam cogunt qvosdam, ut parumper à debito exeant, aut potius deflectere cogantur:* (ὅτε παραβιάζονται βραχύ τι δέοντος ἔξω, ἵνα τὸ μεῖζον κερδάνωσιν) *ad majus qvid lucrandum. Sicuti enim qvi mare navigant, tempeſtate urgente naviq; periclitante, qvorundam jacturam faciunt, ut cætera ſervent: Ita & in noſtris actionibus, qvum non poſsimus τὸ λίαν ἀκριβὲς ἀποσώζειν: ſummum rigorem ſervare,* παρορῶμεν τινά, ἵνα μὴ τοῦ παντὸς πάθωμεν ζημίαν: *i: Diſſimulamus nonnulla, ne totum nobis excidat.* Et tunc ſeqvuntur verba à *Gratiano deſcripta.*

B. Auguſtinus d. Epiſt. XLIV. Eccleſiæ arbitrio adſcribit, *qvod redeuntes à Paganiſmo, levius ſuſcipiuntur: revertentes ab hæreſi amplius humiliantur.* 86

Arbitrium autem hoc competit *ſingulis Diœceſanis*, apud qvos 87 con- *Arbitrium ordinariorũ.*

Digitized by Google

Roma nō habet clavem universalem.

contractum eſt. Qvod enim redeuntes ab hæreſi, e.gr. *Valentinus & Marcion* ideò Romam venerint,ut hîc & non alibi revocarent,tanqvam in foro competente & tribunali totius Orbis, *Baronii* commentum eſt *ad annum Chriſti 167.n.5* Neqve citati *Irenæus lib.1.c.28. ſive l.III.c.4 aut Tertullianus de præſcript. c.30.* hoc dicunt; ſed,ut originem hæreſium oſtenderent,deſcribunt : ſub *cujus Epiſcopi Romani Regimine,hæreſiarchæ & docere cœperint, & Romam venerint ad docendum,non ad abjurandam hæreſin*: Utrumqve enim detectâ hæreſi ejectum ajunt,non dicunt: *Redeuntes ab hæreſi,illic tanqvam in foro totius orbis* recantaſſe,aut in gratiam receptos. Irenæi verba ſunt l.3.4: *Ante Valentinum non fuerunt , qvi ſunt à Valentino: Neq; ante Marcionem erant, qvi ſunt à Marcione: Neq; omninò erant aliqvi ſenſu maligni,qvos ſupra enumeravimus,anteqvam initiatores & inventores perverſitatis eorum fierent. Valentinus enim Romam venit ſub Hygino, increvit ſub Pio , & prorogavit tēpus uſq; ad Anicetum. Cerdon autem qvi ante Marcionem, & hic ſub Hygino,qvi fuit octavus Epiſcopus,ſæpè in Eccleſiam veniens & exomologeſin faciens ſic conſummavit,modò qvidē latenter docens, modo verò ab aliqvibus traductus in his qvæ docebat malè, & abſtentus eſt à religioſorum hominum conventu. Marcion autem illi ſuccedens invaluit ſub Aniceto, decimum locum Epiſcopatus continente.*

Hîc de Valentini & Marcionis Recantatione ne μῦ audis.

88 Qvod autem Cerdon *Romæ* aliqvando *exomologeſin fecit*,propterea æqvum erat,ut fieret,*qvia per heterodoxam doctrinam Eccleſiam illam ſcandalizaverat*, Irenæo teſte *l.1.c.28. Cerdon*,inqvit, *à Simone occaſionem capiens,cùm veniſſet Romam ſub hoc Hygino, qvi nonum locum Epiſcopatus* (Nota: l.3.c.4. *octavum* dicit) per *ſucceſſionem ab Apoſtolis habuit,docuit: Eum qvi à lege & Prophetis annunciatus ſit Deus,non eſſe Patrem Domini noſtri Chriſti JEſu.*

89 De Valentini & Marcionis Recantatione in Romana Eccleſia neqve *Tertullianus* verbum facit,etſi æqvum fuiſſet illic revocari,qvæ illic ſparſa de hæreſi fuerant: ſed,uti Irenæus,ita & Tertullianus *ex nuperis & notiſſimis natalibus Sectariorum*, Sectarū falſitatem evincere conatur. *Ubi tunc*,ait, *Martion, Ponticus Nauclerus*

Stoic

Digitized by Google

*Stoicæ Studioſus? Ubi tunc Valentinus, Platonicæ Sectator? Nam con-
ſtat, illos neq; adeò olim fuiſſe, Antonini fere principatu, & in Catholi-
cam primò doctrinam crediſſe apud Eccleſiam Romanenſem, donec ſub
Epiſcopatu Eleutheri benedicti* (hæc Romanenſium gloria eſt, qvod
plæræqve hæreſes in Eccleſia illa originem habuere) *ob inqvietam
ſemper eorum curioſitatem, qva fratres qvoq; vitiabant, ſemel & ite-
rum ejecti; Marcion qvidem, cum ducentis ſeſtertiis ſuis, qvæ Eccleſiæ
intulerat, noviſſimé in* PERPETUUM DISSIDIUM *relegati, venena
doctrinarum ſuarum diſſeminaverunt. Poſtmodum Marcion pœni-
tentiam confeſſus, cum conditioni datæ ſibi occurrit, ita pacem receptu-
rus, ſi cæteros qvoq;, qvos perditioni erudiſſet, Eccleſiæ reſtitueret, morte
præventus eſt; oportebat enim hæreſes eſſe, &c.* Vides, Marcionem
in gratiam receptum non eſſe, qvia conditionem, ſub qva pacem
recepturus erat, morte præventus, non adimplevit. Ac, ſi qvidem
impleſſet, Romæq; pacē recepiſſet, nihil hoc pro totius Oecume-
nici tribunali erat facturum: ſiqvidem illic pacem qvemqve pe-
tere oportebat, ubi ſcandalum dederat.

Marcionem verò Ponticum, Epiſcopi filium, jam ante, qvàm 90
Romam veniſſet, ob ſtuprū Virgini illatum ab Eccleſiæ commu-
nione abjectum fuiſſe, clariſſime *Epiphanius* perhibet *hær. XLII.*
idemqve *Tertullianus* docet *Cap. LI. de præſcript.* Et libro *de carne
Chriſti*, ex ipſius Marcionis Epiſtolâ hoc demonſtrat: *Patrem
Marcionis noluiſſe filium in gratiam reciper, ideoq; Marcionem confu-
giſſe Romam, ut faciliùs illic reconciliationem obtineret.* Sed Epipha-
nius l. d. ait: *qvòd Presbyteri & Dd. Romanæ Eccleſiæ*, Hygino mor-
tuo, Marcioni receptionem petenti reſponderint: *Nobis injuſſu
venerandi patris Tui id facere non licet: Una ſiqvidem fides eſt & una
animorum conſenſio: neq; poſſumus refragari optimo comminiſtro no-
ſtro, Patri tuo. Hinc Marcionem irâ furoreq; & ambitione percitum,
novam ſibi hæreſin conflandam propoſuiſſe* (ἑαυτῷ τὴν αἵρεσιν προστη-
σάμενος) *& palam Presbyteris Romanis in faciem dixiſſe*: Ὅτι ἐγὼ
σχίσω τὴν Ἐκκλησίαν ὑμῶν, καὶ βαλῶ σχίσμα ἐν αὐτῇ εἰς τὸν αἰῶνα:
i: Nunc ego divellam Eccleſiam veſtram, & in æternū ſchiſma
eam conjiciam. addit Epiphanius: *Quemadmodum revera ſchiſ-*

ma non exiguum intulit non Eccleſiæ qvidem, ſed ſibi ſuisq; Complicibus. Hæreſin verò Marcionis *ex Italia egreſſam*, ait init. c.9. Hæreſeologias.

91 Et qvis neſcit *Valentinum, Cerdonem, Marcionem* hodieqve in Catalogo hæreticorum non reconciliatorum poni, & ab Euſebio lib. IV. Cap. 10. 11. & ab omnibus Hæreſeologis antiqvis, *Philaſtrio, Epiphanio, Auguſtino*, aliisqve *pro irreconciliatis* haberi? At *Baronius* in qvovis Sterqvilinio Monarchiam Romanam qværit.

92 Patet ex his: Hæreſiarchas qvidem, Dogmatiſtas, ſive Doctores & Propagatores hæreſeos, citra publicam Palinodiam receptos in pacem & ſinum Eccleſiæ non fuiſſe: Verùm de *credentibus hæreticorum* ſive ſeqvacibus eorum priscam Eccleſiam, & modernam Romanam curiam longè diverſum ſtatuiſſe. *Innocentius PP. III.* in Concilio Lateranenſi, qvod Generale vocant, ſeculo XIII. poſt Chriſtum, definivit Cap. 3. qvod extat in Decretalibus Gregorii IX. c. *Excommunicamus. 13. de Hæreticis*, ut: *ſi qvi ſint ſuſpecti ſolùm de hæreſi, niſi juxta conſiderationem ſuſpicionis, qvalitatemq; perſonæ, innocentiam ſuam per juramentum purgationis monſtraverint, protinus anathematis gladio feriantur, & usq; ad ſatisfactionem condignam, ab omnibus evitentur, ita, qvod ſi per annum in excommunicatione perſiſterint, ex tunc velut hæretici condemnentur; & damnati ſecularibus poteſtatibus ad vivicomburium tradantur, tàm Laici qvàm Clerici.*

Romana ſedes ſeqvioribus ſeculis aſperior facta.

93 De Abjuratione multa *Nicol. Enymericus* Directorii parte 3. q. 105. & *Simanca* Juſtit. pro judicibus tit. LIII. tum etiam Canoniſtæ in allegatam formulam jurisjurandi *C. Qvoties 1. q. 7.* Formula abjurandi ab Innocentio III. præſcripta, extat *Tom III. Concil. Binii parte 2. fol. 714. 715*, ubi de credentibus hæreticorum qvos vocant.

Abjuratio hæreſeos vide ſ. n. 52.

94 At ſi priſcæ Eccleſiæ manſvetudinem & moderationem intuemur; aſperitas certè & rigor in ſuſpendendis aut planè arcendis â ſacrâ communione iis, qvi ipſa etiam Dæmoniorum ſacra, tormentorum metu; aut hæreticorum cœtus ſectati fuerant, dummodo Duces non fuiſſent, ſi cum Eccleſia in gratiam redire cu-

Digitized by Google

cuperent, in Præfectis non usqve adeò laudata fuit.

Euſebius Cæſarienſis, qvum Martyrum Viennenſium & Lugdunenſium in Gallia, ſub Imp. Antonino Vero, circa annum Chriſti CLX. dira paſſorum *Relationem Epiſtolarem ad fratres in Aſia & Phrygia, eandem redemptionis fidem & ſpem habentes*, recenſuiſſet lib. V. Cap, 2. deſcribit modum, qvo *Deo dilecti martyres*, eos, qvi in perſecutione lapſi erant, ſuſcipiendo reſtituerint, ex eorundem Martyrum Epiſtola: *Omnibus*, inqvit, *fidei ſuæ rationem reddiderunt, accuſarunt neminem, ſolverunt cunctos, nullum ligarunt. Neq; enim inſoleſcebant contra lapſos, ſed qvibus ipſi abundabant, inde & egentibus abminiſtrabant, maternis erga eos viſceribus præditi: ac plurimùm illorum nomine ad Deum Patrem illacrymantes, vitam petierunt, & dedit eis, qvam etiam proximis communicarunt. Atq; ita per omnia victores ad Deum abierunt, pacemq; dilexerunt ipſi, & eandem nobis denunciantes, cum pace ad Deum diſceſſerunt, nullam relinqventes poſt ſe Matri moleſtiam, nec ſeditionem, aut bellum fratribus, ſed gaudia & pacem & concordiam & dilectionem.* 95 *Exempla ſusceptorum pœnitentium, citra publicam Palinodiam.*

Addit Euſebius epicriſin de ſuo: *Hæc*, inqvit, *de amore Sanctorum illorum Martyrum erga prolapſos fratres, haut inutiliter adjecta ſunto, ad notandos inhumanos & immiſericordes eorum animos, qvi poſt hujusmodi exempla, atrociter membra Chriſti divexant.* 96 *Euſebii Epicriſis.*

Idem Euſebius ſub finem *Tertii de vitâ Conſtantini*, qvando de Hæreticorum Delubris *juſſu Imperatoris everſis* dixerat; etiam de aliqvorum ad Eccleſiam reditu his verbis teſtatur: *Illorum verò, qvi ab His ſeducti fuerant, qvidam mente adulterinâ, minis Imperatoriis pertremefacti Eccleſiam ingrediebantur, tempori illi per diſſimulationem ſervientes. Qvoniam libros etiam illorum virorum lex Imperatoris perſcrutari juſſerat, ac deprehendebantur qvi nefanda maleficia exercebant; Qvapropter cuncta per diſſimulationem faciebant, qvo exitium effugerent: alii autem continuò veraci animo ad ſpem meliorem confugiebant. Horum verò diſcriminationem Eccleſiarum præſides accuratè facientes, alios diu pelle ovillâ tectos fictè accedere conantes invenerunt: alios verò mundo animo id facientes modico* 97 *Diſcretio probandi hypocritas.*

TEMPORE PROBARUNT, *ac poſt ſufficientem experientiam multitudini initiatorum accenſuerunt.*

98 *Etiam Cyprianus coætaneis ſuis aſperior viſus.*

Qvanqvam igitur *Cypriani*, aliorumqve Zelo & prudentiæ, de lapſis, *non niſi poſt longa intervalla, poſt mortificationes & probationes conſtantiæ* recipiendis, laus ſua non derogetur; apparet tamen ex illis ipſis Cypriani Epiſtolis & ſermonibus, de lentè & tarde recipiendis lapſis qvaqva verſum ſcriptis; Ipſum Romanum Epiſcopum Cornelium, aliosqve Cypriani Comminiſtros, etiam in ipſa Carthaginenſi diœceſi, recepiſſe aliqvos eorum, *invito Cypriano.* De hoc enim conqveritur in illis ipſis Epiſtolis, *qvod pacem nimis propere dediſſent lapſis.* Et negari non poteſt: *Novatianos, Donatiſtas aliosq; Catharos*, non leve negotium facesſiviſſe Orthodoxis Epiſcopis, objectatione ſuffragiorum *Cypriani* de non recipiendis lapſis citra Anabaptiſmum, aliorumqve ingentium onerum exantlationem, cuj9 moleſtiæ tædio plurimos deterritos, aut in hæreſi periiſſe, aut ad hæreſin rediiſſe probabile eſt.

99 *Cypriani modeſtia.*

Neqve tamen Cyprianus ullum eorum, qvos *Cornelius* Romanus, aut *Collegæ* Afri, citra publicam Palinodiam in communionem receperant, ſuâ communione excluſit, qvin potius toleravit eosdem in ſuâ etiam communione: Solummodo oravit, ne feſtinarent Cornelius, & Africani Collegæ in recipiendis citra juſtam probationem lapſis. Ipſos lapſos & receptos excuſat Epiſt. X: (al. l. 3. epiſt. 14) *Illi, inqvit, Rei non ſunt, qvi minus Scripturæ legem noverunt; Erunt autem Rei qvi præſunt, & hæc fratribus nō ſuggerunt, ut inſtructi à præpoſitis faciant omnia cum Dei timore, & cum datâ ab eo, & præſcriptâ obſervatione.* Qvod etiam *Auguſtinus l. 2. & 3. contra Parmenianum* aliqvoties in Cypriano laudat; *Tametſi aliqvos nimis propere in Eccleſiæ gremium receptos fuiſſe qviritetur; ab eis tamen neq; ſe neq; ſuos ſegregaverit, neq; propterea ſchisma fecerit*, qvale *Donatus*, ob non ejectum *Cæcilianum* fecerat, Zeloqve Cypriani usqve & usqve ſe tuebatur.

100 *Prudentia.*

Salubriter tamen & prudenter monet Cyprianus eodem loco, qvemadmodum *obnoxios vitiis morum*, non citra ordinem & time-

Digitized by Google

morem aliqvem recipimus in communionem Eccleſiæ, Ita multò minus eos, qvi *in vitia doctrinæ* aut confesſionis lapſi erant, citra doloris publica ſigna recipiendos eſſe. *Nam, cùm in minoribus* (inqvit) *peccatis, agant peccatores pœnitentiam* JUSTO TEMPORE, *& ſecundum disciplinæ ordinem ad exomologeſin veniant, & per impoſitionem manus Episcopi & Cleri, jus communicationis accipiant; Nunc crudo tempore perſecutione adhuc perſeverante, nondum reſtitutâ Eccleſiæ ipſius pace, ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentiâ actâ, nondum exomologeſi factâ, nondum manu eis ab Episcopo & Clero impoſitâ, Evchariſtiâ illis datur! Cum ſcriptum ſit, qvi ederit Panem aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſangvinis Domini,* Hæc Cyprianus,

De iis etiam Epiſcopis, qvi Arianam, Macedonianam, aliasqve hæreſes ipſi qvidem non docuerant; Arianæ tamen fidei formulis, decretis, Epiſtolis encyclicis, aliisqve libellis, ſub qvibus latitabat hæreſis, imprudentes, vel etiam publicæ tranqvillitatis causâ ſcientes ſubſcripſerant, in externa autem communione cum Orthodoxis manſerant; Intereà verò in Elencho Hæreſiarcharum & hæreſium remisſiores fuerant, inter qvos etiam *Gregorii Nazianzeni pater*, & filius ipſe, & *Magnus* ipſe *Baſilius*, aliiqve innumeri per orbem Epiſcopi reperti ſunt: legere licebit *B. Hieronymi Dialogum adverſus Luciferianos, Baſilii Epiſtolam XXVI.* ad Greg. Nazianzenum. Ipſius *Nazianz. Orationes XXVI. & XXVIII. Auguſtini lib III. contra Epiſtolam Parmen. c. 1. 2,* ſeqq. aliosqve.

101 Diſcrimen inter Hæreſiarchas, & ſuffragantes ſoli tolerantiæ.

A nullo ſanè horum publicam palinodiam exactam fuiſſe, apud omnes conſtat; & poſtea, ubi ad *Excommunicationem* deventum fuerit, ſigillatim oſtendetur. Etſi de Baſilio ſcribat *Nazianz. d. ep: Convivium celebrabatur, cui non pauci Illuſtres Viri intererant, nobisq; amicitiâ conjuncti: atq; inter eos Vir* qvidam pietatis nomen habitumq; præ ſe ferens. Nondum compotari cæptũ *erat, qvum, ut in conviviis accidere ſolet, de Nobis* (Baſilio & Gregorio) *ſermo excitatur, inſtar alius cujusdam incidentis rei in mediũ propoſitus.*

102 Baſilius & Nazianz. colluſionis cum hæreticis poſtulantur,

 Omni-

Omnibus porrò Virtutes Tuas magnificè prædicantibus, Noſq; etiam, ut ejusdem vitæ ſtudiis deditos adjungentibus: amicitiamq; noſtram & Athenas commemorantibus, in rebusq; omnibꝰ concordiam animorumque noſtrorum conſpirationem laudantibus; grave qvoddam facinus hic Philoſophus deſignat. Qvid hoc, inqvit, admodum furioſè exclamans, ô Viri? Qvam vos inſigniter mendaces & aſſentatores eſtis? Cætera qvidem laudentur Viri iſti, ſi ita lubet, nec ipſe contradico; At verò, qvod maximum eſt, illic non concedo. ORTHOXIÆ nomine fruſtra laudatur Baſilius, fruſtra Gregorius. Ille, qvia veritatem ſuis diſputationibus prodit: Hic, qvia tolerantiâ ſuâ proditionis ſocium ſe præbet. Tum ego: Unde hoc ô homo vane, atq; amentiâ nove Dathan & Abiron habes? Unde nobis dogmatum promulgator venis? qvomodo tantarum rerum judicem TE conſtituere audes? Tum ille: Ex Eupſychii Martyris Synodo nunc venio (de Eupſychio interempto à Juliano Apoſtata, qvòd Fortunæ templum evertiſſet, *Sozom. lib. V. cap 11*) *Eamq; dicti mei Teſtem habeo.* (addit Gregorius: *Sic enim res ſe habebat*) *atq; illic Baſilium Magnum audivi, de Patre qvidem & Filio optimè ac præſtantiſſimè diſſerentem; Spiritum Sanctum autem convellentem ac disjicientem. Et cur tandem, Vir egregie, inqvit me intuens, Tu qvidem JAM perſpicuis verbis Spiritum Sanctum Deum eſſe doces; Baſilius autem fidei doctrinam obſcurè ſubindicat, ac velut adumbrat, nec veritatem apertè profitetur, oratoriè magis qvàm piè Auditorum aures implens; dicendiq; arte ſubdolum animi conſiliū tegens? Qvoniam, reſpōdeo, Ego in obſcuro poſitus, ac plerisq; incognitus, ita, ut qvæ loqvar qvæ non loqvar, homines ferme neſciant, tutò philoſophor: Baſilii autem major habetur ratio, utpote & à ſeipſo celebrioris, & ab Eccleſia, in qva docet: Tum etiam, qvia omne qvod dicit in publico hominum cætu dicit, graviq; hæreticorum bello urgetur, inſidiantium verbis ejus, ut nudam vocem (*de Deitate Spiritus Sancti*) elicere qveant; Illoq;, qvi ſolus ferme reliqvus eſt veritatis fomes, vicinis omnibus captis & ſubjugatis, ex Eccleſia ejecto & exturbato, malum illud* (Macedonianorum:) *in civitate radices agat, atq; ab hac Eccleſia* (Cæſarienſi) *non ſecus atq; ex aggere qvodam & propugnaculo Terrarum orbem pervaſtet & populetur. Præſtare itaq;, veritatis doctri-*

nam

Digitized by Google

nam CAUTIUS ALIQVANTO *minusq; liberè profiteri,* TEMPORISQVE *qvaſi nebulæ cuidam cedere, qvàm illam* APERTA PRÆDICATIONE *opprimere. Nos enim ex ea re nihil damni facere, ſi ex aliis qvoq; dictionibus, è qvibus id certò colligatur, Spiritum Sanctū Deum agnoſcamus. Neq; enim in verborum ſono potius, qvàm in mente & ſententia veritatem ſitam eſſe, Eccleſiam autem grave detrimentum accepturam, ſi unius hominis* (Baſilii) *oppreſſione veritas profligetur.*

Hanc excuſationem diſſimulatæ apertæ confeſſionis de Deitate Spiritus Sancti, uti laudanda ſanè non erat, ita exploſam fuiſſe ab omnibus Orthodoxis convivis, ſeqve anguſtiâ animi occupatum, &, qvòd extemplo nihil aliud inveniret, Baſilium hoc modo excuſaſſe, Nazianzenus ipſe ingenuè fatetur, qvando illicò ſubjicit: 103

Hoc conſilium ii qvi aderant, tanqvam Vanum & frigidum, ipſosqve ludificans non modò non comprobabant, ſed etiam Nos clamoribus inſectabantur, tanqvam ignaviæ potius noſtræ, qvàm Orthodoxæ doctrinæ conſulamus. Longè enim præſtantius eſſe, Noſtros per veritatis prædicationem tueri atq; conſervare; qvàm hujusmodi CAUTIONE & DISPENSATIONE eos ἀχρεῖον (inutiles, impotentes ad fidei ſuæ rationem reddendam facere) *neq; interim alienos lucrari.*

Cæterum, qvæ & dixi & audivi: & qvàm immodicè, & præter mores meos adverſus eos, qvi contra nitebantur, ſim ſtomachatus, ſigillatim exponere prolixum nunc fuerit, minimeq; fortaſſe neceſſarium.

Tu verò divine Vir & ſacroſancte, facito, ut nos doceas: QVOUSQVE *in diſputatione de Spiritûs Sancti divinitate progredi, qvasq; voces uſurpare, & qvousq;* CAUTIONE, CERTAQVE DISPENSATIONE *uti debeamus? ut illa adverſos eos, qvi contradicunt, in promptu habeamus. Nam ſi hoc ipſe qvidem nunc demùm abs* TE *doceri poſtularem, cùm* TE *resq; tuas omnium Mortalium maximè perſpectas habeam, ac certiſſimam de his rebus fidem ſæpius dederim viciſſimq; acceperim; omnium profectò ſtolidiſſimus eſſem ac miſerrimus.*

Ad hanc contumeliam ſeqvente Epiſtola Baſilius ſic reſpō- 104

det,

Digitized by Google

det, ut nihil reſpondeat: Differt enim reſponſum ad mutuum usqve congreſſum. *Mirum*, inqvit, *& abſurdum, qvòd ille recens Chriſtianorum Ephorus apud Vos harum rerum auditores invenit, fratres mihi ſinceriſſimos: nec auditores ſolùm, ſed diſcipulos qvoq;, ut videtur. Qvanqvam verò alioqvi novum non eſſet aut mirandum, & eum qvi hæc docet, talem eſſe, & tales, qvi eum audire ſuſtinent, & me deniq; cujus nomen proſcinditur; Perditus tamen hic temporis ſtatus nos docuit, ne ulla re acerbius offendamur. Jam pridem enim his ignominioſiora nobis propter peccata noſtra in uſu fuerunt. Ego verò ſi fratribus, qvi illic degunt* (Nazianzi) *meæ erga Deum fidei nondum experimentum præbui, ne nunc qvidem habeo qvod reſpondeam. Tu verò hos valere ſine, nosq; in præſenti certamine laborantes adjuva &c. Qvod ſi contigerit, res ipſæ declarabunt, qvis ſit ille qvi* TE *ad præclara negocia ſeqvetur: qvis rurſus* CLAUDICET, *& veritatis doctrinam ignavià prodat? Haut multò poſt, Dei gratià, ipſo rerum argumento ac demonſtratione calumniæ refellentur. Qvandoqvidem pro veræ doctrinæ defenſione futurum exſpectamus, fortaſſe qvidem ut gravius aliqvid patiamur: ſin minus, at illud certè, ut Eccleſiis patriisq; ſedibus expellamur. Qvod ſi nihil etiam illorum, qvæ in expectatione habemus, acciderit, non procul eſt Chriſti tribunal. Qvocirca ſi congreſſionem noſtram Eccleſiarum causâ reqviris, convenire parati ſumus, ubicunq; accerſiveris; Si autem ut calumnias refutem;* MIHI HOC TEMPORE, DE HIS RESPONDERE NON VACAT.

Hâc declinatoriâ Reſponſione, cùm Baſilius interrogatis
105 minimè feciſſet ſatis, Gregorius eveſtigio replicat epiſt. XXVII. Græc. XXI: *Hoc nimirum erat, qvod alius qviſpiam majori acumine præditus ſuſpicari potuiſſet; Ego verò, qvâ ſum ſtulticia & ruſticitate, cùm ad* TE *ſcriberem, non extimui, &c. Tu mærorem pudore velut larvâ qvadam obtegis, &c. Qvanqvam ſatius fuerat his incommodis mederi, qvàm eis qvi conſilium afferebant, ſuccenſere. Sed Tu, qvid Tibi faciendum ſit, ipſe videris.*

Hieronymus certè tanqvam indiſcretos Zelotas ridet eos,
106 qvi putabāt: Tempore graſſantis Arianismi, eos qvi qvovis modo in ſuſpicionem illius hæreſis venerant, ſive ad Palinodiam co-

gen-

gendos,ſive ejiciendos ſedibus ſuis,ſive greges ab iis ſegregandos fuiſſe. Hæc omnia tanqvam extremæ imprudentiæ deliria exagitat,totamqve Eccleſiam hoc intempeſtivo rigore diſſipatûm iri oſtendit. *Ingemuit*,ait,*totus Orbis,& Arianum ſe eſſe miratus eſt. Igitur alii intra ſuam communionem remanere,alii ad eos Confeſſores qvi ſub nomine Athanaſii exulabant,cœperunt literas mittere: nonnulli initam ſocietatem* (cum Arianis) *meliorum deſperatione planxerunt: pauci verò,ut ſe natura hominum habet,errorem pro conſilio defenſavere &c. Concurrebant Epiſcopi,qvi Ariminenſibus dolis irretiti,ſine conſcientia hæretici ferebantur,conteſtantes corpus Domini, & qvicqvid in Eccleſia ſanctum eſt,ſe nihil mali in ſua fide ſuſpicatos. Putavimus,ajebant,ſenſum congruere cum verbis,nec in Eccleſia Dei,ubi ſimplicitas,ubi pura confeſſio eſt,aliud in corde clauſum eſſe, aliud in labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis exiſtimatio. Non ſumus arbitrati,Sacerdotes Chriſti contra Chriſtum pugnare: multaq́ʒ alia,qvæ brevitatis ſtudio prætereo, flentes aſſerebant,parati &* SUBSCRIPTIONEM PRISTINAM,*& omnes Arianorum blaſphemias condemnare. Hoc loco interrogo iſtos nimium religioſos,qvid de Confeſſoribus agendum putaverint? Depoſitis inqvient, veteribus Epiſcopis,novos ordinaſſent: Tentatum eſt; ſed qvotusqvisqʒ benè ſibi conſcius,patitur ſe deponi? præſertim,cùm omnes populi ſacerdotes ſuos diligentes,penè ad lapides,& ad interemptionem deponentium eos convolaverint. Manſiſſent,ajunt,intra ſuam communionem! Hoc eſt dicere:irrationabili crudelitate Orbem totum Diabolo condonaſſent,* (videlicet,ſi ab iis ſe ſepararent, qvi promiſcuè cum occultis Arianis communicabant) *Cur damnaſſent eos,qvi Ariani non erant? cur Eccleſiam ſcinderent,in concordia fidei permanentem? cur deniqʒ credentes benè,obſtinatione ſuâ facerent Arianos? Nam cum in Synodo Nicæna,qvæ propter Arianam perfidiam congregata eſt, OCTO Epiſcopos Arianos ſuſceptos ſciamus* (inter qvos Euſeb. Nicomed. Theognis Nicænus,Saras Libicus,Euſebius Cæſarienſis;qvi omnes per ſolã ſubſcriptionẽ fidei Nicænæ recepti ſunt) *qvomodo potuerũt adverſum eam Synodum facere,propter qvam exilium ſuſtinuerunt?*

Hieronymi ſententia

Digitized by Google

Hieronymi Zelotæ judicium.

Paulò poſt: Igitur,cum illo tempore Trecenti & amplius E-
piſcopi paucos homines,qvos ſine damno Eccleſiæ abjicere po-
terant,ſuſceperint; MIROR,qvosdam,& certè Nicænæ fidei Se-
ctatores TANTÆ DURITIÆ exiſtere, ut Tres Confeſſores ab
„ exilio revertentes, non putēt id OB TOTIUS ORBIS SALU-
„ TEM,neceſſitate facere debuiſſe,qvod Tot & tales Viri volunta-
te fecerunt. Sed,(ut dicere cæperamus) poſt reditum Confeſſo-
„ rum (Athanaſii,Hilarii & Euſebii Vercellenſis) in Alexandrinâ
poſteà Synodo conſtitutum eſt,ut, exceptis Actoribus hæreſeos,
„ qvos Error excuſare non poterat,pœnitentes Eccleſiæ ſociaren-
„ tur. Non,qvod Epiſcopi poſſint eſſe,qvi hæretici fuerant; ſed,
„ qvod conſtaret,eos,qvi reciperentur, hæreticos non fuiſſe. Aſ-
ſenſus eſt huic ſententiæ Occidens,& per tàm NECESSARIUM
„ CONSILIUM Satanæ faucibus Mundus ereptus eſt.

Baſilii judicium.

Baſilius Epiſt.XXCVI. excuſat ſe Boſphorio Celoniæ in
108 Cappadocia Epiſcopo (ad qvem etiam Gregorii Nazianz.Epiſto-
la XIV. ſcripta eſt) qvòd Dianæum, Orthodoxum Epiſcopum,
etſi formulam fidei qvam Gregorius Cappadox Arianorum hæ-
„ reſiarcha Conſtantinopolis attulerat,pacis cauſa ſubſcripſiſſet,
non excommunicaverit. Qvi novam hanc,inqvit,intentatæ no-
„ bis calumniæ fabulam compoſuerunt, videntur nullam prorſus
„ Deo habere fidem,qvi rationem Nobis in die judicii, de qvovis
verbo ocioſo reddendam eſſe pronunciavit. Ego verò,dic qvæ-
„ ſo,Beatisſimum Dianæum anathematizavi? (Hoc enim de nobis
„ accuſandi gratiâ prædicaverunt) Ubi? aut qvando? Coram qvi-
„ bus? Qvo prætextu? An nudis verbis vel ſcripto? An alios ſe-
cutus,vel ex mea ipſius autoritate & audacia primus illud tenta-
„ vi? O impudentiam hominum nihil non temere loqventium!
„ &c. Et poſtqvam impenſe laudaſſet pietatem,modeſtiam, gravi-
tatem hujus Viri,addit: Circa extrema qvidem vitæ illius tem-
pora (neqve enim celabo veritatem) intolerabili mœrore pro-
„ pter ipſum,cum aliis plurimis,in patria Dominum timentibus af-
ficiebar,propterea,qvod FIDEI ILLI,qvam ex Conſtantinopoli
„ reportaverant,qvi ad Georgium pertinebant,ſubſcripſerat. Ut
„ re-

verò erat ingenio manſveto & humano, omnibus ita ſatisfacie- "
bat, ut eos paterno affectu toleraret. Ubi verò decidit in ægrotationem, ex qva & mortuus eſt, convocatis nobis dicebat: Te- "
ſtem eſſe Dominum, qvòd ſimplici corde in ſcriptum Conſtan- "
tinopolitanum conſenſerit qvidem; verùm nullâ in re irritam "
voluerit eam fidem, qvæ Nicææ à Sanctis Patribus expoſita eſt: "
neqve aliud in corde habuerit, qvàm qvòd ab initio traditum ac- "
cepiſſet. Imò precari ſe qvoqve, ut non ſepararetur à ſorte bea- "
torum illorum Epiſcoporum Trecentorum decem & octo, qvi "
piam illam fidei prædicationem promulgaverant Orbi. Atqve "
iſtâ ſatisfactione nos ita permovit, ut ſolutâ omni cordium no- "
ſtrorum hæſitatione, AD COMMUNIONEM ILLIUS acceſ- "
ſerimus, & à concepto mœrore qvieverimus. *Hæc Baſilius.*

Eundem Baſilium amicitiam & fraternitatem coluiſſe cum *Meletio Sebaſteno* Epiſcopo, ſurrogato in locum Euſtathii Orthodoxi, ab Acacianis, ſive Arrianis, *Conſtantinopoli & Seleuciæ* congregatis, qvi conſubſtantialis ſive ὁμοȣσίȣ vocem abolendam: & ὁμοιȣσίȣ ſive ſimilis ſubſtantiæ vocem, *ſecundum ſcripturas* (ut ajebant) retinendam ſtatuerant: nec non cum *Athanaſio Ancyrano*, ab iisdem Arrianis ſurrogato in locum *Baſilii Ancyrani*: patet ex Epiſtolis *LVI. LVII. LVIII. LIX. ad Meletium* ſcriptis, qvarum poſteriore indignatur Meletio, *qvod levi ac futili Apollinario* qvædam revelaſſet, ob qvæ Baſilius traducebatur ap. Cives Sebaſtinos, *tanqvam cum Arianis & Sabellianis* faceret; Namqve hac fini volumen aliqvod circumlatum fuiſſe Sebaſtæ. Baſilio Autori inſcriptum, *qvaſi eadem cum Hæreticis dicat.* Hoc eodem nomine *Baſiliũ* in convivio à Philoſopho qvodam traductum, à ſe verò defenſum fuiſſe, Nazianzenum commemorãtem audivimus Epiſt. XXVI. ad Baſil. & Baſilium utcunqve ſe purgantem num. 104.

109 *Baſilii & Meletii concordia.*

Purgat ſe ab eadem ſuſpicione in *Apologia ad Cæſarianos*, Parochianos ſuos, qvos ad tempus deſeruerat, qvæ extat inter Epiſtolas Baſilii num. CXLI. Patet idem ex Epiſt. LXVII. qvæ eſt conſolatoria *ad Eccleſiam Ancyranam*, de obitu *Athanaſii Epiſcopi*, qvem etſi ab Arianis ordinatum, fugato Baſilio, Orthodoxo Epiſcopo,

110 *Baſilius ob modeſtiam ſuſpectus.*

 tan-

Digitized by Google

tanqvam inqvieto, id eſt, machinas Arianas detegente & coercente: vocat *columnam & ſtabilimentum Eccleſiæ*: *Os, qvod hactenus, & competente fiducia & ſermonibus gratiæ ad fraternitatis ædificationem ſcaturivit, &c.*

111 Qvi conſenſus Baſilii & Meletii Cæſ. *Baronium* induxit, ut more ſuo pronunciet; Epiſcopos hos, *Meletium & Athanaſium*, ex Arianis redditos eſſe Orthodoxos. *ad Ann. CCCLIX. ſub fin.* At verò, ſi *Socrati lib. I. cap. 6.* Si ipſius *Synodi Nicænæ* judicio, qvo depoſitus eſt *Meletius*, apud eundem *ibid. cap 9. & lib. III. cap. 6. & 7.* Si Theodoreto *lib. III. cap. 5. Si Ruffino lib, I. cap. 30. Si Sozomeno lib. V. c. 13.* Si deniqve Epiphanio, hæreſi LXVIII. habenda eſt fides potius, qvam Baronio; *Meletius Sebaſtæ primùm, poſtea Boeroeæ, deniq; Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus, ut ex Socrate l. II. c. 43. patet, dogmati Ariano nunqvam fuit deditus Sectam fecit*, ait Epiphanius, *à fide non diſceſſit*. Depoſitus autem fuit, *qvòd perſecutionis vehementiâ fractus idolis ſacrificaſſet*, ut expreſsè habet *Socrates l. I. c. 6. & Epiphan. hæreſi LXVIII.*

Baronii error.

112 Cauſam Arii fovit, non qvoad dogma, ſed qvoad proceſſum nimis rigidè ab Alexandro inſtitutum, qvod & Nicomedienſis Euſebius & Theognis Nicænus cauſſabantur: qvi & ipſi inficiabantur, ſe dogmati Arii unqvam fuiſſe adſtipulatos, ibid. Cap. 14. Synodus verò Nicæna ideò reddere Ephoriam Meletio detrectabat, *qvod ad tumultus excitandos pronus eſſet, ne qva poteſtas homini daretur* (ait Socrates) *qvâ tumultuationē ſuam denuò inducere poſſit. c. 9.*

Schiſma autem fecit, qvòd *Lucifer Calaritanus* præter juris &
113 prudentiæ leges Paulinum Antiochiæ ordinaret, ejecto è ſede illâ Meletio. Qvæ præcipitantia invidiam qvoq; peperit inter *Euſebium Vercellenſem* Orthodoxum Epiſcopum, & *Luciferum*, qvi uterqve æqvè ac Meletius ſub Diocletiano & Maximiano plagas ſuſtinuerant, & pro fide Nicæna exilium ſubierant. Qvin & *Lucifer* ipſe poſtea in Schiſma lapſus eſt, unde *Luciferiani*. Qvanqvam *Ambroſius* in Oratione funebri Satyri fratris, & *Hieronymus in* Dialogo

Schiſma Meletii.

logo adverſus Luciferianos,ab hæreſi eum abſolvant, ſchismatis ex φιλονεικία nati ſolùm poſtulent. Baſilius etiam durante hoc inter Paulinum & Meletium Antiochenos Epiſcopos ſchismate, Meletii partes palàm fuerit tuitus. Qvod non faceret,ſi hæreſeos Arianæ cauſa Meletius accuſaretur.

Hic ipſe Meletius *Epiſt,LXIX. inter Epp. Baſilii,* una cum Ba- 114
ſilio & Euſebio monet Italos & Gallos,*ut ab Arianorum communione ſibi caveant.* Cum hoc ipſo Meletio deliberabat Baſilius Epiſt.59: *Annon conveniret admonere occidentales: Ne ſine diſcrimine qvorumvis ex Oriente venientium communionem acceptarēt?* 115

Qvod etiam *Baſilius M.* Antiochenam ſedem totam Meletio adjudicandam cenſuerit,non Paulino ; patet *ex Baſilii epiſt. L.* qvam *Magno Athanaſio* inſcripſit,ipſiusqve negocii cum Athanaſio tractandi causâ,Theodorum Diaconum miſit. Erant enim illâ ætate,id eſt: Anno Chriſti CCCLXXI. in una civitate Antiochena Qvatuor Epiſcopi: Duo hæterodoxi, & Bini Orthodoxi: *Evzoius* Arianus,*Vitalis* Apollinariſta,ut credebatur, *Meletius & Paulinus* orthodoxi, ſed ſchismate ob qvæſtionem de legitima vocatione diviſi. *Qvod Baronius* etiam obſervavit fol.237. 116

Qvatuor Episcopi in una civitate.

Dianæum autem,vel *Meletium*,vel etiam *Athanaſium Ancyranum* publicè revocaſſe,aut ad Revocationem coactos fuiſſe, non invenio.

Patrem ſuum Gregorium Nazianzenum excuſat *Gregorius fil.in* 117
Oratione funebri,qvæ eſt *XXVIII.ad Billium,& Orat.1 de Pace,*qvæ ex ordine octava,apud eundem ; *Qvod eidem Formulæ fidei Conſtantinopolitanæ Acacianorum & Georgianorum*, qvâ ὁμοούσιος explosus & ὁμοιούσιος ſurrogatus erat,*ſubſcripſiſſet*, non animo negandi Filium ὁμοούσιον, *ſed pacis causâ à ſolo illo vocabulo abſtinendi. Qvo tempore* (inqvit) *à ferventiore Eccleſiæ parte* (id eſt Monachis, ad qvos *Orationes de pace* habuit) *ob eam cauſam ſeditio in nos excitata eſt,qvod literis qvibusdam.ſubdolisq; verbis in pravam ſocietatem furtim pertracti fuiſſemus: Solus* (pater meus) *illæſum cor habere, nec animam SIMUL CUM ATRAMENTO fœdaſſe nigroreq; affeciſſe creditus eſt: tametſi per animi ſimplicitatem abreptus fuiſſet, dolumq; homo doli expers minimè vitaviſſet.* Qvin

Nazianzenus ſenior Symbolo Ariano ſubſcripſit.

Qvin etiam ſolus aut certè primus eos, qvi à nobis ob pietatis Zelum diſſidebant, & ſibi & cæteris reconciliavit, poſtremos à nobis ſeparatos, & primos reverſos: tùm ob ipſius reverentiam, tùm ob dogmatis puritatem. Ita gravis Eccleſiæ jactatio tempeſtasq; ſedata eſt, ac procella in auram redacta, orationibus conſiliisq; illius fracta atq; ſublata: nobis interim & pietatis ſociis & actionis.

118 *Ex nimio veritatis amore fiunt aliqvando ſchismata.*

Sic Orat. 1. pro pace: *Nimis Dei, nimis Chriſti amantes Chriſtum ipſum dividebamus, veritatis cauſa nosmet mutuo mendaciis onerabamus: propter charitatem odium exercebamus; propter lapidem illum angularem diſtrahebamur, &c. Nunc verò, poſteaqvam unum facti ſumus qvi ſumus unius; poſteaqvam conjuncti nomine & animis æqvales ſumus facti, qvi Trinitatis ſumus; non contra nosmet mutuò, ſed conjuncti fervemus, &c.*

De publica palinodia ab hoc Gregorio & Sociis, qvi Arianæ Fidei formulæ ſine fraude ſubſcripſerant, exacta, nihil lego. Sufficiebat aperta Declaratio, qvia manſerat in Communione viſibili cum Eccleſia.

119 *Baronii intervalla.*

Cardinalis autem aſperrimus ille hæreſium cenſor, ad *Ann.* CCCLIX. fol. 657. Ubi lapſum Gregorii Senioris commemoraverat. *His addamus illud* (inqvit) *Optimos interdum Viros & pios contigit ſe ſubſcribere ejusmodi profeſſioni fidei Concilii Conſtantinopolitani, qvòd ſcilicet (ut in Ariminenſi qvoq; confeſſione accidiſſe dictum eſt) nullam expreſſam contineret impietatem. Nam, qvod dicebatur eſſe aſſerendum ex divinæ Scripturæ præſcripto: Filium eſſe Patri ſimilem, nullus Catholicus id abnuerit. Neq; qvod ob ſcandalum prætexebant, tacendum de nomine Eſſentiæ ſive ſubſtantiæ atq; ſubſiſtentiæ, ob id ibi negabatur expreſſe, Filium divinæ eſſe ſubſtantiæ, & ſubſtantiam prædicandam eſſe de Patre, Filio & Spiritu Sancto: Neq; ullũ in ea profeſſione inſerebatur anathema in profitentes fidem Nicænam.*

Qvamobrem illud, ut diximus contingebat, ut COMPLURES pii viri ac probi Nicænæq; fidei profeſſores putarent, absq; diſpendio pietatis poſſe profeſſioni Conſtantinopolitanæ ſubſcribere, ac pariter retinere Nicænam: licet longè ab his diverſum eſſet Acacianorum Conſilium.

Limitatur.

Hæ autem & his ſimiles Diſpenſationes, ut vocant, & Remiſſiones

nes publicæ Recantationis, tunc demum excuſationem reperiunt, ubi exactio hujus ſpeciei *ſatisfactionis* certò vel probabiliter conjuncta eſt cum majore damno, ſive ſpirituali, ſive temporali, qvàm cum qvo conjuncta eſt omiſſio ſive Remisſio de Canonib9, Recantationem aliasqve ſatisfactionum ſpecies præſcribentibus. Deinde admittitur de ſolis ſuffragatoribus, non de Ducibus, hæreſiarchis & Promachis heterodidaſcalias, ut ſupra *n.107.* oſtēſum.

Addo unum: Palinodiam erroris vel etiam hæreſeos, ut eſt propagatio doctrinæ falſæ de noticia per ſolum lumen ſupernaturale cognoſcibili, non importare infamiam, perinde ut palinodia injuriæ aut contumeliæ famæ proximi illatæ. Qvia, etſi in propagatione hæreſeos dolus committi ſolet, qvem concurrere ſupponūt *Lex I. Cod. de SS. Trinitate, & A*uthēt. *Gazaros.* ht. vid. *Weſenb. ad Tit. Cod. de hæreticis.* Error tamē animi non *refertur inter capitalia, ſed mitigat capitalia per ſe.* l. ſi qvis adulterū §. de adult. Qvin & ipſa propagatio dogmatū religionis ex falſa perſvaſione, imprudētiq; Zelo ſuſcepta aliqvando fieri poteſt ſine dolo, & propterea non infamat ratione objecti, qvicqvid jus Pontificium de eo ſtatuat: Infamat verò ratione ſubjecti, qvod legitimam docendi facultatem non habet: Vel etiam ratione exceſſus in modo propagandi, aliâve de cauſa extra qvalitatem objecti poſitâ. De qvavis autem injuria famæ proximi illata ideo præſumitur dol9, *qvia lumine naturæ conſtat, hoc non decere.* Itaqve Palinodia erroris circa objectum non niſi lumine ſupernaturali cognoſcibile: & Palinodia facinoris dolo commisſi, diverſas cauſas agnoſcunt. Eaqve propter à Recantatione erroris circa fidem, metu infamiæ nemo terreri debet, qvia Chriſtiana deprecatio eſt, non juridica palinodia. Præſertim, cùm moderni Commētatores Bullæ Cœnæ Domini, non niſi *formales hæreticos* per illam Bullam feriri doceant. *Formales* autem dicunt eos, *qvi ſcientēs, Romanam Eccleſiam eſſe Catholicam, ei qvà Catholicæ pertinaciter contradicunt in rebus fidei, & hoc dogmatizant.* Vid. *Ludovici à Cruce* Comment. in hanc Bullam. *Caſtro Palao* Tom. I. Op. Moral. Tract. IV. Diſp. I. *Bo-*

120 Revocatio erroris circa objectum ſupernaturale, non poteſt infamare.

Formales hæretici.

Digitized by Google

Bonacinam Tom.3. Opp. Diſp. 2. puncto I. & prolixè apud *Canum Lib.XII.LL.Cap.VIII.IX.X.XI.*

121 Addo alteram: Revocationem qvamvis apertam & formalem erroris circa objectum non niſi lumine ſupernaturali cognoſcibile, etiam jure noſtro Saxonico, ideò non infamare, qvia *non* reqviritur neqve *præſtatur ad intereſſe privatum læſi honoris humani reſtituendum*, qvod eſt de proprietate eſſentiali palinodiæ, cùm civilis, tùm criminalis inter homines, docente *Dn. Carpzov. Pract.Crim in.parte 2.q.XCIV.n.15 ſeqq.* & patet *ex Conſtit.Elect.Saxon.42.* ibi: Der ordentlichen Obrigkeit gebühret / Ehrliebenden Leuten durch geordnete Straff ihrer Ehren Ergänzung zu thun. Sed reqviritur *ad intereſſe divinum reſtituendum*, qvod divina Majeſtas in eo habet, ne falſa & hæretica mentibus hominum cum periculo æternæ beatitudinis imprimantur.

Neq; jure Saxonico.

122 Reſtituitur autem intereſſe divinum, qvando de facto deſiſtitur à propagatione erroris, & mentes hominum imbuuntur veritate ſalvificâ. Errores verò priſtini aut refelluntur, aut planè obliterantur, ne amplius noceant. Qvemadmodum de peccatis morum divinus honor vindicatur & reſtituitur, omiſſione flagitiorum priſtinorum, ſive non continuatione eorundem, etiamſi nulla Canonica ſatisfactio accedat. Qvam tamen propterea non negamus utiliter accedere, aut exigendam eſſe, ubi circumſtantiæ perſonarum, loci & temporis id non impediunt; uti ſupra qvoqve indicatum eſt.

123 Præcipuam tamen & adæqvatam cauſam, ob qvam *Revocatio erroris circa fidem*, non infamat, eam duco, qvam priore loco poſui; qvia verſatur circa objectum ſolo lumine naturali non cognoſcibile. Et hac de cauſâ nulli pro crimine aut flagitio duci poteſt, ſi erret circa illud, circa qvod ſine prævio influxu luminis ſupernaturalis (qvod certè in poteſtate hominis non eſt) non poteſt non errare. Circa attributionem autem & diſtributionem honoris proximo debiti, poteſt per naturæ lumen rectè ver-

ſa-

ſari,neqve ad hoc indiget illuminatione ſupernaturali, ne proximo impingat falsò adulterium, homicidium, ſcelus, furtum,&c.

Apponam memorabile exemplum diſcrepantium votorum in Synodo Chalcedonenſi,inter Orthodoxos Epiſcopos,de expoſcenda an remittendâ publica Recantatione ab Eutychete hæreſiarcha. Accuſaverat *Euſebius Dorylæi Epiſcopus* coram Synodo Chalcedonenſi,*Eutychem* Archimandritam, ſive Abbatem & *Papam* (ita *Act.1.fol.90. apud Binium* appellatur) *in Urbe Regia Conſtantinopolitana*; qvòd poſt incarnationem & unionem perſonalem,*duas in Chriſto naturas negaret*, idqve ex ſermonibus ejus per teſtes,& ſcriptis ejusdem probaverat. Citato,foroqve ſe ſubducenti Eutycheti, ſemel atqve iterum,& tertio & qvarto ſignificabatur: *veniret,& reſponderet de objectis erroribus; Non qværi ignominiam ejus,ſed abolitionem ſcandali.* Ita enim *Flavianus* Patriarcha Conſtantinopolitanus & præſes in illa Synodo Oecumenica,jubebat nunciari ei per nuncios citantes. *Actione III. Concil. Conſtantinopolitani*; Cujus acta relegebâtur *Act.1.Concil. Chalced.fol.80.* apud Binium: Εἰ πῶς ἐλθὼν, καὶ ἐξεμέσας τὴν προτέραν αὐτοῦ δυσσέβειαν, καὶ ἐπιγνοὺς τὴν ὀρθὴν πίστιν, καὶ τὴν ἔκθεσιν τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν, συγγνώμης ἀξιωθείη, τῆς πρεπούσης παρ' ἡμῶν δίδοσθαι τοῖς ἐς μετάνοιαν ὁρῶσιν: *Si tantum veniret* Eutyches,*& evomeret priſtinam ſuam impietatem,& agnoſceret ſanctam fidem,& expoſitionem Sanctorum Patrum noſtrorum*, (in Concilio Nicæno,&Epheſino,ad qvorum conſenſum freqventer provocabat Eutyches:) *veniâ utiq; dignus haberetur, qvam decet Nos dare iis, qvi ad reſipiſcentiam contendunt.*

124 *Diſſenſus Orthodoxorum circa Palinodiam Eutychetis.*

Ibid.Act.IV.fol.86. qvum & Tertiam citationem eluſiſſet Eutyches,& Diaconum Eleuſinium miſiſſet,qvi abſentiam ob corporis ægritudinem excuſaret,præſes Concilii Flavianus, Mandatario Eutychetis iterum ſignificat: *Dei eſt dare ſanitatem, noſtrum autem expectare convaleſcentiam ejus. Neq; enim abſciſſionem ejus intendimus,ſed incrementum: Neq; DEus delectatur in perditione virorum; nec ſumus filii inhumanitatis, ſed clementiæ Dei, &c. Veniat* 125

Gg *huc:*

huc: Ad Patres veniet, & ad fratres non ignorantes eum, imò hactenus in amicitia permanentes. Multi audiverunt dogmata ejus, multi ſcandalizati ſunt. Et Accuſator ejus inſtat, cui debet ſatisfacere. Si enim tunc, Neſtorio adverſante veritati, pro veritate ingreſſus eſt iſte (in Concilium nempe Epheſinum, in qvo Eutyches accuſabat Neſtorium) *qvantò magis nunc debet pro veritate & pro ſeipſo ingredi? Homines ſumus: Et multi & magni ſcandalizati ſunt, & per imprudentiam & per imperitiam decepti ſunt, putantes ſe recta ſapere. Pœnitentia non affert confuſionem, ſed permanere in peccato, opprobrium eſt. Sicut enim vermis conſumit lignum in qvo naſcitur: Ita & peccatum permanens in faciente illud. Potius ergò huc veniat; & confitenti illi delictum, & ANATHEMATIZANTI debemus pro præcedentibus veniam: Et de futuris Nos & ſanctam Synodum muniat* (ἀσφαλίσηται, cautionem nobis præſtet) *qvod ſimilia expoſitionibus Sanctorum Patrum ſapiat, & præter has poſtmodum neq; docere velit alios, neqve in aliorum præſentia diſputare.*

Eutyches Neſtorii Antagoniſta.

Qvum hæ conditiones Act. VII. in qva comparuerat Euty-
126 ches, literis ſecuritatis ab Imperatore inſtructus, & Legato Cæſareo, Florentio Patricio, militumqve prætorianorum manu ſtipatus, (etſi juraſſet, ſe Monaſterio non egreſſurum dum viveret, &c.) repeterentur, totaqve Synodus diceret fol 92. Act. apud Binium: *Oportet TE* σαφῶς ὁμολογῆσαι, *apertè confiteri, & ANATHEMATIZARE omne dogma, qvod contrarium eſt his, qvæ modo prælecta ſunt.* Eutyches autem tergiverſaretur, ludificatione argumenti à ſilentio, ſive teſtimonio negativo deſumpti: (*Patres Nicænos & Epheſinos non dicere, qvòd poſt incarnationem maneant duæ naturæ in Chriſto: Ergo non poſſe ſe anathematizare eos, qvi hoc negent*) Totaq; Synodus exurgens clamaret: *Anathema Eutycheti:* Præſes tamen Singulorum vota reqvireret; *Qvid mereatur iſte præſens, neq; apertè confitens rectam fidem, neq; conſentire volens his qvæ Sancta Synodus ſentit, ſed in ſuâ perverſa & iniqva malignitate conſiſtens?* Seleucꝰ Dei amantisſimus Epiſcopus Amaſiæ dixit: *Dignus eſt qvidem iſte damnatione;* (καθαιρέσεως) IN VESTRÆ TAMEN SANCTITATIS HUMANITATE TANTUM unicè conſiſtit: Ἐν δὲ τῇ φιλαν-

λανθρωπία μόνον τῆς ὑμετέρας κεῖται ἁγιοσύνης. Replicabat autem Præſes: *Si qvidem confitens ſuum peccatum* (ὁμολογήσας) *vellet, aut perſvaderi ſe pateretur anathematizare ſuum dogma* (τὸ ἴδιον δόγμα) *& conſentiret nobis, ſectantibus Expoſitiones Sanctorum Patrum, meritò dignus eſſet veniâ: Sed qvia permanet in ſua malignitate, ſubjacebit vindictis canonum.* Ad hæc tandem Eutyches Presbyter & Archimandrita ſe explicavit: *Dico qvidem iſta, qvoniam & vos me juſſiſtis*: (*ſcil.* in Chriſto Domino eſſe duas diſtinctas naturas, ſubintelligebat autem ante incarnationem.) *Non autem ANATHEMATIZO.* Seqvitur autem in Actis Concilii Chalcedonenſis ſententia condemnatoria h.m.

Itaqve, cùm palàm profiteretur; ſe poſt incarnationem non confiteri duas in Chriſto naturas, neqve etiam anathema dictu- rum non confitentibus, inſtante Accuſatore, Euſebio Dorylæo, atqve etiam proteſtante; *etiamſi pœnitens nunc anathematizaret, qvæ ante docuerat Eutyches, tamen eſſe deponendum propter præterita mala qvæ dedit; ſe enim, non propter futura, ſed propter præterita eum accuſaſſe*: qvam proteſtationem aliqvoties repetiit in judicio, usqve adeò, ut Præſes importunum proteſtantem repelleret, dicens: *Etiamſi millies iſta repetas, nos tamen nihil præponimus veritati, neq; indefenſum condemnabimus. Act. B in fol. 84. 86. 90.* obtinuere tamen majora vota, ut in judicio etiam Reviſorio, poſtqvam Acta abſente Eutychete & Legato Imperatoris conſignata, præſentibus hiſce relecta & examinata eſſent, condemnatoria ſententia in Eutychem, præſente parte, & Legato Cæſaris, promulgaretur, qvæ extat *fol. 93. Act. Binii*, cui & *Seleucius Amaſiæ* Hellesponti Epiſcopus, qvi in mitiorem partem inclinabat, *judicans ſubſcripſit*, ὁρίσας ἔγραψεν; Sic autem habet ſententia condemnatoria:

127 *Excommunicatio & Depoſitio Eutychetis.*

128 Sanctiſſimus ArchiEpiſcopus (præſes Flavianus) dixit: *Per omnia Eutyches, qvondam Presbyter & Archimandrita, & ex his qvæ antea acta ſunt, & nunc propriis ejus confeſſionibus, Valentini & Apollinaris perverſitate repertus eſt ægrotare, & eorum blasphemias incommutabiliter* (ἀμεταθέτως) *ſeqvi. Qvi nec noſtram reverens perſva-*

ſionem atqve doctrinam , rectis voluit conſentire dogmatibus.

Unde lacrymantes & gementes perfectam ejus perditionem, (ἐπὶ τῇ παντελεῖ ἀπωλείᾳ αὐτοῦ) *decrevimus per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum ab eo blaſphematum, remotum eum & extraneum eſſe (1) ab omni officio ſacerdotali (2) & à noſtra communione (3) & à primatu Monaſterii. (4) Scientibus hoc omnibus, qvi poſtea colloqventur ei & ad eum convenerint, qvod Rei erunt & ipſi pœnæ Excommunicationis; ut, qvi non declinaverint confabulationes cum ipſo:* τῆς πρὸς αὐτὸν ὁμιλίας.

Subſcripſerunt *ſexcenti & triginta Epiſcopi Anno Dn. CCCCLI.*

Hoc exemplum ideò allegavi, ut oſtenderem ; Palinodiæ
129 publicè exactionem, etiam illo ſeculo relatam fuiſſe ad Arbitrarias judicum pœnas, qvemadmodum jure civili indubiè ad eos pertinet, ut ex *Menochio* de Arbitrariis judicum ſententiis, *Caſu CCLXII, & CCLIII. Dn. Carpzovio* paulò ante laudato, aliisqve videre eſt. In Decreto Gratiani tota *Diſtinctio I. de pœnitentia* occupata eſt in hoc argumento, ut probet: Sufficere aliqvando ſolam contritionem cordis, ſine confeſſione oris, pro qvalitatate factorum, perſonarum & Temporis. Ubi multa inſperſa ſunt de Revocatione publica heterodidaſcalæ.

§ XVIII.

De Effectu Irritæ Correptionis fraternæ & paſtoralis ſimul, qvi eſt EXCOMMUNICATIO.

130 IMmediatus & proximus effectus irritæ Correptionis fraternæ eſt *Denunciatio*, Eccleſiæ facienda; Qvâ facta, tenetur Eccleſia ad corripiendum *Paſtorali & Magiſteriali* correptione eum, qvi denunciatus eſt: Qvod ſi contingat & hanc correptionem irritam fiea-

fieri, ſeqvitur *Excommunicatio. d.c. Matth. XVIII.* De qva, qvum non ſit effectus immediatus irritæ correptionis fraternæ & privatæ, ſed paſtoralis, in præſentiarum nobis ſermo non erit, niſi in relatione correptionis ad gradus præcedentes: qvum non de *paſtorali*, ſed de *fraterna* correptione disqviſitionem inſtituerimus.

Eſt verò Excommunicatio Cenſura Eccleſiaſtica, per qvam cujusvis particularis Eccleſiæ membrum, ob ſcandaloſum crimen in vita, aut falſam & ſcandaloſam profeſſionem in fide, ſuſpenditur vel etiam planè excluditur à communione, tùm internâ gratiæ ſpiritualis, tùm externa verbi & Sacramentorum, nec non converſationis fraternæ, qvæ Chriſtianis tanqvam fratribus etiam extra cœtus ſacros intercedit. Definitionis ſingulæ partes nullo negocio oſtenduntur ex dicto loco Matth. XVIII. ubi de cujusq; particularis Eccleſiæ membro, qvod Eccleſiam pro judice agnoſcit; de objecto Excommunicationis; de forma & effectu, per modum ligationis in cœlo, detruſionis in claſſem Idololatrarum, qvi à fidei communione, & Publicanorum, qvi à communione charitatis Chriſtianæ alieni ſunt, ſatis manifeſtè diſponitur. 131 *Definitio Excommunicationis.*

132 *Diviſio*

Dividitur vulgò Excommunicatio in *Majorem & Minorem*: Major, prout Lutheri ætate uſu atqve exercitio Pontificiorũ conſtabat, appellatur in *Articulis Smalc. pœna civilis, non pertinẽs ad Miniſtros Eccleſiæ*, tanqvam judices ordinarios. Minorem, *qvæ manifeſtos & obſtinatos peccatores non admittit ad Sacramentum & communionem Eccleſiæ, donec emendentur & ſcelera vitent: tanqvam verã & Chriſtianam*, commendant iidem *Articuli Smalcald. parte Tertiâ Artic. IX.*

Fit autem illa non admisſio ad Eccleſiæ & Sacramentorum communionem, diverſis modis (1) *per judicialem ejectionem & excluſionem* ejus qvi deliqvit, ab illis ſacris, de qvibus hactenus communicaverat, donec emendetur. (2) *per non admiſſionem negativam* ad illa ſacra, de qvibꝰ nondum participavit is, qvi peccavit, donec ſatis idoneum & habilem ſe præbeat communicationi: Qvæ non admisſio, ſtrictè loqvendo non eſt Excommunicatio. *Modus*

Digitized by Google

Hæc namqve vi vocis, *privationem habitus & juris praexiſtentis ſignificat, & ſubtractionem ejus,* qvod ante competebat: Qvin potius eſt hæc negativa non admiſſio, *non collatio ejus,* qvod non niſi ſub conditione competit, neqve datur, qvandiu conditio nondum impleta eſt, Eſtqve magis dilatio beneficii, qvæ fit ad probandum & præparandum eum, qvi beneficio fructurus eſt, qvàm ereptio. (3) *Per ſubductionem ſuiipſius,* ſive cætus integri ab alio cætu, ſive aliis cætibus: qvomodo *Petrus ſubducebat ſe* non qvidem à communione ſacræ cœnæ, ſed vulgaris, *cum Chriſtianis è gentilitate converſis antea frequentatis Gal. II, 11. ſeqq.* Paulus Apoſtolus dicitur, *ſegregaſſe discipulos ſuos à cœtu Synagogæ,* cum qva hactenus unum cætum fecerant, Act. XIX, 9.

Propria ſeparatio à cœtu ſecundum partem Orthodoxo, illicita eſt.

Qvæ voluntaria ſeparatio Unius vel plurium, à viſibili
133 qvodam cætu Chriſtiano, in qvo ſaltem aliqvi Orthodoxi, & à fidei erroribus & flagitiis qvoad communionem immunes manent, neqve alios ad ſeparationem cogunt, ſive phyſicè per corporalem perſecutionem, ſive moraliter per minas, interdicta, præcepta, &c. non vacat culpa; Neqve excommunicatio paſſiva excommunicati dici meretur: ſed voluntaria ſeparatio, & communicationis temeraria deſertio dicenda eſt: eaqve prohibita ab Apoſtolo Ebr. X, 25.

134 Qvamvis enim juſſi ſimus *ſubducere, ſeparare, ſubtrahere nos,* στέλλεσθαι ἡμᾶς *II. Theſſal. III, 6. ab omni fratre inordinatè ambulante, & non ſecundum Traditionem Apoſtolicam:* Qvamvis etiam jubeamur nos ſeparare *converſatione familiari ab Adultero, homicida, avaro, &c. qvi frater dici vult: I. Cor. V, 10:* Non tamen jubemur nos ſeparare cultu, adoratione, profeſſione, Sacramentorum ſumptione, & Sacrorum communione à cætu illo, in qvo vivunt hæ perſonæ ſingulares; ſed tantùm ab his ſingularibus perſonis, & qvidem, qvod ad intimiorem admiſſionem, & fraternam converſationem attinet: (de concurſu in officiis civilibus, ex lege vel officio incumbentibus ſermo non eſt) *qvando ſeparatio ſive ſubductio noſtra poteſt fieri ſine noxa tritici,* id eſt fidelium in ejusdem Eccleſiæ particularis agro conſitorum, Matth. XIII. Hoc eſt, in congreſſi-

Digitized by Google

greſſibus arbitrariis,familiaribus,fraternis & privatis; Non verò licet ſeparare ſe à fratre etiam ſcandaloſo,in congreſſibus lege civili præceptis; Horſum enimEccleſiaſtica Excommunicatio non pertingit.

Excommunicatio non facit niſi excommunicatum à bene- 135
ficiis Eccleſiæ propriis; non privat qvenqvam dominio aut jure
naturali,gentium,aut civili. Si alicubi etiam inter Proteſtan-
tes,uti *in Scotia & Anglia* ampliores effectus ſortitur; id ex jure
ſtatutario humano habet, non divino. uti inter Pontificios præ cæteris egregie demonſtravit *Rogerus Widringthon*,Papiſta Anglus, *in Apologia pro jure Principum*, contra Bellarm. & Suareſium,n. 346. ſeqq.Conferatur etiam Qvæſtio in *Georgium Blacuellum* Archipresbyterum Anglum habita, apud *Goldaſtam Tom. III. Monarch. fol 587. ſeqq.* nec non Marcus Anton. de Dominis V. de Rep.cap.9. & lib. VI. cap.10.

Excommunicatio nimium non eſt extendenda.

Datur tamen etiam qvædam Excommunicatio per ſubtra-
ctionem communis beneficii Chriſtianorum, qvæ fit Extraneis, 136
qvoad Diœceſin illius particularis Eccleſiæ qvæ ſubtrahit, etſi videri velint illi Extranei, Conſortes & Domeſtici fidei Electorum,de *qva Tit I. Eph.IV.&c.* Et hæc ſubtractio non eſt qvædam *Excommunicatio media*,inter Majorem & minorem, ut putavit Eſtius in Comment. ad I.Cor.V. &II.Theſſal.III; ſed eſt veri nominis excommunicatio. Qvanqvam enim per meæ converſationis,tanqvam Unius privati,aut ſingularium qvarundam perſonarum ſubtractionem à converſatione cum Sejo non excommunicetur Sejus,ſed tantùm per ſententiam Eccleſiæ ſuſpendentem eum,vel planè præſcindentem eum à Sacris, & tradentem Eum Satanæ; Qvia tamen excommunicatio vi formalis ſui dicit *Relationem privativam*, in ordine ad illam communionem qvam Sejus hactenus habuit,ſive jure ſolo,ſive jure & exercitio ſimul; nihil intereſt, ab utra parte rumpatur illo communio. Ruptura enim ipſa communionis ſacræ eſt formalis excommunicatio,dũmodo à competente judice,legitimis de cauſis,& modo legitimo fiat.

Excommunicatio non diœceſanorum.

Qvem-

137 Qvemadmodum enim ſubtracta communio juris gentium, futura eſſet excommunicatio qvædam civilis, ut interdictum de aqva & igni, de non eundis viis publicis, non exercendis commerciis, aut negatio vendendi huic vel illi, qvod venum tamen exponitur: Ita negatio admiſſionis ad noſtra ſacra, & negata acceſſio ad ſacra aliorum, in effectu non niſi Excommunicatio eſt, ſi publica autoritate ſtatuatur. Qvum communio Sanctorum externa, reciprocam communionem reqvirat: Id eſt, Mutuam dationem & acceptionem Sacramentorum. A qva neqve Judæus neqve Scytha arcendus eſt, dummodo fidem illam afferat, qvæ communionem Sanctorum internam facit: nec nō Profeſsionē & mores, ex qvibus communio externa conſtat, Coloſſ. III, 11. Epheſ. II, 18. 19. IV, 4. 5.

Negatio communium ſacrorum eſt vera excommunicatio.

138 Neqve Autores ab *Eſtio* allegati, *Chryſoſtomus*, *Auguſtinus*, *Thomas, aut Cajetanus*, diverſum à nobis ſentiunt. Auguſtinus qvidem *III. contra Parmenianum cap. 2.* agens de prudentia & moderatione adhibendâ in excommunicatione ſui ipſius, id eſt propria: & alterius; allegat etiam iſta Apoſtoli dicta, de ſubtrahendo ſe: ſed non dicit; ſubtractionem meæmet privatæ perſonæ à communione cum alio, eſſe alterius propriè ſic dictam excommunicationem; Neqve negat ſubtractionem publicæ perſonæ aut publici cætus à communione cum alio, eſſe veri nominis excommunicationem. Sed qvicqvid ſit de nomine, *media ſpecies*, nō niſi analogicè dicitur Excommunicatio.

139 Prior autem qvæ privationem & ablationem juris & exercitii infert, propriſſimè & ſtrictiſsimè dicitur excommunicatio, & differt gradibus. Alia enim eſt *privativa ex toto*, qvæ omne jus omneqve commercium externum & internum cum communione Sanctorum adimit, ſive ad tempus, ſive in perpetuum, & vocatur *traditio in poteſtatem Satanæ I. Cor V, 5. I. Tim. I, 20.* qvæ poteſt appellari Excommunicatio expulſiva & præciſiva, qvalis ex Calviniſtarum principiis de gratia inamiſſibili, non datur. Alia autem *eſt privativa ex parte*, qvæ non omni influxu gratiæ divinæ, neqve omni uſu omnium mediorum gratiæ & inſtrumentorum ſalutis pri-

Privatio poſſeſſionis ſacræ magis propriè eſt Excommunicatio.

privat,ſed aliqvorum tantum,ut *communione activâ precum in cœtu fidelium,communione menſæ ſacræ, communione ſuſcipiendi baptizatos de ſacro fonte,&c.* qvæ tamen communione audiendi verbum Dei non privat eos,qvâ gratiâ Catechumeni etiam gaudent, etſi communione Sacramentorum nondum fruuntur.

Marcus Antonius de Dominis V. de Rep.c.9.plures tradit diviſiones Excommunicationis *à Canoniſtis & Caſiſtis*,ut ait,*non obſervatis*; Qvarum alias ait eſſe *Cenſuras, alias non eſſe cenſuras*; alias eſſe Medicinales,alias præciſivas,peremptorias, & internecivas; alias privatas,alias publicas. At hæ diſtinctiones mere accidentales ſunt: Prior autem diviſio falſa eſt. Omnis enim Excommunicatio ratione genericæ actionis, cenſura Eccleſiaſtica eſt. 140

Eccleſia enim ex mandato Chriſti Matth. XVIII. cenſet de fratris ſtatu & conditione,qvam habuit hactenus in communione Sanctorum: & de eo ſtatu deponit ac ſeqveſtrat eum, vel planè,vel ad partem. Ex intentione autem cauſæ proximæ Excommunicantis, *omnis Excommunicatio debet eſſe Medicinalis,ut Spiritus ſalvus fiat I.Cor.V,5.* Ex accidenti fit peremptoria & interneciva finaliter.

Privata Excommunicatio,non eſt excommunicatio; Vocabulum enim ipſum inſinuat relationem *ad communitatem*,non ſolùm ut ad objectũ,à qvo qvis ſeparatur,ſed etiam ut ad ſubjectũ, qvod ſentit & ſentire debet,qvoad actum reflexum,ſive qvoad facultatem ſenſitivam, fieri alicujus membri ſolutionem à ſe. Ideò Apoſtolus dicit: *juncto meo & Veſtro Spiritu. d.l. I.Cor. V. &* Chriſtus: *Dic Eccleſiæ*,Notifica Eccleſiæ: *ſit Tibi*, ſit aliis Eccleſiæ membris,*velut Ethnicus & Publicanus.* Qvæ periphraſes inducunt notoreitatem de ſeperatione excommunicati: Et ſenſum noticiæ in illo ſubjecto, à qvo qvis ſeparatur. E. privata & arcana ſuſpenſio alicujus à cœnâ, vel ad tempus publicè non notum, non eſt proprie dicta excommunicatio, ſed privata cenſura Paſtoralis.Et ſatisfactio,ſive pœnitentiæ opus occultũ,à confeſſore,pœnitentiario vel Prælato impoſitum pœnitenti. 141

Hh Qvan-

142 Excommunicationis cauſa Effic.

Qvantum ad noſtrum inſtitutum facit; conſideranda ſunt excommunicationis (1) cauſa efficiens qvoad jurisdictionem. (2) merita (3) Tempus. *Cauſa efficiens principalis* eſt Deus, (Qvicqvid ligaveritis ligatum erit à Cœlo. Matth. XVIII. Joh. XX) qvemadmodum & Deus principalis cauſa eſt *Abſolutionis*: Miniſterialis remota, eſt Eccleſia particularis collectiva, in qva deliqvit Reus: Miniſterialis proxima, *Synedrium Eccleſiæ*, ſive Eccleſia Repræſentativa. *Adjuvans* per modum ſuffragii, ſive ſuffraganea cauſa, *eſt univerſa Catholica Eccleſia*, ſive totum homogeneum, ratihabens id, qvod ligavit pars homogenea, qvemadmodum ratihabet id, qvod ſolvit pars homogenea.

143 Et hæc qvidem de proceſſu ordinario ita ſe habent: Impeditâ verò causâ miniſteriali proximâ ad agendum, ſuccedit & ſuccurrit nonnunqvam cauſa Adjuvans & ſuffraganea, & exercet clavem ligantem in non ſubditum ſubjectione particulari & Diœceſanâ: ſubditum tamen ſubjectione generali, & qvaſi Sacramentali, qvæ dependet à communione Sacramentorum univerſalis Eccleſiæ, & qvalitate homogenea particularium Eccleſiarum, inter ſe. Qvemadmodum in foro ſeculari delicta etiam publica non puniuntur, niſi à competente judice: Hoc autem ceſſante vel impedito, puniuntur per bella vindicativa vicinorum ad pacem publicam conſervandam, vel ad vindicandas injurias & damna, qvæ Magiſtratus ordinarius vindicare non poteſt, aut non vult, aut qvando lædens nullum judicem in terris agnoſcit.

Verum enimverò hæc ſurrogatio poteſtatis Univerſalis, in
144 locum poteſtatis diœceſanæ, magnos ſemper motus & ſchismata poſt ſe traxit, qvemadmodum vindicta criminis ſecularis, ſumpta de non ſubdito vel ſubditis, bellum eſt.

Excommunicatio non ſubditorum.

Regulariter non excommunicatur, niſi ſubditus, isqve ab il-
145 la particulari Eccleſia, in qva deliqvit. Nec enim Romana Eccleſia excommunicavit inceſtuoſum Corinthium, ſed Corinthiaca; Illa, nonniſi per approbationem & ratihabitionem ſententiæ, qvam tulit pars homogenea totius homogenei. Et hos limi-

limites *Nicæna Synodus* voluit eſſe ſacros, qvando Can. VI. ſanxit: *Mos antiqvus perduret, &c.*

Hinc enim Schiſmatum omnium, dicam & hæreſium prima 146
ſemina jacta ſunt, qvod vicini, vel etiam transmarini Epiſcopi irruerũt in alienas diœceſes, vel *per ordinationis* ritũ: Vel per introductionem & inveſtituram Paſtorum in alienas diœceſes, vel per cenſuram, vel per cognitionem de non ſubdito, vel per aliam qvamcunq; uſurpationem poteſtatis, ſive ordinis dicatur, ſive jurisdictionis poteſtas, in non ſubditum. Cui malo ut mederentur Concilia *Nicænum, Conſtantinopolitanum, Chalcedonẽſe, Carthaginenſia,* aliaqve plura, poſuerunt qvidem limites diœceſeon tùm Patriarchalium tùm Metropolitanarum, tùm Epiſcopalium, tùm etiam ruralium: Imò etiam in una majori Urbe, *ut Antiochena, Alexandrina, Conſtantinopolitana* diœceſes & jurisdictiões diſtribuerunt, ut Parochi pacem colerent; (etſi Canon Nicænus X. apud Ruffin. l. I. c. V. ſanxit: ut in una civitate Unicus Epiſcopus eſſet) Verum uti Decalogus obſervatur, ita & his ſtatutis obtigit. Vid. *Marc. Anton. de Dom. lib. II, de Rep. Eccl. cap. 3. lib. III. c. 3. lib. IV, c. 6. &c.*

Limites patriarchales, provinciales, Diœceſani, & parochiales in una Urbe.

Epiſtola LX. inter Epiſtolas Hieronymi eſt excuſatio *Epiphanii* 147
Cyprii, qvod involaſſet in diœceſin *Joannis Hieroſolymitani,* & Bethleemi Diaconum ordinaſſet ac Presbyterum. Qvod defenſat Hieronymus, prætextu erroris Origeniſtarum, cui Joannes Hieroſolymitanus fuerit obnoxius. Defenſat Epiphanius, *tanqvam plus æqvo benignus in Joannem fuiſſet, qvando cum ipſo tamen communicavit, ſeq; à communione ejus non abſtinuit,* Extraneumqve adeo Epiſcopum, à propria, id eſt Hieroſolymitana Eccleſia non excommunicavit: Verùm & Epiphanius & Hieronymus tùm hîc tùm & alibi humana paſſi ſunt, de qvibus poſtea, Et Epiphanii qvidem ἀλλοτριοεπισκοπία Joanni Chryſoſtomo magnæ fuit fraudi, ut mox dicam n. 155, ſeqq.

Saltus Cypriani extra limites.

Cæterum per modum jurisdictionis ordinariæ, & privatio- 148
nem pœnalem eorum, eorumqve judicialem & actualem excluſionem à Sacramentis Eccleſiæ, non alios ſibi ſumpſiſſe faculta-

Judex Ordinarius excommunicationis

Digitized by Google

tem excommunicandi,niſi Diœceſanos: neqve in alios niſi in dioeceſanos ſuos,comperti juris eſt. At per modum ſuffragii & approbationis,omnes ubiqve Orthodoxas Eccleſias excluſiſſe excommunicatum ab una ſaltem Orthodoxa Eccleſia,tanqvam parte ſimilari totius homogenei,etiam à communione Univerſalis Ecleſiæ; indubiæ itidem veritatis eſt. Nemo enim dubitare poteſt, inceſtuoſum ab Eccleſiæ Corinthiacæ communione excluſum,*cap.V.prioris Epiſtolæ Pauli Ap.* perinde à Romanæ,Epheſinæ, Hieroſolymitanæ,omnium deniqve Orthodoxarum communione ſecluſum fuiſſe.

149 Nec enim qvisqvam alibi ſolebat admitti, niſi *Formatas aut pacificas* à dioeceſano ſuo Epiſcopo,eoqve notoriè Orthodoxo attuliſſet literas, Juxta *Concil. Laodic. I. Anno Chriſti CCCXVI. Can.41. & Alexandrum* Epiſtola Monitoria ad totius Orbis Epiſcopos,*de cavendis Ario & Achilla* apud Epiphanium hær.LXIX.& Theodoret.lib.I.cap.IV.

150 *Non admiſſi alibi ad Synaxin,niſi teſſeram afferentes.* Inter Nicænos Canones Ruffinus lib.I.6. & hunc refert:*Ne qvis excommunicatum ab Epiſcopo ſuo recipiat,ſive Laicum ſive Clericum ſub pœna ejusdem cenſuræ.* Qvod in *Concilio Antiocheno Anno CCLIX* Gangrenſi Anno CCCLXI. Carthaginenſi qvarto, CCCXCVIII. aliisqve exinde Synodis confirmatum, uſuqve & obſervãtiâ freqventatum fuiſſe, vel ſolo *Marcionis Hæreſiarchæ* exemplo conſtat: qvẽ Clerici Urbis Romæ, ut ſupra annotavimus, noluerunt admittere,eò,*qvod à Patre ſuo excommunicatus eſſet*.Hodieqve refertur talis Canon *inter Canones Apoſtolorum* ſic dictos n.XXXIII.

151 *Divulgatio ſententiæ.* Sveviſſe etiam Excommunicatorum nominã Epiſcopis aliis perſcribi,ut â ſurrepturis cavere ſuis Eccleſiis poſſent, patet ex modo laudati *Alexandri* Epiſcopi Alexandrini Epiſtola de *Ario ad omnes Univerſi Orbis Epiſcopos* apud Socrat.lib.I.c.3. Et Epiphan. *Hæreſi* LXIX. nec non Ep. XLVII. *Baſilii* ad magnum Athanaſium; qva ſignificat,innotuiſſe ſibi ex literis Athanaſii de excommunicato Præfecto Lydiæ. *Innotuit*,inqvit,*Eccleſiæ noſtræ ex literis pietatis tuæ,atq; averſandum atq; execrabilem illum arbitrabantur*

tur omnes,ita,ut nec ignis,nec aqvæ,nec tecti communionem cum illo ſint habituri.

Neqve etiam ſveviſſe abſolvi publicè,neqve ad communionem admitti,anteqvam relatio de poenitentia ad populum facta fuiſſet,patet ex geſtis cum Neſtorianis. *Act. Concil. Epheſini apud Peltanum T.6.c.13. & Baronium ad Ann. CCCCXXXII.* 152 *Publicatio abſolutionis.*

Collegerunt multa hujusmodi Exempla *Centuriatores* noſtri Cap.VI.*Centuriarum*, imprimis Cent.IV. ubi & *durationem temporis* qvandiu probabantur recipiendi,*& modum pœnitendi,& modum confitendi,& modum revocandi,*& forum,& judices, & proceſſum totum idoneis Antiqvitatis teſtimoniis deſcribunt. Qvalia & Annalium conditor paſſim obſervavit,niſi qvod invitâ veritate forum omne ad Romanum forum trahat, præſertim *in abſolvendis hæreticis. ad An.CCCXVIII. ad Ann.CCCXXCVI.*de divina correctione S. Martini,qvod Felici Ariano communicaverat. ad Ann.CCCCVIII. *de conditionibus recipiendorum Arianorum*, *Conſtantinopolitanorum.* ad Ann. CCCCXLVIII. ex literis *Flaviani, Conſtantinopolitani ad Leonem Romanum* , de non *communicando cum Eutychete,neq; per literas, neq; per alloqvium.* Et cumprimis *ad Ann,LVII. à num. XI ſeqq. nec non l.ſupra not.ad Ann. CLXVII.* 153

Non poſſum autem probare,qvam paulò ante n. 147. attigi, *Epiphanii ἀλλοτριοεπισκοπίαν*,in convocandis cætibus contra *Joannem Chryſoſtomum*,& fabricandis edictis in aliena dioeceſi contra ordinarium loci Epiſcopum,qvod inſtigatum à *Theophilo Antiocheno* Chryſoſtomi æmulo,ipſum feciſſe conſtat *ex Socrate l. VI.cap.12.13.14.* Qvi Socrates tametſi Chryſoſtomo non faveat; Ejus tamen modeſtiam in diſſimulandâ injuriâ,qvod inſularis iſte Epiſcopus in *Urbe Regia, in ſede Patriarchali,Synodos cogit, Synaxin celebrat,Diaconos ordinat,Origenis libros condemnat,alios ad ſubſcribendum condemnationi compellit* in Joannis dioeceſi,&rogatꝰ invitatusq; à Joanne *ut hoſpitium ſumeret in ædibus Epiſcopalibus,ad conſenſum fraternum conteſtandum,moroſe refragatur*; *Cœtus in publico diverſorio facit,&c.* Hæc nemo probare in Epiphanio poteſt. 154 *Epiphanius juriſdictione ſua nulliter uſus.*

155 Neqve etiam ejusdem Epiphanii *ἀλλοτριοεπισκοπίαν in ordinandis Diaconis & Presbyteris Bethleemi*, ſub jurisdictione, & in Diœceſi Joannis Hieroſolymitani; Multò minus *uſurpationem anathematis & excommunicationis* in vicinum, & digniorem qvidem Epiſcopum, ac Patriarcham Hieroſolymitanum. Hoc enim auſu *Hieronymum Presbyterum*, ſub jurisdictione Joannis Hieroſolymitani conſtitutū inflammavit, ut irreverenter & penè impudenter in Epiſcopum ſuum, cui obedientiam & reverentiam promiſerat, inveheretur, anteqvam negocium illud conciliariter cognitum aut deciſum fuiſſet; An & qvæ dogmata Originis Adamantii pro hæreticis habenda & declaranda eſſent? *Originem enim laudabat Joannes Hieroſolymitanus:* Epiphanius autem *Arii Patrem* appellabat.

156 Adſcribā Verba Epiphanii ex *ep. LX. apud Hieronymum: Video*, inqvit, *qvod propter hanc cauſam omnis verbi indignatio concitata ſit, qvod dixerim Vobis: Arii patrem, & aliarum hæreſeon radicem ac parentem laudare non debetis: Et cum vos rogarem, ne ita erraretis, & monerem, contradixiſtis, &c. Feciſtis nos & pœnitentiam agere, qvod vobis communicaverimus, ita Originis errores & dogmata defendentibus. Simpliciter loqvor: Nos, ſecundum qvod ſcriptum eſt, nec oculo noſtro parcimus, ut non effodamus eum, ſi nos ſcandalizaverit, nec manui, nec pedi, ſi nobis ſcandalum fecerit. Et vos ergo, ſive oculi noſtri, ſive manus, ſive pedes fueritis, ſimilia ſuſtinebitis.*

157 Involationem in poteſtatem ordinis his verbis excuſat in ead. Ep. *Ob Dei timorem hoc ſumus facere compulſi, maximè, cùm nulla ſit diverſitas in Sacerdotio Dei* (qvaſi verò parilitas officii tollat jura diœceſana) *& ubi utilitati Eccleſiæ providetur. Nam etſi ſinguli Eccleſiarum Epiſcopi habent ſub ſe Eccleſias, qvibus curam videntur impendere, & nemo ſuper alienam menſuram extenditur; tamen præponitur omnibus charitas Chriſti.* Hæc omnia extra extremæ neceſſitatis caſum, incongruè dicuntur.

158 *Examinatur Marci Antonii πανεπισκοπία.*

Qvicqvid enim *Marcus Antonius de Dominis lib. II. de Rep. c. 7.* pro hoc & ſimilibꝰ ſpoliis afferat, de *poteſtate charitativa extraneorum Epiſcoporum in diœceſes Univerſi Orbis*: Spolia tamen manent ejus-

ejusmodi uſurpationes officiorum Eccleſiaſticorum, in aliena dioeceſi jam conſtitutâ: qvandiu per ordinariam judicis ſententiam dioeceſanus exautoratus, vel Extraneus ad hoc vocatus non eſt, vel deniqve extremum periculum ſubditorum alienam operam non reqvirit: Aut verò, qvandiu Dioeceſani ſaltem tacitus conſenſus probari neqvit.

Falſam eſſe judico Marci Antonii propoſitionem, qvam 159 ſummarii loco dicto capiti ſeptimo præfixit: *Epiſcoporum poteſtatem certis locis divino jure non eſſe arctatam.* Si poteſtatem ordinis & jurisdictionis intelligit, uti convenienter iis, qvæ probationis loco ſubjungit, intelligi neceſſum eſt, falſum dicit: Epiſcopi utiqve erant, qvibus Apoſtolus dicebat *Act, XX, 28. Attendite gregi, in qvo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos.* Epiſcopi, (ἐπισκοπȣ͂ντες in Græco vocantur;) & Sympresbyteri Petri Apoſtoli erant, qvibus ille præcipiebat *I. Pet. V, 2: Paſcite qvi in Vobis eſt gregem Dei.* Qvid attinebat circumſcribere gregem: *Qvi in Vobis eſt*; Gregem, *in qvo Vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos*, ſi omnium ubiqve gregium ſinguli debebant curam gerere in ſolidum. Qvid attinebat Chriſtum dicere: *Alium gregem, alias oves Joh. X.* ſi ſinguli greges, uti collective & qvoad homogeneam formam in reſpectu ad Chriſtum Paſtorem ſunt unus grex; ita etiam qvoad ſingulorum ſubpaſtorum curam erant grex unus?

160 Succeſſerunt utiqve Epiſcopi Apoſtolis, qvoad analogiam ſtatûs, non qvoad identitatẽ ſtatûs, multo minus qvoad latitudinem dioeceſeos; in qva poteſtatem ordinis, & jurisdictionis directè exercere poſſint. Antecedens oportebat probari à Marco Antonio, non ſupponi tanqvam irrefragabile & certum. 161

Chryſoſtomus certè longè aliter ſenſit: Cùm enim diſtribueret objecta propria, diſtinctorum illorum officiorum, qvæ Epheſ. IV. diſcernuntur: & dioeceſes, in qvibus qvemqve docere oporteret: *Dedit alios Apoſtolos, alios Evãgeliſtas, Paſtores, Doctores,* ait: *Primùm Apoſtolos: Hi enim habebãt omnia: ſecundò Prophetas &c. Tertiò Evangeliſtas, οἱ μὴ περιιόντες πανταχȣ͂ : Hi non obibant omnes regiones,* Qvarto Paſtores & Doctores: *His concreditum erat*

Chryſoſtomi teſtimonium.

rat

rat ὁλόκληρον ἔθνος: peculiaris grex. *In qvo igitur erant Paſtores & Doctores inferiores* Scil. reliqvis? (Ita enim Græcus textus diſtingvitur.) *Maximè qvidem inferiores erant iis, qvi omnes obibant regiones. Et deinde Evangelizantibus, ii, qvi conſidebant & occupati erant circa unum locum, ut Timotheus & Titus*: Hæc Chryſoſtomus.

162 Igitur Marci Antonii negativa: *Non arctari certis locis*, intelligenda eſt negativè, videlicet: Epiſcoporum poteſtatem non ita arctatam eſſe ab Apoſtolis ad certa loca, ne poſſint exporrigere pedum ſuum in loca infidelium, *ubi Chriſtus nondum prædicatus erat*, ubi Eccleſiæ nondum conſtitutæ erant: uti Apoſtolus ait Rom. XV, 20. ſeqq. At non cumulativè, neqve privativè: Qvaſi ſinguli Epiſcopi concurrentem jurisdictionem habeant in Eccleſiis & paroeciis jam conſtitutis, Qvemadmodum Apoſtolus Paulus concurrentem jurisdictionem habebat cum ſociis Plantatoribus Eccleſiæ Romanæ, & Apoſtoli ſinguli cum ſingulis Locorum ordinariis. Rom. I, 11. 12. 13.

163 *Cypriani.* Etiam Cyprianus hoc modo diſtinxit illud intereſſe, qvod ſinguli Epiſcopi habent in Toto homogeneo, à parte, cujus adminiſtratio ſingulis commiſſa eſt, Epiſt. LXXIV. apud Pamelium, & *de unitate Eccleſiæ: Epiſcopatus*, inqvit, *unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum PARS tenetur.* Non dicit: Episcopatus ille unus à ſingulis in ſolidum tenetur.

164 Et qvam deniqve diverſitatis rationem dabit Marcus: Cur exercitium jurisdictionis Laicæ in alieno territorio vel foro, cenſendũ ſit in ſpecie prohibitæ ἀλλοτριοεπισκοπῆς, Exercitũ a. jurisdictionis Eccleſiaſticæ in aliena diœceſi, nõ ſit ἀλλοτριοεπισκοπή.

165 *Primus caſus excommunicandi extraneos, qvando provocatur ad plures.* Veruntamen poſſunt emergere caſus, & ſolent, proh dolor, nimis freqventer ſe offerre, in qvibus provocandum eſt ab una particulari Eccleſia ad plures, qvæ provocatio fundata eſt in gradatione dicti illius Chriſti: *Dic Eccleſiæ*; Qvâ voce indefinitè non ſolùm qvævis Eccleſia particularis, ſed, pro exigentia cauſæ, plures etiam particulares Eccleſiæ deſignantur, ad qvarum cognitionẽ Reus duci commodè poteſt. Uti *Barradas* hîc, *Eſtius & Maldon.* confitentur. Confirmatur voce Apoſtoli *I. Cor. XIV, 29. 32: Unus prophetet, reliqvi dijudicent: Spiritus Prophetarum oportet Prophetis eſſe*

ſub.

ſubditos,&c. ſcil. qvoad dijudicandi poteſtatem, de qva illic ſer-
mo eſt; qvomodo etiam *Chryſoſtomus, Oecumenius & Theophylactus*
expoſuerunt. In qvo Calvini & Arminii Diſcipuli conſenti-
unt: ſolùm diſputant: An ſub *Prophetarum* nomine etiam Laici
intelligendi veniant? qvod contendebat *Hugo Grotius*; Pietatis
Hollandiæ & Weſtfriſ. pag. 53. Contradicebant *Sibrandus Lubber-
tus* in Præfat. ad XCIX. errores Vorſtii, *Bogermannus* in Notis ad
Pietatem Grotii. *Brandius* in Præfat. ad Colloq. Hagienſe. & *Re-
formati in Colloqvio ipſo pag. 84. & 482.* nec non *in Actis Dordracenæ
Synodi Seſſ. XLVII.* in Actione cum *Henrico Leone*, forum illud in
diſputationem vocante: Hodieqve ab Antagoniſtis Nicolai Ve-
delii, *Triglandio, Revio, Votio*, aliisqve Teſtimonium hoc in prima
acie collocatur, qvo Conſtantini Magni Epiſcopatum deſtruant.

166 Magna *Synodus Nicæna Canone V.* inter Eos, qvos *lib. I. cap.
VI. Ruffinus* recenſuit, poſtqvam vetuerat: *Ne qvis Epiſcopus ex-
communicatum ab alio Epiſcopo, ſive Clericum ſive Laicum ſuſciperet*;
provocationem tamen concedit excommunicato ad pluriumEc-
cleſiarum cognitionem & deciſionem, qvando è veſtigio addit:
*Sanè, ne hoc aut iracundiâ aliqvâ, aut contentione (ut fieri ſolet) injuſtè
factum, remedium non haberet; decernunt: per ſingulos annos in ſin-
gulis provinciis iterùm ab omnibus Epiſcopis Concilia* agi debere, & de “
hujusmodi negociis judicari, ut ſi fortè ab uno iniqvè aliqvid ge-
ſtum eſt, à cæteris emendetur: Si rectè, ut ab omnibus confir- “
metur. Hinc provocationes à Conciliis numero judicum mi-
noribus, ad Concilia Majora, à provincialibus, ad Nationalia, à
Nationalibus ad Univerſalia, qvæ paſſim omnibus nota ſunt, &
ab *Athanaſio Apolog. 2. pro fuga tua fol. 576.* ed. græcol. fuſius dedu- 167
cuntur.

Inter exempla provocantium ab Unius Eccleſiæ particula-
ris judicio ad plures, extat Antiochenæ Eccleſiæ provocatio *ad
Concilium Apoſtolorum & Presbyterorum* Ieroſolymis congregato-
rum Act. XV. non ſolùm tanqvam ad Matricem & ſeminarium
Eccleſiarum totius Orbis: neqve ſolùm ad Apoſtolos, ut θεο-
πνεύςυς & infallibiles judices; ſed etiam ad Presbyteros & Seni-
ores aliarum Eccleſiarum, illic commorantium tanqvam in Me-

tropoli & pharetra, è qvâ alii jam emiſſi & dati erant Paſtores Eccleſiis, alii indies emittebantur.

168 Ad hujus Synodi præcipua Capita etiam *Paulus Apoſtolus* accedebat, non qvidem provocando ad eorum definitionem de fide adhuc ſibiipſi incompertâ, ſed provocando ad eorum approbationem, & conſenſum transmarinis Eccleſiis oſtendendum. *Ne fortè*, inqvit, *in vacuum currerem aut cucurriſſem*. Gal II, 2. Qvam provocationem *Hieronymus* miris modis extollit, eamqve αὐτοδιδάκτοις καὶ ἰδιογνώμοσιν opponit *in Epiſt. ad Paulinum*, qvæ Vulgatæ Bibliorum Verſioni præmitti ſolet. *Qvid loqvar*, inqvit, *de ſeculi hominibus? Cùm Apoſtolus Paulus, Vas electionis & Magiſter gentium, qvi de Conſcientia Tanti in ſe Hoſpitis loqvebatur: An experimentum qværitis ejus, qvi in me loqvitur Chriſtus? poſt Damaſcum Arabiamq; luſtratam aſcenderit Ieroſolymam, ut videret Petrum, & manſerit apud Eum diebus qvindecim. Hoc enim myſterio hebdomadis & ogdoadis futurus Gentium prædicator inſtruendus erat: Rurſumq; poſt annos qvatuordecim, aſſumpto Barnaba & Tito expoſuerit Apoſtolis Evangelium, ne fortè in vacuum curreret aut cucurriſſet.*

Paulus ipſe ad Extraneā diœceſin provocavit.

169 Hæc provocatio ad Extraneas diœceſes ſæpe & plærunqve fit ab hæreticis & Excommunicatis ipſis: uti ſupra de *Subjecto corripiente & corripiendo* oſtendimus de *Novato & Pelagio*, provocantibus & provolantibus ex Africâ & Palæſtinâ Romam: de *Ario, Neſtorio, Eutychete* præoccupantibus per literas Vicinorum & Exterorum Epiſcoporum animos, ut ad ſchiſma componendum neceſſariò faciendæ fuerint Convocationes Synodorū etiam Extranearum (qvamvis ut plurimum in ſede, vel etiam provincia, in qva hæreſis primum excitabatur, fuerint coactæ:) in qvibus & per qvas innumeri heterodidaſcali excommunicati & condemnati, officiis ſuis exauctorati, & ſeculari Magiſtratui traditi sūt, qvod exemplis paſſim obviis cōſtat.

170 Hac vocatione *Lucifer* Calaris in Sardinia, *Euſebius* Vercellis in Italia, & *Hilarius* Pictavienſis in Gallia Epiſcopi, ſuas in Orientem excurſiones, Hæreticorum illic Doctorum depoſitiones, Orthodoxorū Inveſtituras & ſurrogationes, Synodorum Convoca-

Ejecti è ſuis Eccleſiis per ſententiam Extraneorū.

cationes,& Extraneorum Excommunicationes defendere potuerunt. De qvibus *Ruffinus lib. Primo hiſtor. cap. 27. 28. ſeqq.* De *Luciferi* enim vocatione in Ægypti Urbem Antiochiam ait: *qvod invitatus ab Euſebio Vercellenſi, ut, qvia uterq; à Conſtantio Imp. relegati erāt in provinciam Ægypto vicinam, Alexandriam commigrare vellet, ad Athanaſium inviſendum, communiq; tractatu cum reſiduis Orthodoxis Sacerdotibus, illic de ſtatu Eccleſiæ decernendum;* detrectaverit qvidem congreſſum,& Diaconum Legatum pro ſe miſerit; Antiochiam autem ideò perrexerit, *ut diſſidentibus ibi partibus, ſed in unam tamen revocari poſſe ſperantibus, talem Epiſcopum ordinaret, in qvem plebs utraq; conſentiret.* Unde apparet: Alexandrinos, ſaltem qvosdam, vocaſſe Luciferum, ut ordinaret Paulinum; Verùm, an vocatio omninò legitima & ſufficiens fuerit, eò, qvod altera & qvidem *principalior pars*, ut Ruffinus ait *cap. 30. etiam Orthodoxa*, in Paulini perſonam non conſentiret, ſed *Meletium* exulem, & priſtinum Paſtorem ſuum poſceret, qvem paulò poſt Paulinum introductum, *Euſebius Vercellenſis* iisdem Antiochenis reſtituit, adeoqve *Duo Epiſcopi in uno grege Orthodoxo unius urbis* reſidere cæperunt, jam non diſputo.

De *Euſebii Vercellenſis* vocatione nihil invenio, niſi qvod Rufinus Cap. XXVIII. ait: *Qvod Alexandriam perrexerit* (qvò Luciferum qvoqve invitaverat) *ibiq;* (ubi Athanaſius Epiſcopatum gerebat) *Confeſſorum Concilium congregaverit, qvi pauci numero* (*ſubſcripſerunt XXII*) *ſed fidei integritate & meritis multi omni curâ & libratione diſcuſſerint, qvo pacto poſt hæreticorum procellas & perfidiæ turbines, tranqvillitas Eccleſiæ reducenda eſſet.* Et Cap. XXX. ſub finem: *Euſebius verò circumiens Orientem atq; Italiam, Medici pariter & Sacerdotis fungebatur officio. Singulas qvasq; Eccleſias* ABJURATA INFIDELITATE *ad ſanitatem rectæ fidei revocabat; Maximè, qvod Hilarium, qvem dudum cum cæteris Epiſcopis in exilium tranſum eſſe memoravimus, regreſſum jam, & in Italia poſitum, hæc eadem erga* INSTAURANDAS *Eccleſias, fidemq; Patrum reparandam reperit molientem. Niſi qvòd Hilarius, Vir naturâ lenis & placidus, ſimul eruditus & ad perſvadendum commodiſſimus, rem diligentius &* AP- 171

TIUS *procurabat,&c. Ita Duo iſti Viri, velut magnifica qvædam mundi lumina* ILLYRICUM, *Italiam, Galliasq; ſuo ſplendore radiarunt, ut omnes etiam de abditis angulis & abſtruſis, hæreticorum tenebræ fugarentur.* Hæc Rufinus.

172 *Injuſſu Romani Ep.* Qvod enim *Baronius* ad Annum CCCLXII. & poſt eum *Binius Tom.I.Concil.fol.487.* comminiſcuntur: *Athanaſium indixiſſe Synodum hanc, hortatu & auctoritate Liberii Romani; Euſebium Vercellenſem & Luciferum Calaritanum Epiſcopos, tanqvam Legatos Liberii præſto illic fuiſſe,* id non error, ſed conceptus dolus eſt. Neq; enim non legerunt apud Rufinum, qvod Euſebius motu proprio Alexandriam profectus fuerit, Lucifer autem præſentiam ſui denegaverit cap.27. Imò, nec decreta Concilii hujus acceptare voluerit, etiamſi Legatum illic habuiſſet; neqve etiam Athanaſio, neqve Euſebio communicaverit, eò, qvod Euſebius *Meletium* Epiſcopum Antiochenis inſtitueret, *contra Paulinum* à ſe inſtitutum; etſi neuter jurisdictionem illic inſtituendi Epiſcopos obtineret.

173 *Secundus caſus excommunicandi Extraneos, ad cavendam noxam gregis noſtri.* Aliqvando autem emergunt caſus, ut Extranei etiam Epiſcopi & Eccleſiæ exteræ *per conſcientiam obligentur*, etiam non vocati ab illis Extraneis, ſuccurrere preſſis Eccleſiis per declarationem & defenſionem doctrinæ Orthodoxæ, & damnationem heterodoxæ, nō ſolùm ad præſervandos greges ſibi commiſſos, (qvo jure Magiſtratus ſeculares prohibent in ſuis territoriis extraneam monetam, ſive adulteratam, ſive precio minutam: Qvo jure etiam prohibent commercia cum hac vel illa civitate contagio infectâ: aut banno proſcribunt è ſuis provinciis, non ſolùm ſingulares homines, verùm etiam totas hoſtiles provincias) ſed etiam præſervandos aut liberandos alios fidei ſuæ domeſticos, qvi eandem, ejusdemqve precii & venerationis fidem, ἰσότιμον πίστιν acceperunt *II.Petri I,1.* qvorum ſpirituale damnum tenentur præcavere & avertere, ex communi nexu membrorum corporis myſtici univerſalis inter ſe, *I.Cor.XII,13.23,25.26: In uno Spiritu omnes*

nos in unum corpus baptizati ſumus, ſive Judæi, ſive Gentiles, ſive ſervi, ſive liberi, &c. *Et qvæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem* (curam) *abundãtiorem impendimus: ne ſit ſchiſma in corpore, ſed membra in idipſum pro invicem ſollicita ſint* (τὸ αὐτὸ ὑπὲρ ἀλλήλων μεριμνῶσιν: eodem fine mutuam curam gerant) *Et ſi qvid patitur unum membrum, compatiuntur reliqva membra, &c.* Neqve enim dubium eſſe poteſt, qvin Eccleſiæ Eccleſiis ad tantum opis ferendum obſtrictæ ſint, etiam naturæ jure, ad qvantum qvisqve Terræ filius obſtrictus eſt, *ad liberandum bovem & aſinum proximi è faucibus lupi, leonis, &c.* Juxta legem, *Exod. XXII.* Tota difficultas eſt in *moderamine ſuccurſûs*, ne malum fiat deterius. Aliqvam enim univerſalem curam, ratione objecti & finis ſic dictam, ut *Unitas Spiritûs*, id eſt, conſenſus in doctrinæ & fidei confeſſione & profeſſione publicâ, *conſervetur in vinculo pacis*, incumbere ſingulis Doctoribus Eccleſiæ, tàm manifeſtum eſt, ut nulla probatione indigeat: Tùm ex neceſſitate extrinſecâ ſive præcepti divini, *Epheſ. IV, 3. 4. ſeqq. & d. l. I. Cor, XII.* Tùm ex neceſſitate intrinſecâ, reſultãte ex indole Totius integralis homogenei. Neq; n. harmonia ſive communio Sanctorũ, per univerſum orbem diſperſorum, conſervari poteſt, niſi harmonia Sanctorum in qvavis particulari Eccleſia, in multis Eccleſiis Unius provinciæ, plurium provinciarum, plurium regnorum, id eſt, partium integrantium totum illud homogeneum, conſervetur. Qvemadmodum integer chorus Muſicus turbatur, qvando ſolus fidicinum chorus diſcordat. Huic harmoniæ conſervandæ tenentur omnes & ſinguli Doctores, nervos omnes intendere, & in Relatione ad hunc finem, incumbit eis cura de aliarum etiam Eccleſiarum orthodoxiâ conſervanda. 174.

Iſta a. vicaria & ſubſidiaria adminiſtratio poteſtatis Ordinis, vel etiam jurisdictionis, qvæ applicatur actu ſecundo ad hanc vel illam particularem Eccleſiam in ſpecie, etſi (1) vel conſentiente Ordinario, vel (2) deficiente illo, vel (3) ad reqviſitionem Eccleſiæ collectivæ, id eſt reliqvorum Paſtorũ, & plebis, vel (4) ad mandatũ ſuperioris: vel (5) per legitimã miſſionẽ ad nondũ converſos

&infideles,vel (6) in caſu extremæ neceſſitatis ubi doctrina & cultꝰ orthodoxus ſine extraneo auxilio cõſervari neqvit: vel qvæ deniqve(7) ſaltem non invito Orthodoxo & ordinario loci exercetur: Iſta inqvam nõ eſt actus aut exercitium jurisdictionis univerſalis,qvæ in ſingulis particularibus Eccleſiis reſideat,neqve actus jurisdictionis dioeceſanæ,ſed eſt commodatio auxilii ſpiritualis,tacitè vel expreſsè rogati,aut Imperati à Deo, qvale erat illud,qvod piſcatores ex alterâ navicula rogati ferebant naviculæ Petri Luc.V. & qvod Ieroſolymitani ferebant Samaritanis Act. VIII,14.

175 *Succurſus in neceſsitate.* Et horſum referenda ſunt exempla *Polycarpi Smyrnenſis*,ſuccurrentis Aniceto Romano,*docendo & informando plebem in Aniceti diœceſi, apud Irenæum III. adverſus Hæret.c.1.* Cypriani,*Oſii Cordubenſis*, Athanaſii,*Luciferi Calaritani*,Hilarii Pictavienſis, *Euſebii Vercellenſis*,aliorumqve Extraneorum,ſuccurrentium Eccleſiis & Epiſcopis aliis,conſilio,ſcriptis,voce,interpoſitione,tranſactione,interceſſione,legatione,ordinatione & inſtitutione Paſtorum, examine& confutatione heterodidaſcalorum, condemnatione eorundem: uti de Theophilo Alexandrino teſtatur Hieron. Ep. LXXI: *qvod per illius Epiſtolas,poſt Chriſtum Roma & tota Italia ab Origeniſtis fuerit liberata.* Et de Appollianeo Hierapolitano in Ægypto:*qvod circumiens Galatiam,Ancyræ docuerit, & refutaverit hæreticos conſenſu Epiſcoporum,Zottici à Vico Comano,& Juliani ab Apamia* Euſebius V,16. Sive qvum rogati eſſent ab oppreſſis Epiſcopis & Eccleſiis; ſive ſuâ ſponte hortantes, monentes, dehortantes,conſolantes,corripientes. Qvæ ſunt officia charitatis mutuæ,non exercitia neqve actus poteſtatis ordinariæ,ſive ordinis ſive jurisdictionis in aliena dioeceſi,uſqve ad excommunicationem totius Eccleſiæ ſive parochialis, ſive provincialis pertingentes; Sed ſunt operæ ſubſidiariæ in extrema neceſsitate & periculo animabus fratrum latæ,ex communi lege & obligatione membrorum univerſalis Eccleſiæ inter ſe; Et cumprimis Doctorum,qvos univerſali etiam Eccleſiæ arctius obligari certum eſt,ad inclamandum & abigendum unum alterumqve Lupum, un-

undecumvis imminentem,qvàm obligatus eſt ullius Laicorum aut Idiotarum. *Ut enim cuivis ſcienti bonum facere & non facienti peccato imputatur omiſſio,Jacobi IV,ult.* Ita ſilentium ejus Paſtoris, qvi clamore ſuo etiam à vicino ovilij lupum poterat abigere, haut dubiè pro peccato ei reputatur,ob neglectam univerſalem legem inclamandi qvemvis lupum.

176 *Qvivis hæretici poſſunt excommunicari.*

Et hæc inclamatio lupi agreſtis,ubicunqve depræhenſi, extendit ſe *usq; ad excommunicationem & damnationem.* Cenſura enim in hæreticos,præcepta Doctoribus,ſine diſtinctione diœceſeon. *Rom.XVI. II.Tim.II.Tit.III, &c.*

177 *Hæretici extra ſuam diœceſin damnati.*

Ex hac obligatione damnarunt *Lucifer,Calaritanus, Euſebius Vercellenſis,& Hilarius Pictavienſis* Arianos in Eccleſiis Ægyptiacis &Illyricis Latrocinantes. Ex hac obligatione,non ex univerſali qvâdam,& Romano Epiſcopo propriâ jurisdictione, *Apollinaris Syri Epiſcopi* doctrina,de ſolo corpore,non anima humana à Chriſto in incarnatione aſſumptâ, *& primò omnium*, *πρῶτον*,in Urbe Roma damnata eſt , convocato extra Laodicenam diœceſin Concilio; at non à Damaſo ſolo , ſed , ut *Rufinus teſtatur l.II,20: A Damaſo & Petro Alexandrino Epiſcopo Concilio congregato,talis ſententia depulſa eſt,ut decreverint : Si qvis Filium Dei,qvi ſicut verè Deus ita & verè homo fùit,vel humanitatis aliqvid vel Deitatis minus habuiſſe diceret,*ALIENUS *ab Eccleſia haberetur. Qvæ ſententia,*inqvit,*& apud Alexandriam confirmata eſt , & apud Conſtantinopolim decreto Concilii. Ex illo tempore Apollinariſtæ ab Eccleſia declinantes , & Epiſcopos ſibi ſuæ partis,& Dogmata propria,Eccleſiasq; defendunt.*

En exemplum damnatæ & excommunicatæ hæreſeos Syræ, in Italia,Thracia,& Ægypto,anteqvam in diœceſi propria Cenſuram ſuſtinuiſſet. Exempla plura,non ſolùm inſtitutorum Epiſcoporum ab Euſebio Samoſateno & Athanaſio in alienis diœceſibus,ſed etiam ejectorum heterodoxorum,qvoad declarationem inidoneitatis, non per vim , legenda ſunt apud *Baſilium* Epiſt. XVIII.XLVIII.LI.LVIII.*Theodoretum* lib.V.cap.IV. & *Marcum Antonium de Dom*,lib.II.de Rep.cap.VII.

Hoc:

Hoc fatendum eſt enim: poteſtatem declarandi judiciali-
178 ter, *hanc Beſtiam eſſe Lupum*; Et poteſtatem arcendi, ſive non admittendi hanc beſtiam, ut miſceat ſe gregi mihi commiſſo, per uſurpationem Symbolorum & ſignorum, ex qvibus oves inter ſe & ab aliis cognoſcuntur eſſe oves: pertinere ad poteſtatem jurisdictionis Eccleſiaſticæ, ineſſe atqve competere unicuiqve Eccleſiæ provinciali repræſentativæ; ejusq; habitum reqviri ad ſufficientem defenſionem & præſervationem cujusq; Eccleſiæ provincialis à deſtructione; Qvemadmodum ſufficiens facultas defendendi ſtatum ſuum, reqviritur in omni Rep. Sed exercitium illius habitus & jurisdictionis, per leges prudentiæ Chriſtianæ non eſt deducendum in actum, niſi poſt cognitionem Eccleſiarum totius regni, aut provinciæ non agnoſcentis ſuperiorẽ in hoc Regimine Eccleſiaſtico. Aut, ſi ex pacto ita convenerit, vel ubi exercitiũ magnos motus in Rep. daturum eſſe apparuerit, non niſi *poſt cognitionem Eccleſiarum in pluribus provinciis*: juxta illud Apoſtoli: *juncto meo & Veſtro Spiritu*; *I. Cor. V.* *omnia ad ædificationem fiant*, I *Cor. XIV. Dedit nobis poteſtatem Deus ad ædificandam non ad deſtruen-*
179 *dam Eccleſiam, II. Cor. X. &c.*

Heterodidaſcalias qvidem actio, eſt popularis actio, & poteſt unusqvisqve de plebe notare, deſignare, inclamare, accuſare lupum, eum deniqve convincere, Matt. VII. Atqve cumprimis hæc actio incumbit Paſtoribus, Act. XX, 28. 29. Jeſ. LV. & LVI. At ſententiam judicialem atqve præceptivam ferre non poſſunt Laici de utroqve: ſcil. Et lupum, & vitandum eſſe, id eſt, ordinariè non poſſunt Eum excommunicare, ſi hactenus ſub habitu ovis fuit admiſſus; Verùm ad hanc ſententiam ferendam & exeqvendam, reqviritur & ſapientia & prudentia totius diœceſeos, ſive provincialis, ſive nationalis, non qvidem ob defectum jurisdictionis in ſingulis diœceſibꝰ habitualis: ſingulæ n. Eccleſię particulares habent promisſionem tantæ gratiæ, qvanta reqviritur ad deſignandum id, qvod cavendum eſt; *ſed qvoad tempus & modum* exercitii determinandum, *ne triticum unà cum Zizaniis evellatur*, ut ſupra o-
180 ſtendi ex *I. Cor. V. juncto meo & veſtro Spiritu, &c.*

Et ad hanc qvidem ſententiam legitimè tùm ferendam, tùm

exe-

exeqvendam, reqviritur profundius & exactius judicium circa vitia doctrinæ, qvàm circa vitia morum, tùm evitanda tùm corrigenda. Ratio eſt, qvia morum vitia evidentius & latius patent per lumen naturæ, & collata ad normam æqvitatis naturalis: At detectio & convictio de vitiis doctrinæ, reqvirit illuminationem ſupernaturalem, & dexteritatem artificialem, ſive acqviſitam eruditionem in convincendo, & prudētiam in emendando, vel etiam ad progreſſum & contagionem impediendam; qvia hæreſis probabilius & veroſimilius ſe pingere, occultare, excuſare & palliare ſolet ac poteſt, atqve morum vitia; ideoqve facilius hominum mentibus novitatis avidis ſe ingerit. Ac proinde major prudentia reqviritur ad excludendum doctrinæ qvàm morum contagium.

Hæc itaqve excluſio ſive excommunicatio præcluſiva alte- 181
rius, & præſervativa gregis mei à communione cum lupo extra- *Unde naſcatur jus excommunicandi non ſubditos.*
neo, eſt qvidem *propriè dicta excommunicatio excluſiva* alterius à cætu meo, & conſeqventer à cætu totius Eccleſiæ Catholicæ, propter conſenſum partis homogeneæ cum toto homogeneo; ſed non eſt proprie dicta jurisdictio in aliena diœceſi: *Eſt jurisdictio in hominem de aliena diœceſi*, fundata in loco delicti, qvi facit forum competens. Qvia enim delinqvit ſparſione dictorum & ſcriptorum in mea diœceſi; hinc ex loco, in qvo delictum ab extraneo committitur, naſcitur & competit mihi jurisdictio animadvertendi in extraneum ex loco delicti mihi obligatum.

Qvemadmodum deprehenſa adulterina monetâ, Cuſor ejus, etſi individuum vagum & cognitū ſit, notatur infamiâ eo in loco, ubi moneta ejus deprehenditur. Ipſe autem deprehenſus etiam in alieno territorio, ſortitur hic forum, ob locum delicti.
Sic Theodor. refert l. V. c. 34. Epiſcopos Europæos ſeparaſſe ſe â calumniatoribus Joan. Chryſoſtomi, etſi Orthodoxis, qvi in exilio 182
ipſū mori coegerant. *Hoc facinus*, inqvit, *imprimis execrati ſunt Epiſcopi Europæ, & ſe ab Autorū communitate ſeparaverunt; qvorū partē auxerunt acceſſione ſuâ omnes Illyrici. Verùm Orientales fugere qvidem plerią; & ipſi communitatem facinoris, ſed corpus tamen Eccleſiæ*

non diſtraxerunt. Ac defuncto vitâ Doctore orbis terrarum (Chryſoſtomo) *non prius communionē Orientalium & Ægyptiorum, itemq́ Boſphori ac Thraciæ Epiſcoporum, admiſere Occidentales, qvam admirabilis illius Viri nomen ad reliqvos defunctos Epiſcopos* (in Diptycha) *adſcripſiſſent: Arſacium qvidem, qvi illi ſucceſſerat, ne compellatione qvidem dignati. Atticum verò, ſucceſſorem Arſacii, poſt multas legationes & petitiones pacis, tandem receperunt, qvum ille Joannis Chryſoſt. nomen reliqvis aſſcripſiſſet.*

183 Poſito etiam, qvòd extraneus in animo non habeat mihi nocendi, & vacet latâ culpâ, ſi meæ diœceſi ab heterodoxia ejus damnum inferatur; Qvia tamen rem ſuâ naturâ noxiam ſpargit, de qva ſcire eum oportebat, eſſe noxiam, nec decere ſe, ut talia ſpargat; æqve tenetur, ac ſi fluvium ad irrigandum agros meos immiſiſſet, qvi naturali fluxu & qvantitate aptus natus eſt ad evertendos & perdendos agros meos; vel ſi leonem, lupum aut canem rabidum immitteret gregi aut ſubditis meis: aut veneno fontes meos inficeret, animo dulcorandi vel ſanandi eos. Judicium enim de qvalitate talium dogmatum, & poteſtas excludendi à meo cætu noxia dogmata, competit ſingulis etiam Eccleſiis particularibus ad tuendam ſuam integritatem: cæteris paribus.

Qvæ per ſe nocent fidei, excludanda ſunt.

184 Facultas qvidem ſolvendi & ligandi validè, facta eſt etiam *duobus vel tribus congregatis in nomine Chriſti, Matth. XVIII.* At circa exercitium, ne plus noceat, & pluribus qvidem, qvàm proſit, prudentia & ſuffragia multorum adhibenda ſunt, ne jure illo & beneficiis, qvæ hactenus tanqvam pars homogenea in fruitione communium beneficiorum totius homogenei poſſedit, temerè qvisqvam privetur, aut temerè illo privandus pronuncietur. Spoliare enim qvenqvam communi beneficio: Onerare aliqvem novis ſervitutibus: lædere famam & exiſtimationem alterius, impactione reatus hæreſeos, uti per ſe gravia peccata ſunt, ita graviora fiunt, ſi ex intempeſtiva declaratione, & declarationis executione, *triticea ſeges* Chriſti damnum patiatur, & unà cum *Zizaniis* evellatur, vel ſaltem incrementum ſegetis ſiſtatur, Matth. XIII.

In excluſione prudentia adhibenda.

185 Unde conſeqvens eſt, eos Autores, qvi non peccarunt in noſtra

Digitized by Google

ſtra diœceſi, ſive immediatè, ſive mediatè per infectionem noſtri gregis, propter heterodoxias & ſcandala permanentia tantùm intra diœceſes extraneas, qvale erat delictum *Joannis Hieroſolymitani*; excommunicari à vicinis Epiſcopis non poſſe, niſi ſolo intuitu contagii, & vitii manantis actu primo, ſive potentiâ proximâ, vel etiam actu ſecundo in ſubditos noſtros. In qvo caſu naſcitur jurisdictio mea in ſubditum non meum, ex loco delicti, ut dictum eſt. Et cumprimis ac præcipuè ex officio Paſtorum, ut gregi ſuo non ſolùm oſtendant lupos, qvæ beſtiæ pro talibus habendæ & fugiendæ ſint? ſed moralibus armis, inter qvæ eſt *Excommunicatio depulſiva ſeu defenſiva*, etiam abigant & prohibeant eos, ne invadant gregem curæ meæ commiſſum.

Poſſunt etiam, & ſolēt, proh dolor, emergere caſus, ut ſilentibus, vel etiam heterodoxis Epiſcopis diœceſanis, aut vicinis; in populum devolvatur neceſſitas ſeparandi ſe à conſortio ſuorum Epiſcoporum, & ſeparandi ſive abſtinendi Epiſcopos à ſuæ conſortio ſacræ & communionis: qvæ eſt realiſſima excommunicatio: Eaqve ſive *privativa*, qvando Epiſcopus antea Orthodoxus, durante officio deficit in hæreſin, uti tempore prævalentis Sectæ Arianæ freqventer contingit; ſive etiam Excommunicatio *negativa*, qvando plebi obtruditur Epiſcopus heterodoxus, qvi in communione cum Orthodoxis non fuit, isqve non admittitur à plebe Orthodoxa, qvalis erat *Syneſius Ptolemaidis Epiſcopus*, reſervans ſibi facultatem negandi reſurrectionem carnis, apud Nicephorum lib. XIV. cap. 55. *Urſacius, Valens, Eudoxius*, aliiq; Ariani repulſam paſſi. Qvæ ſeparatio mandata eſt Rom. XVI, 17. per imperationũ: ἐκκλίνατε. Qvomodo ſupra audivimus, plebem Alexandrinã ſeparaſſe ſe à communione *Georgii Cappadocis*, qvi obtrudebatur in locum Athanaſii; *ſibiq; reſervaſſe locum Dominicum*, ſive templum, etiam poſtqvam militari manu *Syriani*, Præſidis Alexandrini, Athanaſius de throno deturbatus, percuſſus, & pœne enectus eſſet. Neqve ſolummodo proteſtatam fuiſſe plebem contra ſurrogationem Georgii, ſed & *arma, tela, gladios*, qvos Syrianus templo intulerat, & qvibus Clerum populumqve pariter afflixerat, qvorum partem plebs in tumultu facto militibus extorſerat, *in templo ſuſpē-*

186 *Tertius Caſus excommunicandi non ſubditos.*

187

diſſe, appoſitis excubiis cuſtodiiſſe; ac tametſi Syrianus ſæpè miſiſſet Carnificem militarium ordinum, unà cum Duçe, ut ea tollerent, à populo tamen prohibitos fuiſſe, ne ſigna Arianæ tyrannidis non ad perpetuam rei memoriam extarent.

188 *Tyranni extorqvent teſtimonia mãſvetudinis.*

Deniqve Syriano populum vi compellente, ut Teſtimonium ipſi ſcripto perhiberet; *Neq; tumultum ab eo factum, neq; occiſum qvenqvam, cùm manu hoſtili de poſſeſſione templi plebem turbare tentaſſet*; (qvalia Teſtimonia Jeſuitæ, aliiqve Romani cultus inſtauratores hodie à plebibus exigunt, iisqve tanqvam illuſtri anathemate ſuperbiunt, ut ex *Pauli Laymanni juſta Defenſione*, ſic inſcriptâ contra antiqviores Ordines Monaſticos, affatim eſt videre) Teſtimonium tale non ſolum non perhibuiſſe, ſed inſtrumeto publico contra proteſtatos fuiſſe; *Se alium Epiſcopum Alexandrinum præter Athanaſium non agnoſcere, nec templo cedere, nec Georgio communicare velle.* Proteſtatio extat *Tom. I. Opp. Athanaſii fol. 856. ed.* Comel. Græcolat.

189 *Excommunicatio Realis per plebem facta.*

Sic à *Joanne Hieroſolymitano*, de hæreſi Origenis (etſi nullâ conciliari ſententiâ tunc temporis damnatâ) ſuſpecto, non ſolùm *plebem Hieroſolymitanam ſeparaſſe ſe*, ſed Epiphanii ſtudio in qvamplurimis etiam aliis particularibus Eccleſiis *Dogmatiſtas harum opinionum à communione excluſos fuiſſe*, teſtis eſt *Hieronymus in Epiſtola adverſus errores Joannis Hieroſol.* qvæ inſcripta eſt Pammachio; nec non *in ſeqq. ad Theophilum Alex.* Etſi proceſſum, qvem Epiphanius, extraneus Epiſcopus, & Hieronymus Joannis ſubditus, in conficiendo negotio hoc ingreſſi ſunt, per omnia non approbo: neqve Epiphanianæ ἀλλοτριοεπισκοπίας alia exempla laudo, qvæ in Conſtantinopolitana Eccleſia in odium & necem Joannis Chryſoſtomi deſignavit, excitatus à Theophilo Alexandrino, qvi itidem æmulabatur Joannis facundiam & eruditionem, de qvibus illaudatis affectibus *Socrates lib. VI. à cap. 9. ad 18.*

190 *De populo Conſtantinopolitano* refert *Sozomenus l. VIII. c. 23. & 24.*

24. *qvod Arſacio* in locum Johannis Chryſoſtomi ſuffecto *noluerint communicare, etſi Nectarii,* Anteceſſoris Chryſoſtomi *frater, & cætera orthodoxus eſſet,* tantùm, qvia in Joannis exilium conſenſerat. Qvæqve dira paſſæ propter ea fuerint nobiles qvædam & opulentæ matronæ, præcipuè *Nicareta Bithynienſis, & Olympias* Eccleſiæ miniſtra, *Eutropius lector, Tigrius Presbyter,* aliiqve ſeparatos cum plebe ab Arſacio conventus ſacros facientes, prolixè illic legere eſt. De Paſchatis feſto in publico balneorum loco per Chriſtianos orthodoxos celebrato, poſtqvam templo vi publica ejecti erant iidem Chryſoſtomi fautores: teſtatur idem *Sozomenus ibid. c. 21.*

De populo Samoſateno commemorat *Theodoretus lib. IV. cap. 14* 191 qvòd Euſebio Epiſcopo orthodoxo de ſede ſuâ pulſo, & ſurrogato Eunomio Ariano, *nemo ex civibus voluerit communicare,* etſi Arianus vitam degeret inculpatam. *Nemo,* inqvit, *ex Urbis incolis, ſive preſſus egeſtate, ſive divitiis affluens, famulus vel artifex, Agricola vel Conſitor, vir aut mulier, juvenis aut ſenex, ad conventum Eccleſiaſticum, ut moris erat accedere voluit, licet diceretur vitam apud eos valdè modeſtè inſtituiſſe.*

De populo Carthaginenſi, & plebe Africana in univerſum teſtatur *Cyprianus,* qvod in Eccleſia etiam conſtitutâ, totâqve Orthodoxâ, plebs concurrentem cognitionem de meritis & qva- 192 litate excommunicandorum & abſolvendorum habuerit, & ſuffragium qvidem aſſertivum tacitè tulerit, facultatem autem ſuffragiū negativū expreſsè ferendi palàm exercuerit, *ſi qvid adverſus excommunicationem, vel excommunicati abſolutionem excipiendum putaret.* Hoc conſtat ex Epiſtola ad Cornelium ſuperius etiam allegata, qvæ eſt 3. lib. 1. (Pamel. LV.) qva *increpat Cornelium, qvòd excommunicatos in Africa, admiſerit ad ſuam communionem* ſub prætextu, tanqvam Cyprianus in his recipiendis nimis aſper & rigoroſus eſſet.

O ſi poſſes, frater Chariſſime, iſtic intereſſe nobiſcum, cum pravi iſti & perverſi de ſchiſmate revertuntur; videres, qvis mihi labor ſit perſvadere patientiam fratribus noſtris, ut animi dolore ſopito, recipiē-dis malis curandisq; conſentiant. Vix plebi perſvadeo, imò extorqveo, ut tales patiantur admitti: Et juſtior factus eſt fraternitatis dolor ex eo, qvod unus atq; alius obnitente plebe & contradicente, meâ tamen facilitate ſuſcepti, pejores extiterunt, qvàm prius fuerant. Delictis plusqvam oportet remittendis pœne ipſe delinqvo: amplector promptâ & plenâ dilectione cum pœnitentia revertentes, peccatum cum ſatisfactione humili & ſimplici confitentes.

Cypriani facilitas & populi Zelus.

193 *De populo Romano* idem teſtatur *Clerus Romanus in Epiſtola ad Cyprianum de Gajo Liddenſi* & aliis, qvi lapſis vel etiam excommunicatis nondum reconciliatis communicabant, lib. V. Epiſt. 13. Pamelio XXX: *Et Moſes ac Maximus Presbyteri, Nicoſtratus & Ruſinus Diaconi Romani*, apud eundem Cyprianum l. V. Ep. 125. Pamelio XXVI. qvæ eſt reſponſoria de eodem argumento; qvod, uti excommunicatio fiebat cum conſenſu plebis, ita abſolutionem & receptionē in communionem nō oporteat niſi cautè moderateq; tractari, *conſultis omnibus Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Confeſſoribus, & ipſis ſtantibus Laicis.*

194 Idem Clerus Romanus de iis. qvi minacibus literis reſtitutionem exegerant. *Qvantò meliores ipſorum literæ fuiſſent*, (ajunt) *ſi pro ipſis preces ſtantium* (Scil. Laicornm) *humilitate ipſorum adjutæ fuiſſent?* Idem Clerus ſeqvente *Epiſtola XXXI. apud Pamel. al. l. V. ep. 7*: *Placet*, inqvit, *qvod & tu ipſe tractaſti prius, Eccleſiæ pacem ſuſtinendam: Deinde ſic collatione conſiliorum cum Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Confeſſoribus pariter ac ſtantibus Laicis factâ, lapſorum tractare rationem. Perqvàm enim nobis & invidioſum & moroſum videtur, non per multos examinare, qvod per multos commiſſum videatur fuiſſe: & UNUM ſententiam dicere, cùm tamen grande crimen per multos diffuſum notetur exiſſe. Qvoniam* NEC FIRMUM DECRETUM ESSE POTEST, *qvod non plurimorum videbitur habuiſſe conſenſum.* Ad hunc locum Cypriani digna eſt legi Annotatio *Simonis Goulartii*, oppoſita Pamelianæ gloſſæ, intempeſtivè qvi-

Populi autoritas.

Digitized by Google

qvidem huic loco allitæ, *de incompetentia ſuffragii Laici in Conciliis*: qvandoqvidem hic de conſilio in cauſa recipiendorum hæreticorum & lapſorum agitur.

Tertulliani etiam ætate ſuffragia populi acceſſiſſe ad excom- 175
municationem & Abſolutionem, patet ex Apologiæ Cap. XXXIX qvando ait: *Aſſidentibus probatis qvibuscunq; Senioribus, firmo & recto judicio perculſos fuiſſe excommunicandos.*

Origines de poteſtate Eccleſiæ collectivæ, in abdicando Pa- 176
ſtore heterodoxo; occaſione *Achanis* è medio ſublati *ad cap. 7. Joſuæ*, more ſuo ad allegoriam, de abſcindendâ manu ſcandaloſa converſus, ſic ait: *Ego qvi videor Tibi manus eſſe dextra, & Presbyter nominor, & verbum Dei videor prædicare; Si aliqvid contra Eccleſiaſticam diſciplinam & Evangelii regulam geſſero, ita ut ſcandalum tibi, Eccleſia, faciam: In uno conſenſu Eccleſia univerſa conſpirans excidat me dexteram ſuam & projiciat à ſe. Expedit enim tibi, Eccleſia, absq; manu tua introire in regnum cælorum, qvàm mecum ire in gehennam.*

Et paſſim etiam in *Canonibus Gratiani* repetitur, *qvòd Ovis in* 177
cauſa fidei judicare poſſit Paſtorem, imò etiam *gladio excommunicationis ferire. Can. ovesqve. 13. 2. q. 7.* Oves *qvæ Paſtori ſuo commiſſæ ſunt, eum nec reprehendere (niſi à recta fide exorbitaverit) debent, nec ullatenus accuſare poſſunt: Qvia facta Paſtorum ovis gladio ferienda non ſunt, qvanqvam rectè reprehendenda videantur.* Gloſſator & Summator *Joannes Andreæ* Canonem hunc etiam *ad accuſandi facultatem* de vitiis morum extendit, qvando ait; *interdictum intelligendum eſſe de criminoſis & infamibus ſubditis, qvi vitam Prælatorũ parati ſunt reprehendere, non imitari.* Hæreſeos autem actionem eſſe popularem non eſt dubium. *Et exceptio NISI, dat facultatem*, non ſolùm reprehendendi, ſed etiam feriendi paſtores à fide exorbitantes, *ovium gladio.*

Et hæc pro ratione inſtituti noſtri ſufficiant de cauſſa, & ſi- 178
mul de *vitio excommunicationis* ex defectu fori vel judicis competentis; de qvo etiam ſupra §. VI ubi de ſubjecto corripiẽte, & Breviarii pag. 356. ſeqq. nonnulla attigimus;

Nunc

Digitized by Google

199 Nunc de meritis ipſis, & de moderatione hujus epitaſeos fraternæ, tùm ex Regula æqvitatis, ſive in reſpectu ad merita, tùm ex Regula prudentiæ, ſive in reſpectu ad finem & utilitatem publicam, pauca ſunt adjicienda.

200 Merita ipſa qvod attinet, notum eſt ex locis Theologicis: Vitia ſcandaloſa tùm in doctrina, tûm in moribus, iisqve accedentem pertinaciam & incorrigibilitatem, eſſe objecta adæqvata hujus cenſuræ Eccleſiaſticæ, uti exemplis *inceſtuoſi I. Cor. V. Hymenæi, Phileti, Hermogenis* aliorumqve blaſphemantium cœleſtem veritatem I. & II. ad Tim. Cap. 1. conſtat.

201 Succeſſu temporis ad privatas offenſas, præſertim in Epiſcopos, Clericos, aut eorum miniſtros deſignatas, vindicandas adhiberi cæpiſſe hanc cenſuram, eaqve propter viluiſſe, ex Grâtiani qvoqve Decreto apparet, tota *cauſa* 24, & 26. q. 6. Ex Concilio Metiſconenſi ſecundo ſub finem ſeculi ſexti celebrato citat Gratianus *Canonem XV: Si qvis ſecularium vehitur eqvô ſublimis, & Clerico pediti obviam factus fuerit, non illico ad terram defluat, & galero de capite ſublato ſinceræ ſalutationis munus Clerico exhibeat, ad tempus ad ſacra communione excludatur.* Ob furtum rei parvæ, ob damnum exile etiam jumentis & canibus venaticis Epiſcoporum illâtum, aut ſi qvis lædentem non detegat; ſi qvis Romipetas ulla ratione moretur in via, &c. his fulmen Excommunicationis imminere, patet ex Decretalibus Gregorii IX. *de ſentent. Excommunicationis.* Et commentatoribus *Bullæ* qvam *Cœnæ Domini* vocant, in qva ordine recenſentur, qvos, qvales, & qvibus de cauſis Romanus Epiſcopus die Viridium ſoleat excommunicare.

202 Inter Gravamina Nationis Germanicæ Anno Chriſti MDXXII. in Comitiis Noribergenſibus, Legato Adriani VI. Franciſ. Cheregato, à Statibus Romano Cathol. exhibita §. 25. 26. 27. & hæc legere eſt: **Es werden viel Chriſten-Menſchen zu Rom/auch an andern Orten/ꝛc. umb zeitlicher Sachen und Guts Willen gebannt / auch alſo umb zeitlichen Gelds und Guts wegen/und offt gar umb gering Ding/ umb Seel/Ehr/Leib und Gut bracht/ꝛc. Item daß ie**

Digitized by Google

zu Zeiten etlich Perſonen in einem Flecken mit Unbilligkeit vermeintlicher Weiſe gebannt worden / damit nicht allein dieſelben / ſondern auch ihre Nachbarn / die ſolcher Ding gantz nichts zu thun haben / oder verwand ſind / beſchweret werden / indeme die Officiale von den Nachbarn / als Participanten dringen / was ſie von dem Selbſacher nicht haben können / ꝛc. Item: ſo ein Pfaff / oder ander geweihete Perſon erſchlagen / wird nicht allein der Thäter verbannet / ſonder auch die Stadt / ꝛc. interdicirt / und ſo lange interdict gehalten / auch kein Chriſtlich Werck vollbracht / biß der Thäter oder die Gemeine Abtrag thue. Notæ ſunt cauſæ Excommunicatorum hoc ſeculo *Venetorum*, qvod vulturum Monaſticorum rapacitati in deglutiendis fundis limites poſuiſſent, & mille alia.

Prætereo ſchiſmata in una provincia & regno, imò in una urbe prognata ex nimio rigore, nô in exigenda profeſſione & confeſſione aperta & dilucida & plena: ſed ex rigore vindicandi erroris aut delicti in hoc vel illo individuo, qvoad vitæ vel famæ dispendium patiendum & faciendum. Intueamur homicidia, vivicomburia, cadaverum effoſſiones, & combuſtiones, bella, ſeditiones *in ſola Italia, ex ſola Excommunicatione Romanorum Epiſcoporum inter ſe ortas*, qvando etiã poſt obitũ, *mortui* à ſucceſſoribus excõmunicati, nepotes aut Amicos vindices reliqverunt: Qvæ cenſura intempeſtiva nullam qvidem utilitatem Eccleſiæ potuit afferre, damna verò nunqvam excuſanda. Legantur apud *Onuphrium, & Anaſtaſium Bibliothecarium* Res geſtæ *Liberii & Felicis ſecundi*; *Donati & Urſicini*; *Bonifacii primi & Eulalii*; qvarto à Chriſto nato ſeculo, qvo debebant eſſe optimi & prudentisſimi & modeſtisſimi *Pontifices*; *Symmachi & Hormisdæ*, ſub finẽ ſeculi Qvinti. *Sylverii & Vigilii* ſeculo ſexto; *Joan. Qvinti, Cononis, & Sergii*, ſeculo ſeptimo: *Zachariæ, Stephanorum, Theophylacti & Philippi Antipaparum*, mutuò ſe excommunicantium: *Formoſi, Stephani Septimi, Theodori ſecundi*, in cadavera mutuum ſævientium. Ut de intem-

peſtivè excommnnicatis Romanis Imperatoribus ea ſileam, qvæ lippis & tonſoribus notisſima ſunt, etſi Gnathones Pontificum, tanqvam de re præclare geſtâ gloriari & tripudiare in his ſoleant. Vid Gratiani Decretum *Can. Duo ſunt. 10. Diſt. XCV. Bellarmini, Svaris, Andreæ Eudæmono Joannis, Baronii* Polemica contra *Joannem Marſilium, Paulum Seruitam, & Barclaios.*

204 Neqve inficior, etiam Orthodoxos & piôs Doctores in hoc genere prudentiæ & modeſtiæ Eccleſiaſticæ, ſæpe & freqventer defeciſſe, non qvod nimium cunctarentur & formidarent de ſuſcipiendis aut recipiendis in communionem iis, qvi corpore & confeſſione in cætibus hæreticis fuerant, & ad Eccleſiã revertebantur; ſed qvod nimis præcipites & faciles eſſent in aliis à ſua, vel ſe ab aliorum communione ſeparandis; inter qvos una eaqve orthodoxa communio hactenus obtinuerat: & qvòd in alienas diœceſes & diœceſeon Epiſcopos Jurisdictionem & cenſuras uſurparent. Hoc vitium inde ab origine Chriſtiani nominis immenſas ſtrages Eccleſiarum, & ipſius qvoqve pietatis dedit, etſi pietatis nomine & prætextu deſignaretur. *Vide Theodoret. l. V. c. 33. 34. ſeqq. de Exceſſibus Theophili & Cyrilli Alexandr.*

Moderationem pœnæ pro qvantitate exceſsus, Antiqva etiam
205 Concilia inſinuare voluerunt, conſtitutione *diverſorum graduum pœnitentiæ iis*, qvi etſi ſolenniter excommunicati non eſſenr, ad communionem tamen cum orthodoxis non admittebantur, ſive propter cõmmunionem freqventatam cum Idololatris, ſive etiam cum hæreticis: ut pro modo communionis, *ſi metu, ſi minis, ſi plena, aut ſemiplenâ voluntate, ſi hilari aut triſti habitu corporis & cultûs, ſi ſemel aut ſæpius, ſi cum repentina aut tardâ pœnitentiâ, qvisqvam communicaſſet; ſi leve aut grave damnum vel tuliſſet ipſe anteqvam communicaret, aut dediſſet communicando.* Iſta omnia *Concilium Ancyranum* in Galatia, ante Nicænum anno CCCVIII. ut qvibusdam videtur, coactum *Can. 2. 3. 4. 5.* definivit, & in ſpuriis *Canonibus Nicænis n 18. 19. 28. 31. 32. 47 repetuntur.*

206 *De iis, qvi cũ hæreticis Arianis vel Sabellianis communicaverant*, ſive ad pacem ſolam, ſive in priſtinum etiam miniſterii locum recipien-

cipiendis, ſeu deniqve à communione Orthodoxâ, poſt confeſſionem erroris & profeſſionem orthodoxam planè non arcendis, definivit *Synodꝰ Alexandrina Epiſcoporū XC*(etſi pauciores ſubſcripſerint) ab Euſebio Vercellenſi,& Athanaſio convocata,ita; ut *ſoli hæreſiarchæ,& dogmatiſtæ*,ſive doloſi propagatores hæreſeos ab officii reſtituendi ſpe caderent,cæteri *etſi Epiſcopi, etſi Presbyteri, &c. qvi ſive metu,ſive ſpe cito tranſituræ nubeculæ, & ad præſervandas Eccleſias à præfectura Notoriorum hæreſiarcharum,communicaverant cum hæreticis,pœnitentiam qvidem agerent & faterentur ſe peccaſſe; à communione tamen neq; ſuſpenderentur neq; arcerentur. Qvod Athanaſius* expreſsè extendit ad συνδραμόντες: ad ſeqvaces,& currentes *cum Arianis in Epiſt. ad Rufinianum Tom. 2. Op.* Græcolat. Comel. *fol.46: Placuit omnibus præſentibus, etiam externarum provinciarum Epiſcopis,ſimiliter etiam apud eos qvi in Græcia ſunt noſtri comminiſtri,nec minus apud eos,qvi in Hiſpania degunt, & omnibus tàm hic qvàm ubiq; alibi conſtitutis: ut iis,qvi in hæreſin prolapſi, ejuſdem etiam CAPITA ac Defenſores fuerunt,*(προϊστάμενοι) *Reſipiſcentibus qvidem venia detur,nullo vero modo locus inter Ordines Eccleſiaſticos. Ii verò,qvi impietatis autores non fuerunt,ſed neceſſitate qvâdam in hæreſin abſtracti ſunt,non ſolùm veniam conſeqvantur,ſed& locum in ordine Eccleſiaſtico obtineant.Imprimis hanc ob cauſam,qvod hi probabilem facti ſui cauſam attulerunt,& viſum fuit hoc qvaſi œconomicè factum. Confirmarunt enim,ſe non projectos fuiſſe in hæreſin; at verò,ne impii qvidem in locum illorum ſuffecti Eccleſias penitus everterent,maluiſſe ſe potius συνδραμεῖν τῇ βίᾳ, concedere violentiæ hæreticorum,& perferre communionis onus,qvàm ut plebs penitus everteretur. Propterea qvod & videretur ipſis adſtipulari* AARON MOSIS FRATER,*qvi cum conſenſiſſet populari transgreſſioni in deſerto, Apologiam hanc attulerit. Qvod conſenſiſſet,ne populus reverſum in Ægyptum parans,perpetuæ Idololatriæ implicaretur. Veriſimile enim erat,ſi in deſerto detinerentur,poſſe eos reduci ab Idololatria: Si verò in Ægyptum redirent,continuaturi & aucturi eſſent in ſe ipſis hanc impietatem. Hac igitur de cauſa etiam de illis Clericis decretum eſt, qvi aliqvam vim paſſi & ſeducti ſunt,veniam illis eſſe dandam. Qvotqvot igitur*

Digitized by Google

gitur reſipiſcunt, apertè hæreſin execrentur, nominatim verò Evzoii & Eudoxii perverſa dogmata, &c.

207 Deinde ſtatutum eſt: ut cauſarum merita juſtâ lance expenderentur, neqve per injuſtam excommunicationem cuiqvam injuria, aut Eccleſiæ damnum crearetur. Conſtitutionem hanc legere eſt in *Nicæna Synodo Can. V.* edit. Græcol. è Cod. Vatic. primò qvidem: *Ne qvis Epiſcopus*, ſi excommunicandus videretur, ordinariè & regulariter *niſi à Synodo Provinciali aut nationali excommunicaretur.* Deinde: *Si qvisqvam ab ordinario ſuo injuſtè ſe excommunicatum qvereretur, inqvirendum (ait) ne ſimultate aut aliqvâ contentione aut ſimili qvodam vitio* (ἀηδίᾳ) *Epiſcopi, qvisqvam excluſus fuerit* (ἀποσυνάγωγος γεγένηται) *ut hoc igitur decentem habeat diſcuſſionem, bene futurum viſum eſt, annis ſingulis per unamqvamq; provinciam bis in anno Synodos fieri, ut communiter omnibus Eparchiæ Epiſcopis congregatis, diſcutiantur hujusmodi qvæſtiones. Et ſic, qvi* ὁμολογουμένως *peccaverint ſuo Epiſcopo, juſtè apud omnes à communione excluſi cenſeantur, donec communi Epiſcoporum conſilio placuerit mitiorem de illo ferre calculum.*

208 Secunda editio Canonum, ſed Latina, judicium de reſtituendo excommunicato, ſive mitiore calculo ferendo, *alternative* committit *Concilio Epiſcoporum, vel Epiſcopo ordinario:* Alphonſus autem Piſanus in edit: XXC. Canonum Nicænorum, qvos antiqvitas ignoravit, Can, 6. pro *appellatione ad Concilium Epiſcoporum*, ſubſtituit appellationem gravati *ad Archiepiſcopum vel Patriarcham.* qvum tamen illa ætate Patriarchatus nondum conſtituti eſſent.

209 Genuinum autem Canonem Nicænum paulò poſt approbarunt Concilia *Antiochenum & Sardicenſe* eodem ſeculo celebrata. *Antioch. Can. VI. apud Bin. fol. 338: Si qvis à proprio Epiſcopo communione privatus eſt, non ante ſuſcipiatur ab aliis, qvàm ſuo reconcilietur Epiſcopo: Aut certè ad Synodum qvæ congregatur recurrens, ſe purgaverit, & perſvaſâ Synodo aliam ſententiam tulerit. Addit: Hæc autem conſtitutio obliget Laicos & Presbyteros & Diaconos, omnesq; qvos ſub Regula Epiſcopi eſſe conſtat.* Ergo Epiſcopus eximitur à judicio

Provocatio ad Synodum.

Digitized by Google

dicio unici Epiſcopi, à qvo excommunicari poſſit, & pro prima inſtantia remittitur ad Synodum.

Sardicenſis Can. 17. ſic habet: *Hoſius Epiſcopus dixit: Qvod me admodum malè habet, tacere non debeo. Si qvis Epiſcopus exiſtat ad iracundiam proclivis, & cito adverſus Presbyterum vel Diaconum commotus, ex Eccleſia qvemlibet ejicere voluerit, providendum eſt, ne is repente condemnetur aut communione privetur. Omnes dixerunt: Qvi ejicitur, facultatem habeat confugiendi ad Epiſcopum metropolis ejusdem provinciæ; Sin autem metropolitanus abfuerit, finitimum adeundi, atq; rogandi, ut ipſius cauſa diligenter cognoſcatur. Ille verò Epiſcopus, qvi jure vel injuriâ iſtum ejecit, comiter ferre debet, cauſam cognoſci, ipſiusq; ſententiam vel confirmari vel corrigi. Priusqvam tamen ſingula examinata fuerint, is, qvi communione privatus eſt, ante cauſæ cognitionem non debet ſuo ſibi jure communionem vindicare.* Innumeri ſunt hujus argumenti Canones, qvos Romani Latrones ſimul omnes conculcarunt. 210

Sententia primæ inſtantiæ tandiu obtinet, donec reformetur.

Cæterùm, qvid de *gravitate intrinſeca culparum*, ob qvas qvis excommunicandus eſt, Antiqva Concilia definierint; Videlicet, non ob qvæcunqve levia morum vitia, ſed adverſus ſola ſcandaloſa cùm morum, tùm doctrinæ vitia, eaqve publica, hoc antidoto eſſe utendum, plura apud Gratianum legenda ſunt. *Diſt. L. Can. de his verò & ſeqq. & 24. q. 1. c. Audivimus.* Nec non apud Hieronymum *in c. 23. Jerem. & 24. Ezechielis*, ubi qveritur: *Separari oves qvæ congregari debebant, diſſipari injuſtè.* Gregor. Nazianz. *Orat. de Moderat. in Diſp. adhibenda.* Chryſoſt. *de Anathematis.* Baronio ipſo agnoſcente Tom. I. An. 57. ap. Spencæū *Digreſſ. XIII. in Epiſt. ad Tit.* & cumprimis apud Lutherum Tom. I. Jenenſi de Banno fol. 28. ſeqq. & Tom. V. in Commonitorio ad Eccleſiaſticos Anno MDXXX. in Comitiis Auguſtanis congregatos. 211

Calviniſtas tamen, alioſqve manifeſtos & inveteratos hæreticos, ſermonem illum Chryſoſtomi de non anathematizandis mortuis, in qvavis fere chartâ jactantes, ſermo iſte nihil juvat. 212

Loqvitur enim de vivis qvidem corrigibilibus: De mortuis verò,
qvi in viſibili communione notoriè Orthodoxæ Eccleſiæ de-
functi erant, qvod hi poſt mortem temere non eſſent anathema-
tizandi: qvomodo Theophilus Alexandrinus, Chryſoſtomi æ-
mulus, Originem Adamantium ducentis annis poſt obitum ana-
thematizaverat. In qvē dicta videtur hæc oratio, uti ex collatione
hiſtoriæ Socratis & Theodoreti ſatis clareſcit. Adde ipſius Chry-
ſoſtomi *prolepſin* ex illo ſermone: *Hæreticus, ajunt, factus eſt ille, in-
habitantem habet Diabolum, multos in profundum perditionis abduxit.
&c. Sane,* inqvit, *propter hoc à patribus ejectus eſt maximè, qvia Magi-
ſter ejus partem qvoq; Eccleſiæ abſtulit; Intelligo Paulinum aut Apolli-
narem.* Incorrigibiles autem & pertinaces ſeductores, qvòd non
vetuerit Chryſoſtomus anathemate percutere, patet ex eodem
ſermone, qvando Judam & ſimiles proditores jure excommuni-
cari & anathemate percuti docet. Judam, inqvit, & alios, qvi ſi-
cut ille exciderant, tandiu non abjecit Chriſtus, qvousqve ſeipſum
qvisqve abductum errori mancipavit: *Ἄχρις οὗ ἑαυτὸν ἑλκύσας
ἕκαστος τῇ πλάνῃ παρέδωκεν.* De Doctoribus autem Calviniſti-
cis jurantibus in Sectæ illius dogmata qvis negabit, qvod ſe tradi-
derint illi Sectæ? Qvomodo de habitualiter malis pronunciat
Apoſt: Qvod *ἑαυτοὺς παρέδωκαν τῇ ἀσελγείᾳ* Eph. IV. Ib. *Apoſtoli
hæreticos ejiciebāt ex Eccleſia, qvaſi effodiendus eſſet dexter oculus. Qvà
tempeſtiva membri defectione, magnā ſuam compeſſionē demonſtrabāt.*
Iterū in fine illius ſermonis: *Dogmata enim hæretica, præter ea qvæ
accepimus,* (ita enim ſonat in Græco. Fronto Ducæus hic dormi-
tavit, Anonymo interpreti fiſus) anathematizare oportet, & im-
pia dogmata arguere: Omnem verò conniventiam hominibus
tribuere (*πᾶσαν δὲ φειδὼ ἀνθρώπων ποιεῖσθαι*) & orare pro ipſorum
ſalute. *Tertium reqviſitū* ſive tempus excommunicandi qvod atti-
213 net, totus Liber Tertius Auguſtini *contra Epiſtolam Parmeniani*
Donatiſtæ, totamqve illam Sectam, qvæ propter facinus incertum
Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi, à cōmunione Eccleſiæ Catho-
licæ ſe ſeparaverat, occupatus eſt in hoc argumento; *Suſpenden-
dam vel etiam omittendam eſſe excommunicationem ſontium, ſi ſchi-
ma in tota communitate, aut majus malum qvàm eſt toleratio pauco-
rum,*

Digitized by Google

rium, inde orīturum appareat: Neqve propterea, qvod qvidam peccatores non excommunicantur, deſerendam eſſecommunionem externam cum innocentibus, inter qvos ille vel illi ſontes vivunt. Exordium libri hoc eſt:

Cum omnis pia ratio & modus Eccleſiaſticæ diſciplinæ Unitatem Spiritus in vinculo pacis maximè debeat intueri, qvod Apoſtolus ſufferendo invicem præcepit cuſtodiri: & qvo non cuſtodito, medicinæ vindicta non tantùm ſuperflua ſed etiam pernicioſa, & propterea jam nec medicina eſſe convincitur; Illi filii mali, qvi non odio iniqvitatum alienarum ſed ſtudio contentionum ſuarum, infinitas plebes jactantiâ ſui nominis irretitas, vel totas trahere, vel certè dividere affectant, ſuperbiâ tumidi, pervicaciâ inſani, &c. ne luce veritatis carere oſtendantur, umbram rigidæ ſeveritatis oſtendunt: Et qvæ in Scripturis Sanctis, ſalvâ dilectionis ſinceritate, & cuſtoditâ pacis unitate ad corrigenda fraterna vitia moderatiori curatione fieri præcepta ſunt, ad ſacrilegium ſchismatis, & ad occaſionem præciſionis uſurpant, dicentes: Ecce, ait Apoſtolus, Auferte malum ex vobis ipſis, &c. Noli communicare peccatis alienis, &c. 214

Ad has & ſimiles parænes Apoſtolicas reſpondet Auguſtinus, Eas duplici modo impleri: *Uno* per ſeparationem moralem cujusqve fidelis à conſortio vitiorum, qvando contingit, ut aliqvos malos ab Eccleſiæ congregatione ſeparare non poſſit, & ideò tolerare eos cogatur: *Altero* per excluſionem localem peccantis à reliqvo grege, qvæ tunc demum intelligatur præcepta, qvando Zizania ſine læſione frumentorum ſeparari poſſunt. 215

Capite II. argumentatur ad hominem; *primò ab ipſorum Donatiſtarum facto*, qvi à Carthaginienſi qvidem & Catholica Chriſti Eccleſiâ cætus ſuos ſeparaverant, dum Cæcilianum Epiſcopū, ob traditos libros orthodoxos nonexcommunicatum, ſed in poſſeſſione Ephoriæ & adminiſtrationis toleratum fuiſſe cauſabantur, ſuummet autem hæreſiarcham, *Optatum Gildonianum*, manifeſtorum criminum reum, citra cenſuram Eccleſiaſticam inter ſe tolerabant, cumqve eo non ſolùm in menſis ſuis, ſed etiam in menſa Dominica communicabant. 216 *Schismatici in ſuis diſſimulant, qvod exagitant in Orthodoxis.*

Deinde

Digitized by Google

Deinde arguit eos exemplo Cypriani, cujus rigorem Donatiſtæ
217 cumprimis objiciebant: *Sanctiſſimum illum Epiſcopum, non Laicos, non alterius Eccleſiæ Clericos, ſed ſuosmet Collegas libero ore ac calamo corripuiſſe, prudenter q; ac ſobriè ſaluberrimæ mordacitatis medicinam iis intuliſſe, qvòd eſurientibus in Eccleſia fratribus, illi habere argentum largiter vellent, fundos inſidioſis fraudibus raperent, uſuris multiplicãtibus fœnus augerent, &c.* Et his talibus tamen Cyprianum non ſolùm in Eccleſiæ unitate, *ſed etiam Collegii conſortio junctum manſiſſe*, qvamvis ab eis vitâ, moribus, corde, propoſito discreparet. *Qvomodo ergo*, (inqvit) *Cyprianus, & alia frumenta Dominica, in illa tunc unitatis Eccleſia cum avaris & rapacibus, cum his, qvi regnum Dei non poſſidebunt, non Laicis vel qvibuscunq; Clericis, ſed & ipſis Epiſcopis panem Domini manducabant & Calicem Domini bibebant? cùm idem Apoſtolus præcipiat non commiſceri eis, & clamet; cum ejusmodi nec cibum ſumere? An, qvia non poterant ab eis corporaliter ſeparari, ne ſimiliter eradicarent & triticum, ſufficiebat eis à talibus ſejungi vitâ moribusq; diſtingvi? propter compenſationem cuſtodiendæ pacis & unitatis: propter ſalutem infirmorum & tanqvam lactentium frumentorũ, ne membra Chriſti per ſacrilega ſchiſmata lacerarent.*

Tandem regulam ſtatuit, juxta qvam Apoſtolico præcepto
218 *I.Cor.V. Auferte malum de medio veſtri*, morem gerere oporteat.
Auferre malum I.Cor.V. *In hac*, inqvit, *velut anguſtia qvæſtionis, non aliqvid novum aut inſolitum dicam, ſed qvod ſanitas obſervat Eccleſiæ: Ut, cum qvisqvam fratrum, id eſt, Chriſtianorum, intus in ſocietate Eccleſiæ conſtitutorum, in aliqvo tali peccato fuerit deprehenſus, ut anathemate dignus habeatur; fiat hoc*, UBI PERICULUM SCHISMATIS NULLUM *eſt, atq; id cum ea dilectione, de qva ipſe alibi præcipit dicens*: NON UT INIMICUM EUM EXISTIMETIS, SED CORRIPITE UT FRATREM. *Non enim eſtis ad eradicandum, ſed ad corrigendum.*

219 Pergit: *Qvod ſi ſe non agnoverit, neq; pœnitendo correxerit, ipſe*
Oportunitas excommunicandi. *foras exiet, & per propriam voluntatem ab Eccleſiæ unitate dirimetur. Nam & ipſe Dominus, qvum ſervis volentibus Zizania colligere, dixit, ſinite utrumq; creſcere, usq; ad meſſem: præmiſit cauſam dicens, Ne fortè cum velitis colligere Zizania, eradicetis ſimul & triticum. Ubi ſatis oſten-*

Digitized by Google

oſtendit: Qvum metus iſte non ſubeſt, ſed omninò de frumentorum certa ſtabilitate certa ſecuritas manet: Id eſt, qvando ita cujusq; crimen „
notum eſt omnibus, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorſus
vel non tales habeat Defenſores, per qvos poſſit ſchisma contingere; non „
dormiat ſeveritas disciplinæ, in qvâ tantò eſt efficacior emendatio pravi- „
tatis, qvantò diligentior conſervatio charitatis. Tunc autem hoc ſine
labe pacis & unitatis, & ſine læſione frumentorum fieri poteſt, qvum
congregationis Eccleſiæ multitudo, ab eo crimine, qvod anathematiſatur, aliena eſt.

Paulò poſt: Neq; enim poteſt eſſe ſalubris à multis correptio, ni- 220
ſi cum ille corripitur, qvi non habet ſociam multitudinem. Cùm nempe idem morbus plurimos occupaverit; nihil aliud boni reſtat, qvàm dolor & gemitus, ut per illud lignum, qvod Ezechieli ſancto revelatur, illæſi evadere ab illorum vaſtatione mereamur.

221

Iterum: Et reverâ, ſi contagio peccandi multitudinem invaſerit, Divinæ Disciplinæ ſevera miſericordia neceſſaria eſt: Nam conſilia ſeparationis, & inania sũt & pernicioſa, atq; SACRILEGA. Qvia & impia & ſuperba fiunt, & plus perturbant infirmos bonos qvàm corrigant animoſos malos. Sicut enim ille fideliſſimus teſtis avaritiæ Collegarum (Cyprianus) cum ea mala tribulationum qvæ patiebatur illo tempore Eccleſia, cenſuræ divinæ & disciplinæ tribueret, commemoratis qvos noverat Episcoporum peſſimis moribus, qvi eſurientibus fratribus habere argentum largiter vellent, fundos inſidioſis fraudibus raperent, &c. qvid non, inqvit, perpeti tales pro peccatis hujusmodi mereremur? &c. Ita miſericorditer corripiat homo qvod poteſt: qvod autem non poteſt patienter ferat, & cum dilectione gemat atq; lugeat, donec aut ille deſuper emendet & corrigat: aut usq; ad meſſem differat eradicare Zizania, & paleam ventilare. Ut tamen ſecuri de ſalute ſua, bonæ ſpei Chriſtiani inter deſperatos qvos corripere non valent, in unitate verſentur; auferant malum à ſeipſis: id eſt, ut in ipſis non inveniatur, qvod in moribus aliorum displicet.

Qvando excommunicatio ſit intempeſtiva

222

Poſtea reſpondet ad teſtimonia Prophetica à Parmeniano objecta: Qvid paleis cum tritico Jer. 23. Exite ab ea populus mi Jeſ 52 Non ſedi in Concilio vanitatis Pſal. 26. &c. Per eandem diſtinctionem

Auguſtini reſp. ad object ſchismaticorum.

nem *inter ſeparationem moralem & corporalem*: & porrò, *inter ſeparationem corporalem peccantis*, ſi absqve majore damno ſeparari ab Orthodoxis poteſt, & *inter ſeparationem integrorū cœtuum à ſe invicem. Capp. 3.4 & 5. Novit*, inqvit, *hæc ponere Parmenianus, & non curat advertere, qvemadmodum his verbis ſine ullo diviſionis nefariæ ſacrilegio ſerviatur. Species enim domus Dei & locus claritatis in vaſis eſt, non in omnibus qvæ tamen in unâ domo ſunt, ſed iis, qvæ ſunt in honore ſanctificata, Domino utilia, &c. In his qvisqvis dilexerit ſpeciem domus Dei & locum tabernaculi claritatis ejus, tolerat ea, qvæ ſunt in contumelia, nec propter hoc relinqvit domum, ne fiat ipſe, non vas in contumelia, qvod tamen toleratur in domo; ſed ſtercus, qvod de domo projicitur, &c. Iſti autem ſunt infelices, qvi ſe ab omni malorum congregatione, tanqvam triticum à paleis purgatos eſſe præſumunt.*

Damna intempeſtivæ excommunicationis.

Docuit autem omnium ſeculorum experientia; Nullam
223 propemodum majorem cladem illatam fuiſſe paci & tranqvillitati Eccleſiæ, atqve per cenſuras, (1) incompetentes ratione fori (2) illegitimas ratione meritorum, aut proceſſus, (3) intempeſtivas ratione circumſtantiarum loci, temporis, perſonarum, earumqve executiones.

224 Nonnullos etiam Orthodoxos Epiſcopos maluiſſe cum Ario modeſtius actum, & rogaſſe Alexandrum, ut *Ariū* excommunicatum in gratiam reciperet, ad exhibitam fidei profeſſionem, Apoſtolico Symbolo longo luculentiorem, & qvæ Imperatori ac nonnullis Epiſcopis etiam Orthodoxis ſatisfecerat, apud Socrat. l.II. c.26. Hiſtorici omnes affatim teſtantur. Atqve ipſa *Conſtantini* ad utrosqve ſcripta *Epiſtola*. Nonnullos etiam Orthodoxos initio detrectaſſe anathema dicere Ario, etſi doctrinam Arianam damnarent, tantùm ideò, qvod in modo procedendi nimis præcipitanter cum Ario actum videretur, legere eſt apud Euſeb. *lib.II. de vita Conſtantini* à Capite LVI. ad finem libri. Rufinum *lib.I. cap.1 ſeqq. Socrat. lib.I. cap.5. ſeqq. cap.6. in fine, & cap.14.* ſub finem.

Hieronymus a. cenſet, *celerius & ſtatim fuiſſe opprimendum Ari-*
225 *um, Comment. in cap. III. ad Galat.* qvod certè fieri oportuit ſive per

re-

reconciliationem, qvæ oppreſſio propriè non erat:ſive per interfectionem,ſive per interceptionem in carcere,ut neqve voce neqve calamo docere poſſet. 226

Sanè Theodoretus I.Cap.2. expreſsè docet:*Gradus admonitionum ab Alexandro omninò fuiſſe præmiſſos ad emendandum Ariū; ſed cùm incorrigibilis eſſet, & vulgo ac domatim impietatis præconia ſpargeret,aliosq; ad idem factitandum ſublegeret; Tunc Alexandrum ſecutum legem divinam,moviſſe eum ordine ſacerdotali,dextrumq; oculum,qvi offendiculo eſſet,ejeciſſe*: Tam diverſa fuerunt & illâ ætate de proceſſu cum Ario inſtituto judicia. *Euſebius,Rufinus, Socrates,Sozomenus* majorem certè in Alexandro modeſtiam reqviſitam fuiſſe ajunt; ſed Alexander Dæmoniacum Arii ingenium magis perſpectum habuit; ut ſatius fuiſſet, Arium abditiſſimo carcere fuiſſe ſecluſum. 227

Qvid Meletianum,Qvid Apollinariſtarum, Qvid Luciferianum ſchiſma promovit,niſi intempeſtiva excommunicatio? apud eundem Socrat.d.lib I.cap.5. l.II. Cap.46. lib.III.cap.5.6.9. & 16. Et hi ipſi Doctores *Meletius,Apollinaris & Lucifer*,multos ex Orthodoxis Scriptores,ipſumqve Hieronymum Defenſores habebant,qvoad dogmatis innocentiam; qvi ſchisma tamen neqvaqvam approbabant.

Neqve negare poſſunt Pontificii: Romanos Episcopos & 228 illegitimè qvoad proceſſum, & intempeſtivè qvoad prudentiæ *Romanus* leges,& immeritò qvoad cauſam (addo,& nulliter, ob jurisdicti- *Aper.* onis defectum) excluſiſſe *Aſiaticas & Africanas Eccleſias* à ſua communione. Illas qvidem,ob ſervatam Paſchatis ſolennitatem decimâ qvartâ lunâ cū Judæis;Qvod *Victor* audebat,propterà à *Polycrate Epheſino,Irenæo Lugdunenſi* & aliis jure reprehenſus,apud Euſebium *lib V cap.24.25.ſeqq. Socratem lib.V.c 21.* Sozom.*lib.VII.cap.19.* Verba Euſebii ſunt: *Romanus qvidem Epiſcopus Victor, confeſtim totius Aſiæ parœcias unà cum vicinis Eccleſiis, tanqvam aliena ſentientes,à communionis unitate abſcindere conatur,invehiturq; in eas per literas,ac cunctos illic fratres,prorſus excommunicatos denunciat: Verùm hoc non omnibus Epiſcopis placebat:ſed hortabantur eum, ut qvæ*

lenitatis & dilectionis cum proximis eſſent, ſentiret. Qvod Socrates prolixius eſt proſecutus lib. V. c. 22. oſtendens per inductionem; *Qvomodo inter Novatianos, orthodoxos, Arianos, Eunomianos, aliasq; Sectas per præcipites cenſuras, easq; corporalem ſeparationem ſvadentes,* ſchiſmata enata fuerint. De Victore Romano autem ait: *Qvartadecimanos ab illis, qvi Paſchatis feſtum alio die celebrabant, nũqvam diſcrepaſſe qvoad communionis commercium, donec Victor Romanus Epiſcopus, immodicè vehemens, excommunicationem Qvartadecimanis decrevit.*

229 Has verò, i: *Africanas Eccleſias* excõmunicare conatus eſt *Stephanus*, non qvidem per interdictum, ne ipſæ mutuo inter ſe communionem ſervarent & continuarent, qvod non poterat; ſed *per ſubtractionem & denegationem Romanæ communionis*, qvæ jure Chriſtiani commercii, ſive jure gentilitio Chriſtianorum, hactenus mutuo exhibebatur ab Africanis & Italicis Eccleſiis. *Scripſit* (ait Euſ. lib. VII. cap. 5.) *Stephanus primùm de Heleno & Firmiliano, cunctisq; per Ciliciam & Cappadociam & Galatiam, & univerſis conterminis gentibus: Nec illis SE communicaturum, propter eandem hanc cauſam, qvod videlicet hæreticos rebaptizarent.*

230 *Stephani Romani temeritas.* Sed (ut de nullitate nunc taceam, ob fori incompetentiam, & defectum ordinis juridici: ut de intempeſtivitate qvoqve taceam, qvę in medio perſecutionum æſtu juvabat diſſipationem Eccleſiarum;) oſtendit collatio qvæſtionis motæ ac propoſitæ Stephano, *in Epiſtola Dionyſii Alexandrini Epiſcopi*, & determinatæ à Cypriano in *Epiſtola ad Jubajanum*, qvæ eſt LXXIII. apud Pamelium: Stephanum non ſatis apprehendiſſe merita, neq; ſtatum qvæſtionis, qvem Dionyſius longè aliter formaverat ac Cyprianus. *Ad hunc Stephanum* (ſunt verba Euſebii lib. VII. cap. 2) *Dionyſius primam ex Epiſtolis de Baptiſmate ſcribit, qvæſtione haut modicâ tum temporis motâ: An debeant, qvi ex QVAVIS hæreſi convertuntur, baptiſmate repurgari? cùm priſcus mos eſſet, ſola oratione erga illos, cum manuum impoſitione uti.*

Cy-

Cyprianus autem non aſſerebat rebaptizandos eſſe ex QVAVIS hæreſi converſos, ſed baptizatos ab hæreticis, *qvi plenam & adunatã Trinitatẽ negabant*, & modò in nomine Jeſu Chr. baptizabãt, *Chriſti a. divinitatẽ negabãt*, ut verba *Epiſtolæ n.16.* expreſsè habent. Qvæ diverſitas poſteà à Conciliis *Laodiceno & Nicæno* attenta, & per diſtinctionem adeò definitum fuit: *Baptizatos à Paulianiſtis & Cataphrygibus*, qvi & negabant Trinitatem, & Trinitatis mentionem in adminiſtratione omittebant, baptiſantes ſolum in nomine Chriſti, *omninò eſſe baptizandos*: *Baptizatos autem à Macedonianis, Arianis, &c.* qvi & ipſi qvidem Trinitatem negabant, Baptiſmi tamen ablutionem in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti dabant, *non eſſe rebaptizandos*, ideò, qvòd hi inſtitutioni Chriſti ſatisfacerent facto, etſi non mente; Illi autem neq; facto nec mente ſatisfacerent. Itá Synodus *Laodic. Can. 8.* Nicæna Magna Can. 12. al. 19. Qvæ diſtinctio poſtea repetita fuit in Synodo, qvam *ſextàm generalem* vocant Can. 95. nec non in ea, qvam *ſeptimam gen.* appellãt, Can. 7. Cujusmodi multa in Corpus juris Canonici tranſlata ſunt; & concordantia Diſcordantium Canonum illuſtri exemplo per hanc qvæſtionem comprobata eſt, *Diſt. IV. de conſecratione*, in qva repugnantes Epiſcoporum Rom. & Conciliorum ſententias, plærasqve ex neglectu veri ſtatꝰ qvæſtionis ortas, affatim eſt legere. 231 *Cyprianꝰ negabat nullos ab hæreticis reverſos eſſe baptizandos. Confer n. 247*

Peccavit autem Stephanus non ſolùm ex temeritate circa merita cauſæ non ſatis perſpectæ, ſed etiam ambitione, qvòd ſuæ communionis ſubtractione, aliis exemplum præſcribere conatus eſt, ut illi ſimiliter à ſuâ communione tot illuſtres Eccleſias excluderent. Utrumqve vitium caſtigavit *Cyprianus* Epiſt. LXXIII & LXXIV. caſtigavit *Firmilianus Cæſareæ Cappadocum* Epiſcopus Epiſt. LXXV. ad Cyprianum ſcripta, ubi ait: *Stephanum hâc incompetente cenſurâ ſuâ tàm bene de Eccleſiis fuiſſe meritum, qvàm bene Judas Proditor perfidiâ & proditione ſuâ; qvas ſceleratè circa Salvatorem operatus eſt, ut per illum mundus & gentium populus liberaretur.* 232 *Ambitio ejusdem Stephani.*

Ubi notanda obiter *Pamelii* Sycophantia eſt, detorqventis
233 ea, qvæ Dionyſius Alexandrinus de pace & concordia inter Ecclesias Orientis cõmemorat, apud Euſeb. lib. VII. cap. 5. ad conſenſum Orientalium cum opinione Stephani, qvaſi Dionyſius ſcriberet: *Orientales ſentire cum Stephano, diſſentire à Cypriano.* Qvum tamen inter mutuo conſentientes Orientales, *Helenus Tharſenſis, & Firmilianus* jam nominatus à ſcribente Dionyſio comemorentur. Hi enim illi ipſi ſunt, qvibus Stephanus comminabatur, *ſe eos ad ſuam communionem non admiſſurũ*; qviqve hac de cauſa Romani Flaminis audaciam literis caſtigabant.

Fruſtra excuſatur à Pamelio.

234 Qvin & Dionyſii Epiſtolæ omnes eò tendunt, ut *Stephanũ, Xiſtum*, aliosqve Romanos Epiſcopos à ſchismate propter hanc cauſam faciendo dehortentur. Itaqve mox ab illis verbis comminatoriis, qvæ ex Stephani Epiſtola Dionyſius allegaverat; Qvod nempe *Heleno & Firmiliano non eſſet communicaturus*, monet ſucceſſorem Stephani: *Conſidera autem hujus rei magnitudinem! Revera namq; in maximis Epiſcoporum Synodis decretum eſt, ſicut audio, eos, qvi ab hæreſi aliqva veniunt, primùm denuò inſtituendos eſſe, deinde abluendos, & à veteris impuriq; fermenti ſordibus repurgandos. eod. cap. V. apud Euſebium.* Nunqvid hæc tantundem ſonant, atq; omnes Orientales facere cum Stephano?

Et Auguſtinus II. contra Creſconium cap. 16. objectantem Cy-
235 priani opinionem de rebaptizandis lapſis: per eandem diſtinctionẽ reſpondet: *Hoc diſcernitur* (ait) *apud nos, ut aliter recipiantur qvi Catholicam reliqverunt, aliter qvi ad illam primitus venerunt. Cyprianum* autem excuſat, *qvòd ab illorum communione, qvi aliter ſentiebant, ſeſe tamen non ſeparaverit*, qvod arrogans ille Romanus Stephanus factitabat, ac propterea caſtigabatur. Ead. diſtinct. utitur ad defendendum Cyprianum *lib. V. de Bapt. contra Donatiſtas cap. 25. & lib. VI. cap. 1. 2 ſeqq. Ubi Epiſtolam ad Jubajanum*, in qva o-
236 pinionem ſuam Cyprianus proponit, defendendam ex inſtituto ſuſcepit.

Laudatur Cypriani prudẽtia præ Stephano.

Iterum, contra Petilianum lib: de unico Bapt. Cap. 14. Volo, inqvit, *ſolvat mihi iſte Qvæſtionem, qvandoqvidem Romana Eccleſia per ordi-*

ordinem commemoramus Epiſcopos,inter eos commemoravit
& Stephanum,qvem Epiſcopatum illibate geſſiſſe confeſſus eſt. “
Cùm ergo Stephanus non ſolùm non rebaptizaret hæreticos, ve- “
rùm etiam hoc facientes,vel ut fieret,decernentes, excommuni- “
candos eſſe cenſeret,ſicut aliorum Episcoporum,& ipſius Cypri-
ani literæ oſtendunt; tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace “
permanſit. Ecce duo erant uno tempore,qvi diverſa ſentiebant. “
Duo erant eminentisſimarum Eccleſiarum,Romanæ ſcil.& Car-
thaginēſis Epiſcopi,Stephanus & Cyprianus,ambo in unitate Ca- “
tholica conſtituti. Qvum Stephanus baptiſmum Chriſti in nullo “
iterandum eſſe cenſebat,& hoc facientibus graviter ſuccenſebat: “
Cyprianus autem in hæreſi vel ſchismate baptizatos, tanqvam
non habentes baptiſmum Chriſti,baptizandos in Eccleſia Catho- “
lica exiſtimabat. Multi cum illo,qvidam cum iſto etiam conſen- “
tiebant,utriq; cum eis in unitate conſiſtentes. “

237 *Bonifacii ſecundi pruritus Schismaticus in Auguſtinum.*

Canon, Ad hoc 7. Diſtinct. LXXXIX. Gratiano teſte deſumptus eſt ex Epiſtola *Bonifacii ſecundi Rom. P. ad Eulalium*, ſive Alexandrinum, ſive Theſſalonicenſem Epiſcopum, qvâ Bonifacius iſte affirmat: *Aurelium & Auguſtinum, cum Collegis ſuis* (qvi erant Eugenius, Alipius, Evodius, Poſſidius, aliiqve Sanctisſimi Viri) *inſtigante Diabolo ſuperbire cæpiſſe contra Romanam Eccleſiam, temporibus prædeceſſorum noſtrorum Bonifacii ac Cæleſtini* (ſcil. qvòd in Concilio Africano Cap. CI. & ſeqq. *prohibuiſſent appellationes fieri à Synodis Africanis ad Romanam Sedem*: & in Epiſtola ad Cœleſtinum, *typhum ſuperbum hujus ſeculi* ipſi objeciſſent) *Sed,* inqvit Papa Rom. *Videns Eulalius, ſe modò peccatis Aurelii à Romanæ Eccleſiæ communione ſegregatum, humilians recognovit ſe, pacem & communionem Romanæ Eccleſiæ petens, ſubſcribendo una cum Collegis ſuis damnavit Apoſtolicâ autoritate omnes ſcripturas, qvæ adverſus Romanæ Eccleſiæ privilegia factæ qvoqvo ingenio fuerunt.*

Hæc Bonifacius anno Chriſti DXXXII. eoqve oſtendit: *Romanam Synogogam Eccleſias Aphricanas integris propè C. annis habuiſſe pro excommunicatis*, atqve in eis *Aurelium & Eugenium* Carthaginenſes, *Auguſtinum Hipponenſem, Evodium, Alipium, Poſſidium, Victorem* 238

rem

rem Uticenſem, *Fulgentiū* Ruſpenſem, omnesq; illos Martyres, qvi intereà defuncto Auguſtino, in perſecutione Vandalica ſangvine ſuo Deum glorificarunt.

239 *Baronii & Binnii impudentia.* Qvamobrem *Baronius* in Notis ad Martyrolog Rom. d. XVI oct. & in Annalibus ad Ann. CCCCXIX. nec non ad An. DXXX. eumqve ſecutus *Binius* in Notis ad illam Epiſt. Bonifacii Tom. 2, Concil. p. 1. fol. 644. Gladio Delphico, ſolenni iſtis gladiatoribus, nodum ſecare aggrediuntur, de plano *mendacium & figmentum* vocitantes *illam Epiſtolam*, qvam *Gratianus*, qvam *Antoninus Florentinus* (unus Sanctus) in Summa, qvam *Antonius Auguſtinus* Tarraconenſis Archiepiſcopus, in *notis ad Canonas Hadriani. cap. 12. qvam Surius & Gabbig, & Peltius & Carranza* in ed. Conciliorū ſuorū; qvā *Thomas Hardingus* in Diſp. contra Ivellam Art. IV. Sect. 28. qvam *Gvilelmus Lindanus* Ruræmundenſis Epiſcopus *Panoplia lib. IV. cap. 89. qvam Jeſuita Coſterus* Enchirid. cap. 3. reſp. ad 10. aliiqve Heroes agnoverunt *eſſe authenticam*. Et Coſterus qvidem, *perſecutionem Vandalicam, & ſubactionem Afrorum ſub poteſtatem Vandalorū, juſto Dei judicio Afris illatam fuiſſe* addit, *propter hanc defectionem à Romana Eccleſia*. Jacobus autem Pamelius ejusdem ſocietatis Criticus, Formulam hanc reconciliationis, *qvâ Eulalius à Bonifacio poſt ſchisma culpam deprecatus eſt*, commendat tanqvam argumentum impeccantiæ, *qvòd Romana ſedes in fide nunqvam peccare poſſit*, qvin potius ad hujus normam aliorum omnium errores ſint corrigendi. *not. 91. ad Epiſtolam LV. Cypriani*. Non conſtat autem aliunde de ulla Reconciliatione Eulalii cum Bonifacio, niſi ex hac *Bonifacii Epiſtola*.

Coſteri improbitas.

240 *Roma Pandora omnis Schiſmatis.* Qvot & qvantas turbas dederint hæ & ſimiles cenſuræ Romanorum Pontificum, tùm intempeſtivæ, tùm plærumqve injuſtæ; Qvot urbes, qvot regna everterint, qvantam cladem Chriſtianæ fidei intulerint, qvot populos, qvot illuſtres Eccleſias impietati Saracenicæ ſubjecerint? longum eſſet recenſere. In confeſſo eſt; omnes & ſingulas Eccleſias ab Apoſtolis plantatas, præter Romanam, totumqve Orientem *propter Schiſma Græcorum & Romanorum*, à fide Chriſtiana ad Muhammedis impietatem pertra-

ctas

ctas eſſe, Qvam cladem Romani qvidem freqventer Græcis exprobrant, tanqvam argumentum vindictæ divinæ, ob non agnitam Monarchiam Romanæ Eccleſiæ, atqve ipſe etiam *Bellarm. lib. 2. de Chriſto cap 30*: At cauſa proxima ſchismatis reverâ fuit ambitio & arrogantia Romanorum Pontificum, excommunicantiũ eos, qvi ſe jurisdictioni Romanæ Eccleſiæ ſubjicere detrectabant: Cujus ambitionis prima ſigna extulit *Victor*, mox altero poſt Chriſtum ſeculo territans Aſianas Eccleſias minis execrationis & excommunicationis publicæ. Cui ſe oppoſuit *Polycrates Epheſius apud Euſebium lib. V. c. 23.* ſupra allegatus, *Ego*, inqvit, *qvi ſexaginta qvinq; annos in Domino vixi, qvi multis cum fratribus per orbem diſperſis de fide communicavi, his qvæ nobis ad tentandum objiciuntur, minimè conturbor.*

Nicolaus autem Papa I. *Ep. IX. apud Binium T. 3. Concil. parte. 2. fol. 448.* poſt annos *DCCCLVIII.* à Chriſto nato, tanqvam de re olim à VICTORE præclarè geſtâ gloriatur adverſus *Michaelem Imperatorem*, qvod ſolenne ſit Romanæ Eccleſiæ, excommunicatione aliarum facere ſchismata, etiamſi Romanis nulla paritio præſtetur. Hac fini allegat primo *Apoſtolum Petrum* excommunicantem Simonem Magum; poſtea *Victorem excommunicantem omnes Eccleſias Aſiaticas, etſi Johanne Evangeliſta autore, quartâ decima lunâ Paſcha celebrandum putarent*; porrò *Felicem*, excommunicantem Acacium ſeculo V. *Agapitum* excommunicantem Anthimum Conſtantinopolitanos Epiſcopos, ſeculo VI. &c. 241 *Gloriatur de concitato ſchismate.*

Sed qvia de *Victoris* exemplo cæpimus dicere, audiamus Nicolai I. jactantiam: *Deinde, cùm Aſiani OMNES inter cæteros, Evangeliſta Joanne Autore qvartâ decimâ lunâ cum Judæis putarent Paſcha celebrandum, Hos Præſul meritis & nomine VICTOR à communione Collegii ſeparavit: At illi OMNES cum nonnullis Eccleſiarum Præſulibus non ſolùm huic manus minimè præbuerunt, verùm etiam pertinaciæ redarguerunt. Felix qvoq; Papa Conſtantinopolitanum Acacium non ſolùm depoſuit, verùm etiam inſolubilibus Anathematis vinculis innodavit; ſed adeò eſt contemptus, ut idem Acacius, mundi Dilectorum tuitione protectus, etiam nonnullis Romanis Pontificibus decedenti-* 242 *Romani fatentur, communionem Sanctorum ſervari, ſe excluſis.*

Nn

tibus, & officio ſacerdotali juxta præcedentem conſvetudinem fungeretur, & exceptis paucis, OMNIUM ORIENTALIUM COMMUNIONE *frueretur, &c.* Poſt commemoratam deniqve Agapeti in Anthimum irritam cenſuram, addit: *His ergò, de pluribus ſedis Apoſtolicæ magnis & præclaris Rectoribus carptim commemoratis, qvid mirum, ſi nos pro Photio condemnimur* (qvem *Nicolaus* deponere & excommunicare tentaverat) *cùm videamus, Apoſtolorum Principem pro veritate contra Simonem defenſa, etiam mortem ſubire? Qvid mirum, ſi nobis pro Eccleſiaſtica* CORREPTIONE *laborantibus manum non datis, ſed & duritiùs redarguitis, cum videmus VICTOREM Papam pœne à TOTIIUS ECCLESIÆ PRÆSULIBUS pertinaciæ redargutum?* Ita Romani Epiſcopi propriâ Turpitudine allegando, qvòd *à totius Eccleſiæ Præſulibus pertinaciæ redarguti,* non ceſſerint tamen, de ambitione ſua gloriantur.

243 Africanum ſchisma genuit *Cornelii & Stephani RR.PP.* arrogantia à *Cypriano, à Pompejo, ab Heleno & Firmiliano* repreſſa: A Zoſimo, Bonifacio, Cœleſtino aucta, ſed *Aurelio, Auguſtino, Alipio,* aliisqve Africanis Epiſcopis maſcule retuſa & profligata, ut n. 228. ſeqq. vidimus.

244 Certè profectò, qvæ *Jacobus Pamelius,* in notis *ad Cypriani Epiſtolam Cornelio* inſcriptam, ipſi num. LV. (al. lib. I. ep. 3.) Bellarminus *II. de Rom. Pont c. 16.* Baronius *ad Ann. Chr. XXXII. n. 203.* aliiqve Gnathones paſſim jactitare ſolent, pro obedientiâ Uni Oecumenico Epiſcopo, ab aliis omnibus per orbem Epiſcopis, Clericis & fidelibus præſtanda: *Neq; enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchismata, qvàm inde, qvod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus judex, vice Chriſti cogitatur, &c.* Id ἀλλοτριοεπισκοπίαν Romanam tàm apertè jugulat, ut nihil potuerit dici clarius in arrogantiam *Cornelii Romani,* recipientis *Feliciſſimum & Fortunatum Presbyteros,* à communione Cypriani Epiſcopi ſui abſtentos.

Hoc Cypriano conſtanter docuit.

245 Hoc oſtendit Cyprianus *non decuiſſe Romanum Epiſcopum;* ſed qvemadmodum Cyprianus ſchiſmaticos, *Novatiano* Antipapæ Romano contra Cornelium adhærentes, ut: *Maximum Presbyterum,*

terum, Augendum, Machæum, Longinum, Urbanum, Sidonium, Macarium, alioſqve, de qvibus Epiſtolæ XLI. XLVI. XLVII. L. LI. apud Pamelium agunt: *ideò à ſua communione arcuerat, qvia à Cornelio non admittebãtur*; ita oportere etiam Cornelium, ne admittat eos, qvos Cyprianus Judex ordinarius in ſua diœceſi, à communione arcuerat. Itaqve *de qvovis diœceſano Epiſcopo* loqvitur, *qvòd ob obedientiam huic negatam oboriantur ſchiſmata*; non de Epiſcopo Oecumenico; Qvod ſeqventia verba illius ipſius Epiſtolæ n. 16. ap. *Pamelium*, poſtqvam Cyprianus Romanæ Eccleſiæ, qvalis tunc erat, tanqvam partis homogeneæ Catholiciſmum, id eſt, conſenſum cum aliis per orbem Eccleſiis, commendaverat, perſpicuè docent. *Cùm*, inqvit, *ſtatutum ſit OMNIBUS NOBIS, & æqvum ſit pariter ac juſtum, ut uniuscujusq; cauſa ILLIC audiatur, ubi eſt crimen admiſſum*; & SINGULIS PASTORIBUS *portio gregis adſcripta ſit, qvam regat UNUSQVISQVE ac gubernet, rationem ſui actûs Domino* (non Romano Epiſcopo) *redditurus: oportet utiq; eos qvibus præſumus, non circumcurſare* (*ut Feliciſſimus* & Socii Carthagine Romam curſitaverant) *nec Epiſcoporum concordiam cohærentem ſuâ ſubdolâ & fallaci temeritate collidere; SED AGERE ILLIC CAUSAM SUAM, ubi & Accuſatores habere & teſtes ſui criminis poſſunt.* (En temeritatem Cornelii taxatam, qvæ cauſas alieni fori ad ſe trahere ſatagebat, per abſolutionem Schismaticorum qvi in aliena diœceſi peccaverant, ibiqve judicari debebant!) *Niſi, ſi paucis deſperatis & perditis* MINOR VIDETUR ESSE AUCTORITAS EPISCOPORUM IN AFRICA CONSTITUTORUM, *qvi jam de illis judicaverunt, & eorum conſcientiam multis delictorum laqveis vinctam, judicii ſui nuper gravitate damnarunt.* Nota Sarcaſmum in provocantes ad transmarina Romanenſium judicia, & in Romanenſes ipſos, blandientes ſibi in prorogatione jurisdictionis ſuæ! Qvem typhum ſeqventibus etiam verbis ſugillavit, qvum ait:

Sarcaſmus in Romanam ſedem.

An ad hoc, frater chariſſime, deponenda eſt Eccleſiæ Catholicæ dignitas, ut judicare velle ſe dicant de Eccleſiæ præpoſito extra Eccleſiam conſtituti? (de Cypriano nempe, *Feliciſſimus*, *Fortunatus*, aliiqve 246

 Ro-

Romam curſitantes) *qvid ſupereſt, qvàm ut Eccleſia* CAPITOLIO *cedat?* Cæcum eſſe oportet, qvi non videat, Cyprianum urgere jus ſuum diœceſanum, & diſtinctos limites parœciarum; & qvod Cornelius nulliter proceſſerit, abſolvendo, & ad communionem admittendo eos, qvi in foro ordinario ligati erant.

Cornelium & Lucium ſecutus eſt in Romana ſede *Stephanus*, qvi

247 ſchiſma apertum & populare certiſſimè provocaturus erat, intempeſtiva excluſione Africanorum à communione ſua, ſi in faſtuoſum aut iracundum Adverſarium incidiſſet. At *Cyprianus*, ut paulò ante ex *Auguſtino* audivimus, non patiebatur ſe excludi à communione propter diverſas opiniones de rebaptiſatione baptizatorum ab hæreticis S. Trinitatem negantibus. Interà verò non diſſimulabat; Stephanum, qvantum in ſe erat, apparatum omnem ad ſchiſma attuliſſe. Ita enim *Cyprianus ad Pompejum*, ita *Firmilianus* & Socii ad *Cyprianum*; ut Hominis Itali ſtupendam arrogantiam egregie depictam & depexam illic videas. *Qvia deſideraſti* (habet initium Epiſtolæ ad Pompejum Sabratenſem Epiſcopum) *in noticiam tuam perferri, qvæ mihi ad literas noſtras Stephanus frater noſter reſcripſerit; miſi Tibi reſcripti ejus exemplum: qvo lecto magis ac magis errorem ejus notabis, qvi hæreticorum cauſam contra Chriſtianos & contra Eccleſiam Dei aſſerere conatur. Nam inter cætera vel SUPERBA, vel ad rem non pertinentia, vel ſibi ipſi contraria, qvæ* IMPERITE *atq; improvidè ſcripſit, etiam illud adjunxit, ut diceret: Si qvis ergo* A QVACUNQVE *hæreſi venerit ad nos; nihil innovetur, niſi qvod traditum eſt, ut manus ei imponatur ad pœnitentiam &c.* A QVACUNQVE HÆRESI *venientem baptizari in Eccleſia vetuit, id eſt,* OMNIUM HÆRETICORUM *baptiſmata juſta & legitima eſſe judicavit. Et, cùm ſingulæ hæreſes ſingula baptiſmata & diverſa peccata habeant; HIC cum omnium baptiſmo communicans, univerſorum delicta in ſinum ſuum coacervata congeſſit, &c.* Poſtea exagitat *Traditionis auctoritatem* qvam Stephanus prætexebat: qvæ ſingula merentur à Studioſis Theologiæ attentè legi.

Caſtigatio Stephani Romani, ob illegitimam cenſuram.

248 *Firmilianus* autem ſeqvente ad Cyprianum Epiſtolâ, qvæ eſt apud

apud Pamelium LXXV. ait: *Stephanum ſuâ inhumanitate hoc effeciſſe, ut Africanæ Eccleſiæ tantò arctius coëant, & Romanenſium præceptis tantò minus obediant. Tàm bene meruiſſe Stephanum audacia & inſolentia ſuâ de Eccleſiarum ſalute, qvàm benè meruit Judas proditor,* &c. Ut ſupra qvoqve allegavimus.

Poſtea ſciſmatis impietatem ex controverſiæ levitate oſtendit, mox ſubdens: *In cæteris qvoq; plurimis provinciis multa pro locorum & hominum diverſitate variantur; nec tamen propter hoc ab Eccleſiæ Catholicæ pace atq; unitate aliqvando diſceſſum eſt, qvod nunc Stephanus auſus eſt facere, rumpens adverſum vos pacem, qvam ſemper Anteceſſores ejus Vobiscum, amore & honore mutuo cuſtodierunt.* Mox oratione per apoſtrophen ad Stephanum converſâ, ſic eum adoritur: *Volentibus vivere cauſa mortis fuiſti, & inſuper indignaris? Vide qvâ IMPERITIA reprehendere audeas eos, qvi contra mendacium pro veritate nituntur? &c, niſi qvod imperitos, etiam animoſos atq; iracundos eſſe manifeſtum eſt, &c. Lites & diſſenſiones qvantas paraſti per Eccleſias totius mundi? Peccatum verò qvam magnum Tibi exaggeraſti, qvando TE à tot gregibus ſcidiſti? (exſcidiſti enim teipſum, noli TE fallere:) ſiqvidem ille eſt verè Schismaticus, qvi ſe à communione Eccleſiaſticæ unitatis apoſtatam fecerit: Dum enim putas omnes abs TE abſtinere poſſe, ſolùm T E ab omnibus abſtinuiſti,* &c. Pergit: 249

Romanus ſeipſum excommunicat, qvando alios nulliter excommunicat.

Mox infit ſarcaſticè: Apoſtoli mandata & monita ſalutaria qvàm diligenter Stephanus implevit? Qvid enim humilius aut lenius, qvàm cum tot Epiſcopis per totum mundum diſſenſiſſe, pacem cum ſingulis vario diſcordiæ genere rumpentem? modò cum Orientalibus, (qvod nec vos latere confidimus) modo VOBISCUM qvi in meridie eſtis. A qvibus Legatos Epiſcopos patienter ſatis & leniter ſuſcepit, ut eos nec ad ſermonem ſaltem colloqvii communis admitteret: 250

Adbuc inſuper dilectionis & charitatis memor, præciperet fraternitati Univerſæ, ut venientibus non ſolùm pax & communio, ſed & tectum & hoſpi-

Stephani in Cyprianum ruſticitas.

Digitized by Google

hoſpitium negaretur? Hoc eſt ſervaſſe unitatem Spiritûs in communione pacis: abſcindere ſe à charitatis unitate, & alienum ſe per OMNIA à fratribus facere, & contra Sacramentum & fidem contumacis furore diſcordiæ rebellare!

Qvid poterat ante hos mille qvadringentos annos ſalſius
251 fundi in ulcus illud Romanæ ambitionis jam tunc pullulaſcentis, atqve hi Græci Epiſcopi ſales? (erat enim Firmilianus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, prædeceſſor Magni Baſilii, &, qvẽ *Baronius ipſe ad ann. CCLVIII. n. 47. doctiſſimum & ſanctiſſimum Virum* vocat.) Unde patet: Romanam audaciam & proterviam in faciendis ſchismatis, jam illo Tertio ſeculo Eccleſiis Orientalibus & Meridionalibus fuiſſe exoſam, Romamqve fuiſſe fundum omnis calamitatis Eccleſiaſticæ & Politicæ inter Chriſtianos. Unde novelli noſtri Pacifices habeant, Romam hodie factam eſſe æqviorem, ipſi viderint. Qvi *Acta Concilii Tridentini* legerunt, qvi Pontificũ *Bullas & Conſtitutiones* exinde *per Barboſã & Gavãtũ* collectas, *qvi ſeptimum librum Decretalium, qvi Caraffæ Germaniã ſacrã inſtauratã, qvi Legati Pontificii* actiones in nuperis Monaſterienſibus de pace publica Tractatibus: qvi moderni Papæ *Innocentii Decimi Bullam Caſſatoriam* Pacis Oſnabrugi & Monaſterii pactæ, Romæ d. XXVI. Novembris Anni MDCXLVIII. publicatam, ibiqve, Neapoli, & Viennæ typis publicis editam: uno verbo, qvi teruncio lavantur, iſtud non credunt. Legendi autem ſunt de his Cypriani Epiſtolis *Simon Goulartius* in Notis Pamelio oppoſitis, & *Marcus Antonius de Dominis IV. de Rep. cap. 8.*

Seculo Qvarto promovit & dilatavit hoc ſchisma non parum *Julius Romanus*, qvi tametſi cauſæ Athanaſianæ faveret, & Atha-
252 naſius *ob Conſtantii Imperatoris potentiam, Romæ auxilium ſibi qværendum exiſtimaret*; offendit tamen etiam Orthodoxos Epiſcopos, qvod Julius ex Orientalibus Ephoriis auderet citare accuſatores Athanaſii, & ſententiam tanqvam Judex de litibus alibi præventis & pendentibus ferre. Ideoqve in *Concilio Antiocheno*

XCIX.

XCIX. Epiſcopi convenientes, inter qvos XXXVI. Euſebio Nicomedienſi Ariano dediti, cæteri Orthodoxi erant, Athanaſium non ſolùm *ab incompetente judice, & contra juris ordinem abſolutum*, & conſeqventer non abſolutum eſſe decernunt; ſed Julium etiam increpant, qvod falcem ſuam in alienam meſſem miſerit, & ſententiam à Synodo latam, *ſolus cum ſuo Clero* reformare conatus fuerit: cùm *ex ſtatuto Nicænæ Synodi, Synodica concluſa, per alias Majores Synodos, non per Unius particularis Eccleſiæ judicium oporteat emendari.* Eiqve acerbam ſcribunt Epiſtolam, ad qvam *Julii Reſponſio* extat *in ſecunda Apologiâ Athanaſii pro fuga ſua.* Et de Julii patrocinio, ob fori incompetentiam magis noxio qvam proficuo fideli confeſſori Athanaſio, teſtantur *Socrates lib.II.cap.XI.Et Sozom lib.III.cap.3.* qvi *fori & ordinis incompetentiam* reſtitutioni Athanaſii obfuiſſe, *Arianamq; hæreſin adeo promoviſſe*, apertis verbis profitentur. *Romana ambitio nocuit Athanaſio.*

253 Ratio, qvam Orientales allegabant, cur Julio nulla competeret cognitio, erat *ſextus Canon Nicanus*, de diſtincta jurisdictione Patriarchalium Eccleſiarum, & præjudicium ſive paritas Exempli: *Qvemadmodum enim Orientales non diſputabant ejectionem Novati è Romana Eccleſia, qvia non pertinebat ad diœceſin Orientalē; ita neq; Romano Epiſcopo competere contradictionem aut cognitionē in cauſa Athanaſii.* Hæc Socrates & Sozomenus, qvæ merentur obſervationem.

254 Huic procaciæ & temeritati commiſſæ, qvoad in ſufficientem diſcuſſionem meritorum; Et incompetentiæ, qvoad juriſdictionē, ut occurrerent Concilia hujus Qvarti ſeculi, enixè laboratum eſt, ut patet ex *Canone V. & VI. Concilii Nicani*, & *Canone XXXIII. Apoſtolorum*, prout Canones illi *à Surio & Binio* numerantur, ad qvem Apoſtolicum Nicænus Canon provocaſſe illis videtur, qvando veluti Canonis cujusdam antiqvioris mentionem injicit dicens: *De iis qvi communione privantur, ſeu ex Clero, ſeu ex Laico ordine ab Epiſcopis uniuscujusq; Provinciæ, ſervetur hæc ſententia, ſecundum Canonem qvi pronunciat: Ut, qvi ab aliis abjiciuntur, ab aliis non recipiantur.* Hoc eſt, qvod Cyprianus Cornelio & Stephano in- *Caſtigabatur ab orientalibus.*

Digitized by Google

inculcabat, ne Romipetas ex Africa aut aliis provinciis, *ſine literis formatis aut Synodicis ſuorum Epiſcoporum reciperent.* Idem decretum repetiit *Concilium Antiochenum* Can.6. & refertur à Gratiano *II.q.3.*Can.2: *Si qvis à proprio Epiſcopo fuerit excommunicatus, ne recipiatur ab aliis, ante qvàm ſuo reconcilietur Epiſcopo, vel in Synodo ſe defenderit, &c.*

Caſtigatur ab Afris.

255 Auxerunt hoc ſchiſma *Innocentius, Zoſimus, Bonifacius & Cæleſtinus*, qvibus etſi cum ſolis Africanis lis eſſet *de jure appellandi Romam;* Aſiatici tamen & orientales paſſim ungves iſtos, nunc Orienti nunc Meridiei infeſtos æqve formidabant, ut ex præcedente Epiſtola *Firmiliani Cappadocis*, ad Africanum Cyprianum patuit. Romanenſes autem qvantum in ſe erat, excommunicaſſe à communione ſua Africanas Eccleſias, in qvibus *Aurelius Carthaginenſis, Auguſtinus Hipponenſis, Poſſidius, Alipius, Evodius, Nigidius*, aliiqve ſanctiſſimi Viri docebant; nec qvicqvam defuiſſe ad apertum ſchiſma, *niſi reciprocam Afrorum iracundiam*, qvæ Romanos viciſſim à ſua communione arceret: *ex Epiſtola Bonifacii II.* paulò ante cognovimus.

256 Canon verò LXXI. *Concilii Africani*, ſuperſtite Innocentio Primo, *Anno Chriſti* CCCCVII. coacti ſic habet: *Qvicunq; non communicaverint in Africa, ſi in transmarinis ad communicandum obrepſerint, jacturam Clericatus accipiant.* Hunc Canonem ægrè tulit ſucceſſor *Zoſimus*, cumqve legatione ad Africanos miſsâ, *& fictis qvibusdam Canonibus Nicænis*, jurisdictioni ſuæ eos ſubjicere vellet; nata hinc eſt prolixa illa & nondum transacta Diſputatio, *de numero & authentia Canonum Nicænorum.* Africani autem reſpondent Romanis, *cap.15. Concilii Afric. Bonifacii* ætate habiti: Deprecamur, ut deinceps ad Veſtras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec à NOBIS EXCOMMUNICATOS in communionem ULTRA velitis recipere: qvia hoc etiam Nicæno Concilio definitum facilè advertet Venerabilitas tua. Nam etſi de inferioribus Clericis, vel Laicis ibi videtur præcaveri; qvantò magis hoc de Epiſcopis voluit obſervari, ne in ſua provincia communione

nione ſuſpenſi, à Tua ſanctitate vel feſtinatò, vel præpoperè, vel indebitè videantur communioni reſtitui.

Irritavit Romanenſes, ut ad dilatandum ſchiſma proniores eſſent, *exæqvatio Conſtātinopolitanæ ſedis cum Romana*, qvæ in primo qvidem Concilio *Conſtantinopolitano Oecumenico* ſanciebatur anno CCCXXCIII. ſed confirmabatur in Concilio *Chalcedonenſi Occum.* ann CCCCLI. Act. XV. Can. 28. De qva evectione *Socrates lib. V, 8. & Sozom. VII, 9.* Ringente *Leone I.* Pontifice : cujus Epiſtolæ *LVI. in Anatolium* Epiſcopum Conſt. *& LVII. ad Martianum Auguſtum*, ſtabilientem hoc decretum, nec non *LVIII. ad Pulcheriam Auguſtam*, grandes iras ſpirant: etſi videri cupiat, qvaſi non pro ſua Monarchia, ſed pro Antiqva prærogativa Alexandrinæ & Antiochenæ ſediū contendat, qvæ loco ſuo moveri videbantur, per aſſignationem *ſecundi loci* inter Patriarchales ſedes Conſtantinopolitanæ urbi factam, qvod Leo Nicænis Canonibus prætendebat adverſari. 257 *Caſtigatur à Conſtantinopolitanis.*

Doleo, inqvit, *in hoc dilectionem tuam eſſe prolapſam, ut ſacratiſſimas Nicænorum Canonum Conſtitutiones conareris infringere ; tanqvam oportunè ſe tibi hoc tempus obtulerit, qvo SECUNDI honoris privilegium ſedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Eccleſia proprietatem TERTIÆ dignitatis amiſerit.* 258 *Palliolum Romanæ ambitionis.*

Ad Canonem Conſtantinopolitanum autem reſpondet : *Perſvaſioni enim Tuæ in nullo penitus ſuffragatur qvorundam Epiſcoporum, ante ſexaginta, ut jactas, annos facta ſubſcriptio : numqvamq; à Prædeceſſoribus Tuis ad Apoſtolicæ ſedis tramiſſa notitiam.* Minorennes videlicet erant Epiſcopi, *Alexandrinus Timotheus*, *& Meletius Antiochenus*, qvi Canoni Conſtantinpolitano; *& Maximus Antiochenus*, qvi Chalcedonenſi manu ſuâ ſubſcripſerant, & *Proterius*, in locum Dioſcori Alexandrini Patriarchæ ab Anatolio ordinatus; Eaqve propter non poterant tueri honorem ſuum, niſi *Tutor univerſalis*, Romanus Paſtor pupillarem cauſam ageret. Verùm Legati Romani reqviſiti, *ut mandatum ſpeciale ederent contradictionis ſuæ* adverſus locū & confirmationem Conſtantinopolitanæ ſedis, hæc prælegerunt ex inſtructione ſuâ : *Servate omnibus modis PER-* 259

SONÆ NOSTRÆ *dignitatem,& ſi qvi forte civitatum ſuarum ſplendore (*Novæ Romæ titulo) *confiſi,aliqvid ſibi tentaverint uſurpare: hoc,qvâ dignum eſt conſtantiâ, retundatis.* Leguntur hæc *Act. XVI. fol.340. apud Binium,*ubi & Legatorum Romanorum cavillationes,ac ſi *qvidam* Episcopi *circumventi, qvidam coacti* fuiſſent ad ſubſcribendum Canoni Conſtantinopolitano,de concurrente primatu , & exæqvatione Conſtantinopolitani Epiſcopi cum Romano,malitioſæ calumniæ convincuntur. In compendium iſta redegit *Marcus Ant. de Dom.lib.IV. cap.4.*

260 *Manifeſtũ ſchisma Romanorum à Græcis.*

In mutuum autem,populare,& œcumenicum ſchisma erupit contentionis ille nervus inter Latinos & Orientales, à ducentis annis ductus,at nondum plane tamen ſciſſus aut ruptus,*ſeculo* demũ *Qvinto,*XX. annis à Concilio Chalcedonenſi, *ſub Simplicio Romano* ejusqve ſucceſſore *Felice III.* non ſolùm excludentibus *Acacium Conſtantinopolitanum* eiqve adhærentes à communione ſua,ut patet ex *Epiſt.IV. Felicis*; ſed eò etiam inſaniæ progreſſis, ut *ſede ipsâ Patriarchali eum deturbare conarentur,*propter communionem,qvam *cum Petro Moggo,*ſive Gnapheo habebat; qvi , cùm antea ob Eutychianam hæreſin pulſus eſſet,pacem & ſedem Alexandrinam redemerat ſubſcriptione Decretorũ Concilii Nicæni, & CL. Patrum,ſive Conſtantinopolitani, tùm etiam Chalcedonenſis,& deniqve *Henotici,*ſive formulæ unionis à Zenone Imperatore promulgatæ: pulſo *Johanne Talaia,*Orthodoxo qvidem,ſed qvi *contra jusjurandum Imperatori præſtitum,* ſedem ambierat , ut eſt apud *Evagrium lib III.cap.18. & 20.*

Ex hoc enim tempore hiat illud ſchiſma Græcorum ſubin-
261 de magis magisqve diductum,uti *Liberatus Diaconus Carthaginenſis* (de qvo vide *Bellarmini* anguſtias *IV. de Rom. Pontif.cap.10. eundemq; de Scriptor,& Poſſevinum* in Apparatu)*Breviarii hiſtor.cap.18.* teſtatur; Conſtantinopolitanis Romana fulgetra , tanqvam ex pelvi concitata,ridentibus,& in horum odium nihil emendantibus; etſi poſt Acacium Conſtantinop. virum omninò Orthodoxum,ſed nimis facilem in recipiendo hypocritâ & Vertumno Petro Moggo,proximi ejus ſucceſſores, *Flavitas & Euphemius re-*

con-

Digitized by Google

cõciliationẽ cũ Romana ſede quæſiviſſe perhibeantur; ſed *Felix Romanus*, ejusqve ſucceſſor *Gelaſius* conciliationem aliâ lege non admittebant, *niſi ut defuncti Acacii nomen ex ſacris diptychis dispungeretur.* Gelaſii rigor. Qvam injuriam qvum viro Orthodoxo ſucceſſores irrogare detrectarent, interea tamen communionem, & communicatorias, ſive Synodicas literas inſtaurari peterent, repulſi ſunt & repelluntur in hunc usqve diem à Romanis, hac ſupremâ ſaltem & proxima de cauſa, qvod Tyrannidi Romanæ parere, iſtiusq; Orthodoxi Epiſcopi nomen, qvi *fiduciâ ſeriæ Recãtationis*, homini Eutychiano communicaverat, ex Diptychis delere nollent; Qvum tamen & *Martyrius Hieroſolymitanus*, & alii *Moggo* communicarent. Epiſtolæ mutuæ inter *Euphemium Conſtantinopolitanum & Gelaſium Romanum*, de hac qvæſtione miſſitatæ extant apud *Biniũ l.d.f.470.476.482.ſeqq.* Totamqve controverſiam in compendium redegit *Marcus Antonius de Domin. VII. de Rep. cap. 10. n. CXL. ſeqq.*

Sed & *Evagrius dicto l.3.c.29.30.31. & Nicephorus lib. XVI. c.19.* 262
ſeqq. cuaſas tâm horrendi ſchismatis ſatis prolixè deſcripſerunt. Ipſæqve Epiſtolæ Pontificum Romanorum & Conſtantinopolitanorum inter ſe, ut *Symmachi & Hormiſdæ*, ad illos miſſæ; & *Anaſtaſii Imperatoris* cum Hormisda commutatæ, apud eundem *Binium l.d.* oſtendunt; Nihil impediiſſe conciliationem Schiſmatis, *præter ſolam Romanorum ſuperbiam*, Acacii dudum defuncti nomen damnari & tolli de Diptychis poſtulantium, qvod ſucceſſores ejus, qvod vicini Patriarchæ, qvod Imperatores contra conſcientiam veri & honeſti concedere non potuerunt. Atqve hac unâ de cauſa concidiſſe *ſpem reconciliationis*, patet ex *Anaſtasii & Hormiſdæ Epiſtolis à Binio relatis l.d. fol.558. ſeqq.* Nimirum, conſentiebat *Anaſtaſius Imp.* in ſingula Hormiſdæ poſtulata, ut verba ejꝰ ſonant fol.563: exceptâ ſolâ expunctione nominis Acaciani: *De capitulo verò, qvod SOLUM videtur eſſe reſiduum, noſtra voluntas petitioni veſtræ fortaſſe propter unitatem Eccleſiarum conveniret; NISI* Hormiſdæ rigor. *aliâ venerabilibus Eccleſiis ex hac re moveri* SCANDALA *videremus. Nam univerſa quæ ſint facienda perpendite. Quia grave eſſe Clementia*

tia noſtra judicat, do Eccleſia venerabili propter MORTUOS *vivos expelli*, (qvi cum Petro Moggo & Acacio communicaverant, aut communionem illam defenderant) nec SINE MULTA HUMANI SANGVINIS EFFUSIONE *ſcimus poſſe ea, qvæ ſuper hoc ſcribitis, ordinari, &c.* Hormisda autem Legatis ſuis in mandatis dederat (inſtructio ſive *commonitorium* extat apud eundem *Binium fol.* 561) ne ab hoc poſtulato deſiſterent. *Conſentientes (*inqvit) *Epiſcopi, in Eccleſia, præſente plebe hæc prædicare debent, &c. ſimul etiam* ACACIUM, *qvi qvondam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ fuit Epiſcopus, ſed etiam Petrum, etiam Antiochenum* ANATHEMATIZANTES *cum ſociis eorum.*

263 *Acacius pacis cauſa excommunicatus poſt mortem.* Hinc decollavit ſpes reconciliationis *vivo Anaſtaſio Imp.* Anaſtaſio ſucceſſit *Juſtinus* Imperator, de nulla heterodoxias labe ſuſpectus, qvi cum *Joanne* Conſtantinop. Epiſcopo, nihil reliqvit intentatū, ut coiret ſchiſma, & pacis causâ non ſolùm *Leonis nomē Dipytychis inſeri & publice laudari juſsit*; ſed in Acacii etiam injuriā & cōdemnationē, pacis publicæ redimendæ cauſa *tandē conſenſit.* (libellus in qvo anathematizat innocentem & Orthodoxum Acacium extat ap. Bin. fol. 586.)

264 *Romana ambitio inſatiabilis.* At Radix diffidentiæ, ob *exæqvationem ſedis Conſtantinopolitanæ cum Romana*, intimas urebat fibras: Itaqve cū *Johannes Conſtantinopolitanus* id compenſandum eſſe putaret Conſolidatione ſtatus ſui, qvod conceſſerat injuriæ in Prædeceſſorem *Acacium* committendæ; & in eadem Epiſtola, ante declaratum conſenſum *de excommunicando Acacio*, præmitteret; *Se [Unâ eâdemq; poteſtate & juriſdictione iſta agere & ordinare qvâ id factitabat Hormisda*; per curam iſtam palliativam vulnus minimè coiit. Verba *Joh. Conſtantinopolitani* initio libelli ſic habent: *Certus igitur ſcito per omnia ſanctiſsime, qvia ſecundum id, qvod vobis ſcripſi, unà tecum cum veritate ſentiens, omnes à TE repudiatos hæreticos, renuo & ego, pacem diligens. Sanctiſſimas enim Dei Eccleſias, id eſt, antiqvæ veſtræ, & novellæ iſtius Romæ, UNAM eſſe accipio: Illam, ſedem Apoſtoli Petri, & iſtius Auguſtæ civitatis*, UNAM *eſſe definio.* Hæc ambiguitas de UNA

NA ſede, qvæ vel de ſolâ Unitate homogeneæ fidei & Confeſſionis, vel de æqvalitate dignitatis & jurisdictionis ſimul intelligi poterat, ſudes erat in Romaniſtarum oculis, ut conqvieſcere in ſolius Acacii damnatione neqvirent.

Accedebat; qvòd etſi in Eccleſiis Conſtantinopoleos & Dardaniæ, *Acacii nomen* ex Diptychis omitteretur; alibi tamen in *Oriente, in Ponto, & Aſia* recitaretur. Ipſa etiam Conſtantinopolitana Eccleſia reliqvorum nomina, à Romanis Epiſcopis itidem ad deletionem poſtulata, *ut Euphemii, Macedonii Conſtantinopolitani, atq; aliorum, retineret*, invitis & ringentibus Romanis, uti ex *Juſtini Senioris, & Juſtiniani epiſtolis* patet, moderationem petentib9, æqvanimitatem petentibus, & venerationem Chriſtiani ſangvinis, *qvi per miniſtros Imperatoris jam effuſus erat, hoc fine, ut nomina illa, tanqvam hæretica omitterentur, ſed paritio ad Romanæ ſedis ſævitiem, obtineri etiam per Imperatoris involuntariam Tyrannidem non potuerat.* Ita enim Juſtinianus ad Hormisdam, *apud Binium fol. 606: Populus Orientalium nec exiliis, nec ferro flāmisq; compelli poteſt, ut Epiſcoporū nomina poſt Acacium defunctorum condemnet, qvæ difficultas generali concordiæ moras innectit. Sanctitas itaq; veſtra cælitus inſpirata*, TEMPORUM *rerumq; qvalitatem conſideret, & condemnatis hujus erroris Auctoribus, id eſt, Acacio Conſtantinopolitano, Petro, & Timotheo Helluro, & Dioſcoro Alexandrinis, Petroq; Antiocheno;* FINIRE DIGNETUR *inveteratum certamen; de cæterorum* NOMINIBUS *qvæſtione ſopitâ: ut redimatis plebem* DE SANGVINE, *qvam Deus noſter regendam commiſit; ac non perſecutionibus & cruore, ſed ſacerdotali patientiâ populum Domino noſtro concilietis: ne, dum volumus animas lucrari, &* CORPORA MULTORUM PERDAMUS & ANIMAS. *Errores enim diuturnos lenitate clementiaq; convenit emendari: præcipuè, qvia veſtræ Beatitudinis Prædeceſſores ſæpiſſimè voluerunt Reip. noſtræ Antiſtites ad ſuam revocare communionē, ſi* TANTUMMODO *taceretur Acacius, cæteriq; prædicti.*

265.

In ſignis modeſtia & prudentia Juſtiniani Imp.

266 Nota arrogantiam Romanenſium. Qvinqvaginta propemodum annis contenderant, *delenda eſſe ex diptychis Acacii, Petri Alexandrini, & Antiocheni nomina*: Hoc impetrato, etiã omnes & ſingulos, qvi cũ his unqvam communicaverant, nomineten9 exigebant *excommunicari*, etſi dudum defuncti vita eſſent.

267 Concludit Juſtinianus: *Ille namq; Medicus jure laudatur, qvi veteres ægritudines ita ſanare deproperat, ut ex eis nova vulnera non naſcantur.*

268 Eandem moderationem poſtulabat ab Hormisda *Juſtinus* ipſe, apud Binium *fol.608*: *Omni* (inqvit) *intentione ordinavimus, ut venerabilis Eccleſia Conſtantinopolitana, nec non complures aliæ vota ſuſcipiant veſtra, non ſolum in cæteris, ſed in* AUFERENDIS *etiam* NOMINIBUS *ex ſacris diptychis, qvæ removenda maximè poſtulatis*; *VERUM nonnullæ fuerunt Urbes & Eccleſiæ tàm Ponticæ, qvàm Aſianæ, & præcipuè Orientales, qvarum Clerici & populi, omnibus perpenſati minis & perſvaſionibus, tamen neqvaqvam flexi ſunt, ut tollant Antiſtitum & repellant nomina, qvorum apud eos opinio floruit; ſed morte vitam duriorem æſtimant, ſi mortuos condemnaverint, qvorum gloriabantur vitâ ſuperſtitum. Qvid igitur faciamus hujusmodi pertinaciæ, qvæ nec dicto audiens exiſtit, & TORMENTA in tantum deſpicit, ut amplum ſibi ac feſtivum judicet, ſi* CORPORE PRIUS, *qvàm Religioſo deſiſtat Conſilio? Nobis qvidem videtur, opus eſſe mollius agendi & clementius; qvæ ſi non in Tua ſanctitate, jam nec in alio poterunt inveniri: Nam neq; ſangvinis & ſuppliciorum cupidi (qvod dictu etiam grave eſt) Libellum* (Joanni Conſtantinop. ab Hormisda præſcriptum) *ſuſcepimus, neq; ut parvo discrimine remaneant imperfecta concordiæ deſideria; ſed ad prorogandam, qvo poſſumus ordine, conjunctionem membrorum Eccleſiæ. Utrum igitur præſtantius erit: Minorum gratia in totum nobis objectas eſſe tantas multitudines; an conceſſis exiguis & remiſſis, majora & omni ratione qværenda corrigi, ut qvæ non licuit per omnia, ſaltem ex neceſſariis partibus allegentur? Veniam itaqve NOMINUM poſtulamus, non Acacii, non utriusq; Petri* (Alexand. & Antioch) *non Dioſcori, vel Timothei, qvorum VOCABULA Sanctitatis Tuæ ad nos datæ epiſtola continebant*; *Sed* QVOS IN ALIIS CE-

Romani Imp. coguntur ab Epiſcopo, ut ſæviant contra conſcientiam. vid. n. 265

Juſtini Imp. prudentia.

Digitized by Google

CELEBRAVIT CIVITATIBUS *Epiſcopalis reverentia. Et hoc exceptis Urbibus, ubi Veſtræ Beatitudinis libellus jam in plenum admiſſus eſt. Verùm nec judicio res caret ſedis Apoſtolicæ: ut non magis* VENIA *dicenda ſit, qvàm deliberata jam ac perfecta definitio. Anaſtaſius qvidẽ religioſiſſimæ memoriæ, Veſtræ culmen Eccleſiæ, palam aperteq; conſtituit, cum hoc idem ſcriberet negocium prædeceſſori noſtro;* (Zenoni) SATIS *eſſe pacem affectantibus, ſi nomen* TANTUM *reticeatur Acacii. Ergo prima ſedis veſtræ cõſtituta ſeqvitur, qvi nõ* OMNES MEMORIAS MORTUORUM *judicat contemnendas.*

Impudens tyrannis Romanorum.

269 Addit Imperator *Eccleſiarum Orientalium ſupplices literas*, ſibi Imperatori traditas, rogatqve, ut his expenſis, Hormisda remittat de rigore. *Hanc chartulam*, inqvit, *per Joannem Virum Reverendiſſimum, Epiſcopum Conſtant. dirigendã Vobis in præſenti credidimus, ut à Veſtra ſede* ETIAM *Tenor ejus admiſſus, ad* COLLIGENDAS *proficiat, & ad* UNANDAS *ubiq; venerabiles Eccleſias, &* HIEROSOLYMITANAM *præcipuè, cui tamen omnes favorem impendunt, qvaſi MATRI* Chriſtiani *nominis, ut nemo audeat ab ea ſeſe diſcernere.*

Martyrius Ieroſ. Ep. communicaverat Crypto Eutychiano vid. n. 261.

270 En manſvetudinem Imperatoris, En arrogantiam Romani Flaminis! Acacius ob nullam hæreſin, qvam ipſe docuiſſet, ſed tantùm, qvòd *Petri Gnaphei ambiguæ Recantationi fidem habuiſſet*, componendi ſchiſmatis causâ excommunicatur poſt obitum, annis circiter XXXVIII: Excommunicantur, qvi de hæreſi ſuſpecti fuerant; Romanus ille Miſanthropos non exſatiatus illa in Acacium vindictâ, omnes & ſingulos Orientis Epiſcopos, qvi cum Acacio communicaverant, dudumqve in Domino obdormierant, ex Diptychis deleri & excommunicari poſtulat. Contra qvàm *Hieronymus*, qvàm *Baſilius*, qvàm *Gregorius* Theologus, qvàm *Chryſoſtomus*, qvàm *Auguſtinus* de his ſtatuebant, qvi cum *Arianis*, cum *Macedonanis*, cum *Donatiſtis & Novatianis* olim communicaverant, anteqvam communio publica conciliari ſententiâ condemnarentur.

271 *Reſponſum Hormisdæ* ad litteras haſce Imperatoris extat apud *Baronium fol. 612.* hujus argumenti; *Nec vos aliqvorum obſtinatio red-*

dat

Digitized by Google

dat à propoſito pigriores, ſcil. qvin ferro flammisqve exſcindatis omnes & ſingulos, detrectantes excommunicare & delere nominum Eorum de diptychis, qvi cum Acacio aut Acacianis, dudum defunctis communicarunt, Uti Epiſtola alia Juſtiniani ad Hormisdam habet *fol 410. apud Binium*, aut *qvi cum eo communicaverant*. Hi erant mores, hæc lenitas, iſta ſunt publica commoda, qvæ Romani Epiſcopi primis ſex ſeculis à Chriſto in Eccleſiam deſignarunt. Qvi hodie eos factos eſſe æqviores perſvaſi ſunt, faceſſant illicò ex Germania in Italiam.

272 Continuationem horum ſchismatum inter Latinos & Græcos delineavit *Marcus Antonius d. l. VII. de Rep. C. X. à num. CLXIV ſeqq. usq; ad* CLXXXVIII. & oſtendit; fomitem diſſidii *non fuiſſe nutritum discrimine dogmatum fidei*, ſed ſolâ æmulatione & contentione *de primatu ſimultaneo*, qvem prætendebant Conſtantinopolitani; & excluſivo, qvem Romani. Qvod & Centuriatores noſtri oſtenderunt *Cent. V. c. 8. Cent. VI. c. 8. & ſeqq.* Centuriis eod. c.

273 *Cauſæ moderationis, ex lege charitatis.* Rationes qvæ prudentiam & moderationem in executione Excommunicationis ſvadent, à commodo & incommodo Eccleſiæ & Reip. tantâ copiâ ſuggeruntur, ut difficile, nec ſatis tutum ſit, eas ſigillatim hic exponere. Supra Generalem Regulam delineavi: *Qvandocunq; damnum ex cenſuræ hujus executione probabiliter oriturum, æqvale vel majus eſt damno, qvod tollitur & impeditur per executionem illam; tunc ſuſpendendam eſſe executionem, & permittendum ſonti, ut maneat tantiſper in communione viſibili & externa Eccleſiæ, donec citra majus aut æqvale damnum, qvàm ex toleratione ejus naſcitur, excommunicari poſſit.* Hanc regulam tradidit Auguſtinus ll. ſupra allegatis, eamqve pluribus illuſtravit *B. Lutherus in expoſitione Pſalmi CI. verſ. 2. 3. Tom. VI. Jenenſi German.* imprimis ad ult. verſum, ubi David gloriatur; *ſe manè*, id eſt citò & ſummâ cum alacritate, *extirpare omnes peccatores*, Cur ergo *Doëgum, Achitophelem, Saulem, &c.* non extirparit? Hie gehören her / inqvit, die einen Löffel auffheben / und zutreten eine Schüſſel / ꝛc. Was konte Samuel thun / da ſein König Saul ſich lieſſe den Doeg und andere verführẽ / groſſen Schaden zu thun?

thun: David muſte den Joab und Simei eine Weil laſſen wüten/ꝛc.

Ad hanc ſuſpenſionem *excommunicationis*, præſertim *Majoris* credo teneri Paſtorem, non ſolùm ex lege prudentiæ, ſed etiam juſticiæ, & præcepti divini, ſive interdicti potius, *de non evellendis Zizaniis cum periculo*, (multò minus cum manifeſto damno) *tritici Matth.XIII.* Auguſtinus non formidavit *intempeſtivam excommunicationem*, etſi ratione meritorum, & ratione fori competentis juſta ſit, SACRILEGIUM vocare, idqve aliqvoties dicto c.2. libri III contra Epiſtolam Parmeniani. Et lib. unico poſt collationẽ cũ Donatiſtis cap.XX: *Neq; enim* (inqvit) *à populo Dei ſeparamus, qvos vel degradando vel excommunicando ad humiliorem pœnitendi locum redigimus: Et ubi hoc facere pacis & tranqvillitatis Eccleſiæ cauſa non permittimur*, (ſcil. degradare vel excommunicare) *non tamen ideò Eccleſiam negligimus: ſed toleramus qvæ nolumus, ut perveniamus qvò volumus: utentes cautela præcepti Dominici, ne cùm voluerimus ante tempus colligere Zizania, ſimul eradicemus & triticum: Utentes etiam exemplo & PRÆCEPTO beati Cypriani, qvi collegas ſuos fœneratores, fraudatores, Raptores, pacis contemplatione pertulit tales, nec eorum contagione factus eſt talis. Unde & nos, ſi triticum ſumus, ejusdem beati Martyris verba fidentiſſime dicimus: Qvia, etſi videntur in Eccleſia eſſe Zizania; non tamen impediri debet aut fides aut charitas noſtra, ut qvoniam Zizania in Eccleſia cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus.* 274 *Ex lege juſtitiæ ſec. Auguſtinum.*

Applicat: hæc verba piiſſimè ac juſtiſſimè dicerent Majores noſtri, etiamſi Cæcilianum & ALIQVOS EPISCOPOS ejus malos viderent, qvos tamẽ ab Eccleſia ſeparare nõ POSSENT PROPTER EOS, qvibus mali eſſe demonſtrari non poterant, qvi eos Bonos & Innocentes putabant, &c. Inter præcipuos Sanctos habitus Samuel, & graviter Saulem corripuit, & cùm eo tamen ad offerendum Deo ſacrificium ſine excuſatione perrexit, nec peccatorum ejus contagione pollutus eſt. Puto eos, qvi in populo Corinthiaco dicebant: Ego ſum Pauli, ego autem Apollo, Ego verò Cephæ: & tamen OMNES AD UNUM ALTARE ACCEDEBANT, *& eadem Sacramenta communicabant, qvi eâdem malâ vita non communicabant, &c. eſſe tamen illos, qvos Apoſtolus de ſchiſmate reprehendit, & tanqvam in hoc* HOR- 275 *Perſvaſio plebis de Innocentia Novatum*

 REN-

RENDO VITIO *velut omnes increpans dicit: Num diviſus eſt Chriſtus? &c. Puto autem qvod iſti, qvibus nihil deerat in ulla gratia I. Cor. I. qvi ditati erant in omni verbo, in omni ſcientia, &c.* JUGUM *nõ ducebant cum eis, qvi Reſurrecturos mortuos non credebant.*

Ecce, qvomodo non ducant jugum cum infidelibus, qvamvis eidem
276 *populo miſceantur, & ſub* EISDEM SACERDOTIBUS EISDEM SACRAMENTIS *imbuantur. Denique ipſe Apoſtolus, ne huic infidelitati conſentirent, qvorum fides jam tenebat reſurrectionem mortuorũ, non eis præcepit corporalem ſeparationem.* MULTI *qvippe erant: non ſicut ille* UNUS, *qvi uxorem patris ſui habuit, qvem liberiore correptione & excommunicatione judicat dignum.* LONGE ALITER *iſte, aliter vitioſa curanda & ſananda eſt* MULTITIDO: *ne ſi forte plebs ſeparetur, per* SCHISMATIS NEFAS *etiam triticum eradicetur. Eos ergo qvi jam credebant Reſurrectionem mortuorum, ab his, qvi eam in eodẽ populo non credebant, non corporaliter ſeparat, ſed ſpiritualiter ſeparare non ceſſat dicens: Nolite ſeduci, corrumpunt bonos mores colloqvia prava. Non eorum* CONGRESSUM, *ſed conſenſum timet, ne malis colloqviis accommodent fidem. Moribus ergo eos,* NON ALTARIBUS *admonet ſeparari, &c.*

Multitudo non poteſt excommunicari qvando adhæret heterodoxo.

277 Pergit: *Fuerunt qvidem tempore Cæciliani, Beati & pacifici, qvi eum, etiamſi innocens non eſſet,* SCIENTES *pro Catholica unitate tolerarent, cùm eum viderent Tot ignotis gentibus, per qvas ipſa unitas dilatatur, Sacramentorum participandorum communione cohærere, Eumque* TALEM *non poſſe monſtrari,* QUALEM *ipſi eum* ESSE *cognoſcerent:*
„ *Ipſique ſe contra iſtas calumnias defenderent verbis beati & pacifici Cy-*
„ *priani, clamitarentque fideliter & dicerent: Ideo propter Cæcilianum non deſerimus Unitatem; qvia, etſi videntur in Eccleſia eſſe Zizania, non*
„ *tamen impedire debet aut fides aut charitas noſtra, ut qvoniam Ziza-*
278 *nia eſſe in Eccleſia cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus.*

Nec heterodidaſcalus qvando à multitudine ſeparari corpore non poteſt.

Vides Auguſtinum decernere de ſcandaloſis tùm Dogmatiſtis, tùm malè moratis: Neutros per juſtitiæ & charitatis præcepta poſſe *degradari, excommunicari, corpore ſeparari,* ſive per illorũ ejectionem è noſtro cętu, ſive per noſtram ſubductionem ab ipſorum cætu; *ſi partem multitudinis adhærentem habeant*, qvæ non

cre-

credat, Eos eſſe ſive in doctrina, ſeu vitâ tàm pravos, qvàm depinguntur ab aliis. Rationem negandi ſumit Auguſtinus ab interdicto Chriſti: *Ubicunq; periculum eſt eradicandi ſimul tritici, ibi ceſſandum eſſe ab excommunicatione:* Ubicunq; periculum eſt ſchismatis, ibi periculum eſſe evellendi tritici. Qvando n. abſtrahitur vel extrahitur triticũ agro viſibilis Eccleſiæ, nõ proſunt ei verbũ, nõ Sacramenta, ob vitiũ morum, ob læſam charitatem per ſchiſma, (qvod eſt perpetuum Auguſtini argumentum contra *Gaudentium*, contra *Creſconium*, contra *Parmenianum*, jactantes conſenſum in *Dogmatis, in Sacramentis, in tota religione Chriſtiana, &c.*) Ergo ubicunqve eſt periculum ſchiſmatis, ibi abſtinendum eſſe *ab excommunicatione, à degradatione, &c.* Hanc Auguſtini ſententiam eſſe nemo dubitare poteſt.

Accedit periculum etiam propagandæ hæreſeos, qvod paulò ante audivimus allegari ab *Alexandrino Concilio*, apud Athanaſiũ, ab *Hieronymo*, in Dialogo cõtra Luciferianos Schiſmaticos, tanqvã ſufficientem cauſam, ob qvam Epiſcopi Catholici unum alterumve notorium Arianum non excluſerint è cætu ſuo, neq; ipſi Templa ſua deſeruerint? nempe: *Qvia Ariani reliqvis concivibus, eisq; Orthodoxis, amicitiâ, cognatione, Affinitate, &c. conglutinati erant, à qvibus corporaliter ſeparari non poterant; aut ſi ab externa communione Eccleſiæ ſepararentur, eos cognatos, Affines, Aſſeclas ſecum in ſchisma & poſtea in hæreſin abducturi erant:* Adeoqve ſcientes prudentes viſuri eſſent; provincias & officia ſua illico occupari à Doctoribus Arianis, ſi ipſi diſcederent, & cætus deſertos Arianis relinqverent, uti hoc tricẽnali bello Germanico, non ſemel contigit; Eccleſias preſſas & mixtas totas hoſtibus ceſſiſſe, poſtqvam Orthodoxi Doctores ex impatientia aufugerunt. Hinc Eccleſiæ cõſervandæ cõmodo velitatũ fuiſſe per temporalem tolerantiam communionis eorum, qvi in poſſeſſione communionis adhuc erant. Longe verò aliam rationem eſſe de inveteratis ſchiſmatis, dudumqve poſſeſſione communionis Sacramentalis excluſis: longe altioris indaginis eſſe, ut hi iterum admittantur, qvàm ne iſti ejiciantur.

279 *Aut qvando ob paucorum intolerantiã, totus cœtus periclitatur.*

280 *Corpore vel animo;*

Accedit & hoc incommodum; qvòd declarato Doctore aliqvo pro hæretico, qvi multitudinem adhærentem habet, neqve corporaliter ab hac ſeparari poteſt; Aperti hæretici non ſolùm illum tanqvam hæreticum declaratum nobis objectant, plebemq; omnem hæreſeos incuſant, qvæ iſtum ſive pro innocente ſive pro Orthodoxo habet; ſed qvòd plebi etiam inextricabiles injiciuntur ſcrupuli, de impoſſibilitate conſeqvendi ſalutem ſub iſto Doctore, qvum plebs tamen de antiqvo & vero dogmate nihil immutaverit: ſed, ut Hieron. laudato illo *adv, Lucif. Dialogo*, ait, *qvando Auditorum aures puriores ſunt labiis Sacerdotum*, ſive Doctorum: Parentum, Avorum, Conjugum ſalus animæ in dubium vocatur: Æmulationes, odia, ſimultates concitantur inter familias, urbes, oppida, Magiſtratus, Conſiliarios, inter qvas turbas Reip. nec tutæ eſſe licet nec tranqvillæ. Ipſius itaqve dogmatis propagatio omnibus modis, etiam pœnis afflictivis corporis impedienda eſt, ubi ſine damno tritici poteſt: Ubi autem ſine damno impediri non poteſt, impediatur in tantum, in qvantum ſine æqvali aut majori noxâ poteſt, i.e. Refutetur falſa doctrina, &, velut de *imaginū cultu B. Lutherus* dicebat, *in libro cōtra Caleſt. prophetas: Imagines primùm ex animo, poſtea ex oculis Auditorum ejiciantur*, ſi initium ab ejectione ex oculis, citra majorem noxam fieri neqvit.

281 *Vel etiam Reſp.;*

Qvæ cauſa eſt, eaqve juſta, ob qvam *Imperatores, Reges, Principes*, & provinciarum Gubernatores nonnunqvam interceſſerunt executioni cenſurarū Eccleſiaſticarum, qvoad merita juſtè qvidem, ſed reſpectu malorum conſeqventium intempeſtivè decretarum. Ipſorum enim maximè intereſt, ne ſeditionibus Reſpp. evertantur. Qvalia exempla collegit *Marcus Antonius de Dominis lib: V. de Republ. Eccl. cap. IX. & XII. & l. VI. C. IX. à num. 20. ſeqq.*

282 *Exempla intempeſtivæ Excommunicationis.*

Non diſputo de meritis *Eudoxiæ Auguſtæ, qvòd* Chryſoſtomus eam ingreſſu templi prohibuit, ideò, *qvòd haut procul à templo, Sophiæ nòmine dicto*, nec tamen in loco contiguo, *ſaltationes & lu-*

ludos publicos exhiberi pro more pateretur: cùm Chryſoſtomus tamen nec Imperatricem ipſam privatim, *nec proceres qvosdam, ut ludo illo abſtinerent, flectere ſtuduiſſet*, uti Socrates ait lib. VI. c. 18. Saltem intempeſtive egiſſe, & majori cum damno Eccleſiæ, ſpacium & locum diſſeminandi dogmata ſua, & occupandi principum animos Arianis in manus tradidiſſe, qvum ſibi exilium hoc facto paraſſet, in comperto eſt. Ipſo etiam *Theodoreto* teſte *lib. V. cap. 17. & Sozomeno l. VIII. c. 20. ſeqq.*

Babylas Epiſcopus Antiochenus & Martyr, Martyrii coronam legitimè meruit, qvod fidem orthodoxam confeſſus eſt, eamqve morte ſignavit, nolens ſacrificare Diis; ſed occaſionem Martyrii defendere non poſſum: qvod *Decium Imperatorem ab ingreſſu in templum prohibuit*, nec arma nec ferrum tum qvidem ſecum ferentem, neqve communionem cum Chriſtianis petentem, *manu in pectus illi inſertâ repulit.* Hunc enim modum abigendi Imperatores heterodoxos *etiam à ſolo ingreſſu* in templa Chriſtianorum, in ſacris literis non invenio. Morales modos, Corripiendi Imperatores, ſive Paganos, ſive Apoſtatas, naturalia autem arma Epiſcopis ſacræ literæ non ſubminiſtrant. *Etſi Chryſoſtomus Orat. contra Gentiles*, qvæ eſt Deſcriptio vitæ Babylæ, hoc factum laudet. Alii *Numerianum Imp.* manu injectâ à templi ingreſſu ab ipſo repulſum ajunt: qvod etiam *Camerarius* noſter *ad Theodoreti hiſtoriam obſervavit. Euſebius autem lib. VI. cap. 39.* Babylam perinde atq; Alexandrum Antioch. Epiſcopū in carcere mortuum ſcribit: Atqve hic etiam finis vivendi, Martyrum eſt. 283

Baronius Tom. IX. ad ann. 795. laudat *Platonis Monachi & Theodori Studitæ*, Abbatis, ſive Archimandritæ facinus, qvòd, *cùm Taraſius Epiſcopus Conſtantinopolitanus Conſtantium Irenes filiū Digamum excommunicaret nollet, Monachus Patriarcham ſuum, Abbas Imperatorem ſuum excommunicaverit*, & Monachos circumcirca ad 284

ſeditionem concitaverit, *ne pro Imperatore orarent*; Qvapropter virgis cæſi & relegati ſunt, Imperatore neqvicqvam emendato.

284 *Audæ* Perſarum Epiſcopi Zelus in deſtruendo templo Idololatrico, qvantam ſtragem Chriſtiano nomini dederit, *Theodoretus lib. V. cap. XXXIX.* pluribus commemoravit; qvod Dis ſacrificare coactus fuerit, non meminit. Tradægiam paucis delineabo: *Isdigerdes Rex Eccleſias per univerſam Perſiam evertit hac occaſione: Audas erat Epiſcopus multis virtutibus præditus: Ille intempeſtivo ardore inſtigatus Pyreum, Ignis templum ſubvertit. Qva de re Rex per Magos certior redditus, accerſit Audam, & accuſatum primò clementer jubet inſtaurare Pyreum. Qvod cùm ſe negaret facturum, minatur Rex, ſe omnes Eccleſias everſurum eſſe: utq; fuerat minatus, fecit.*

Et de *Regum* qvidem *Excommunicatione* rectè hic cenſet Mar-
285 cus Antonius, qvod & Lutherus in ſermone de Banno Tom. I. Jen. Germ. Et in Admonitione ad Eccleſiaſticos Auguſtæ congregatos anno MDXXX. Tom. V. Jenenſi German. oſtendit; *Non competere in Reges niſi Excommunicationem minorem.* Majorem enim qvæ Chriſtianis interdicit libero ac voluntario commercio edendi, bibendi, converſandi cum excommunicato, *in Regibus tàm non habere locum, qvàm in conjugibus, ne reddant conjugale debitum: In filiis, ne parentibus officia debita præſtent: in ſervis & ſubditis, ne Dominis ſuis juſta exhibeant.* Spiritualis enim animæ pœna non diſſolvit vincula, qvæ jus divinum, naturæ & gentium colligaverunt; ſed illa tantum, qvæ Baptiſmi & Sacramenti Cœnæ communione contracta ſunt. Qvod per Eccleſiæ beneficium collatum non eſt, neq; auferri poteſt per cenſuram Eccleſiæ: jus civitatis, commerciorum, &c. per Eccleſiæ beneficium collatum non eſt. E.

286 Multa notavit *Socrates* libb. V. & VI. de ambitu Eccleſiaſticorum virorum, in acqviſitione: & de imprudenti Zelo eorundem, in adminiſtratione Epiſcopatuum ſuorum, qvæ tempore Schiſmatum cumprimis digna ſunt legi. Caſtigavit ille nonnulla

la in *Monachis* qvos Longos vocabant, *cap.9.16.17.libri VI.In Cyrillo Alexandrino* de pulſationibus & afflictionibus vitæ fortunarumq; alienarum l.VII.c.7.13.14.15. qvæ profectò imitanda non ſunt, qvæq; vereor referre.

Qvin etiam ad minorem Regum & Principum excommunicationem cautè & lentè procedendum eſt, ob inſeparabile periculum ſchismatis. Qvia alii, iiqve Collegæ noſtri, qvos in fide Orthodoxos eſſe negare non poſſumus, admittendum cenſebunt, qvem nos ſuſpendimus, & à communione removimus; ſicut paſſim amat fieri, ut Romæ ſuſcipiantur, qvos Conſtantinopolis expulit, & vice verſâ. 287 *Etiam minor excommunicatio principum cautè ſuſcipienda eſt.*

Aut verò, ſi pertinaces fuerint, & emendari nolint; ne poſtea, ad majus malum ab Eccleſia avertendum, i.e. cladem innocentium, hæreſin, hæreticorum aut heterodoxorum tùm clanculariorum tùm manifeſtariorum introductionem, ſævitiem, tyrannidem, aut majorem luxuriam & ſimilia vitia principum, magna cum ignominia cenſurarum Eccleſiaſticarum, earumq; futuro etiam vilipendio cogamur reſcindere, aut relaxare vincula, qvæ meritorum intuitu juſtè qvidem injecimus, ſed intuitu perſonæ minus oportune conſtrinximus. Qvod certe longe majore cum ſcandalo fieri neceſſe eſt, atq; ſuſpenſio executionis & toleratio Zizaniorum inter triticum, qvæ ſine damno tritici ſeparare neqvimus, generare poterat? 288

Accidit hoc beato Chryſoſtomo, qvi Eudoxiam Imperatricem in effectu excommunicarat excommunicatione minore, qvando ingreſſu templi, etiam ad audiendam prædicationem verbi illi interdicebat, eamq; velut *ſaltatricem Herodiada, inſanientem Jeſabelem, &c.* coram populo perſtringebat; ut non ſolùm ipſa ſe abſtineret à communione cum Chryſoſtomo & Johannitis (ita vocabantur Adſtipulatores Joannis Chryſoſtomi) ſed & *Imperator*, vir probus & orthodoxus, *imminente Natali Chriſti, contra morem ſuum ad Eccleſiam non veniret, Joanni autem ſignificaret,* 289 *Chryſoſtomi exemplum.*

non

non communicaturum ſe cum illo, anteqvam de objectis criminibus ſe purgaſſet, ut habent Sozomeni verba lib. VIII. cap. 20. Interea *Severianus Gabalenſis* in Syria, *Theophilus* Alexandrinus, *Leontius* Ancyranus, *Cyrinus* Chalcedonenſis, *Ammonius* Laodicenus, *Briſon* Philippenſis, *Acacius* Beroenſis, & alii Epiſcopi, adverſus qvorum doctrinam Chryſoſtomus nihil excipere poterat, *ipſiq; ejus Diaconi*, Serapion & Heraclides, *qvos ad Epiſcopatus promoverat*; *communicabant Imperatori & Imperatrici*, damnabant Joannis factum, & ſecunda vice eum deponebant de ſede; non tam propter contumeliam Reginæ illatam, qvàm *qvòd primâ vice per Synodalem ſententiam depoſitus, per tumultum populi ſedem qvidem recepiſſet, ſed illegitimè & contra Canonas*. Ita noverant Elenchis cauſarum uti, & Imperatricem ab animo vindictæ cupido, etiam ſacri Flamines, Joannis in Chriſto Fratres, abſolvere.

Et qvamvis Joannes opponeret: *Non ſolâ populi petitione, ſed ex*
291 *ſententia etiam aliorum LX. Epiſcoporum ſe recepiſſe ſedem*, replicabant tamen hi judices: *Joannem à pluribus depoſitum, à paucioribus reſtitui illis invitis non potuiſſe:* Duplicante Joanne; *Decretum illud, de non reſtituendo depoſito à pluribus, per Epiſcopos pauciores, in fraudem Homouſianæ fidei procuſum eſſe ab Arianis Antiochiæ congregatis, & pluralitatem Ariminenſium Epiſcoporum, pauciorum Nicæni Concilii Aſſeſſorum numero objicientibus, qvi & Athanaſium numero ſuffragiorum depoſuerant*; obtinebat tamen plurium ſententia, & non comparandâ ad Eudoxiæ peccatillum emerſit Eccleſiæ clades, *incenſo Joannitarum templo*, & propter viciniam, *etiam magnâ Curiâ Conſtantiopolitanâ* per flammam correptâ; Qvamobrem multum innoxii ſangvinis effuſum eſt à præfecto urbis Conſtantinopolitanæ, *Optato, homine pagano, & qvi de calamitatibus Eccleſiæ ridebat, diſſidioq; Epiſcoporum delectabatur. ut Socrates lib. VI. c. 18. &* Sozom. *l. XXI. c. 2. 3.* atteſtantur.

Annon præſtabat, *Ignatium Patriarcham Conſtantinopolitanū*
292 ſuſpendiſſe excommunicationem contra *Bardam* (Egnatius lib. 3. cap. 6. *Varadam* nominat) Michaelis Imperatoris patruum, ob digamiam; qvàm ut Bardas à Cyzizeno Epiſcopo reciperetur, & in-

Ignatii Conſtantinopolitani.

ingentem Eccleſiæ cladem inferret? ut eſt apud *Fulgoſum lib.I. cap. 8.*

Annon præſtabat *Tharaſium* Conſtantinopolitanum Patriarcham differre excommunicationem juvenis Imperatoris *Conſtantini, Irenes Filii*, bigami: ne proclivem ad Eutychianam hæreſin impelleret ad Apoſtaſian; qvàm qvòd Tharaſio ſubditus Monachus *Plato*, Zelo bruto inſaniens, propter hanc cõniventiã Epiſcopo ſuo noluit communicare, nec Imperatori, nec aulicis, ſed alios qvoq; Monachos in ſchiſma pellexit, magno miſellorũ iſtorũ malo? Tametſi enim *Baronius* Monachum laudet, *Theophanem* tamen ex oppoſito producit, laudantem *Tharaſii* potius *prudentiam. Tom 9. ad ann. DCCXCV. n. 69. & 75.* 292 *Tharaſii Conſtantinop.*

Annon præſtabat Theodoſium Imperatorem impedire exſecutionem anathematis *in Joannem Antiochenum Patriarcham*, cui populus adhærebat, qvòd Neſtorio faveret, etſi tota Synodus Epheſina eum excommunicarat, qvàm ut totam provinciam everteret, & Neſtorianos in pertinacia ſua confirmaret? Profectò *Cyrillus* infenſiſſimus Neſtorii hoſtis, hoc ipſe agnovit, & *Maximo Diacono*, nec non *Gennadio Archimandritæ*, Joannis ſubditis reſcripſit, ut Sect. præced. *ex Actis Synodi Epheſinæ Act. V.* & Decreto Gratiani, *l. 7. Can. 15. & 16.* retuli, & *Baron. ad ann. CCCCXLIII. n. 7.* prudenter à Cyrillo factum eſſe fatetur. 293 *Theodoſii Executoris.*

Qvid profecerunt mutuis excommunicationibus Patriarchæ Romani & Conſtantinopolitani, niſi ut Imperia committerent, colliderent & everterent? Neqve enim emendarunt Doctores, nec plebem. Vigilius Romanus excommunicabat Mennam, Menna Vigilium. Felix Rom. Acacium, Acacius Felicem apud Nicephorum l. XVI. c. 17. & l. XVII. cap. 26. nullo Eccleſiæ, nullo Reip. nullo Regum, nullo populorum, nullo ſuo emolumento, ſed irreparabili Reip. Chriſtianæ damno. 294 *Romanorum & Conſtantinopp. Epiſcoporum.*

Qvin & hîc ſacrorũ hominum nihil minus qvàm ſacræ fraudes ſine conſideratione tramittendæ non ſunt: qvod Flamines mutuum infenſi, qvantò majores ſimultates inter ſe gerunt, tantò majore ſtudio nitantur, ut Regum & Principum favores ab Ad- 295 *Antiſtitum mutuæ fraudes.*

Digitized by Google

verſario in ſe deriyent,id laudando vel excuſando ſaltem, qvod Adverſarius in Principe flagellat: Nonnunqvam etiam vicinum qvaſi ex Zelo Dei ad diſciplinam exercendam incitent, timiditatem & teporem ei exprobrent,donec Principē ſuū communione excludat: Unde fit,ut ad majus odium Adverſario conflandum, Excommunicatos Principes illi ipſi tantò avidius in communionem ſuorum ſacrorum recipiant,qvantò ſunt avidiores ad ægrè faciendum æmulo. Qvod præter exempla jam adducta, ſuâ ætate *Socrates & Sozomenus* increbuiſſe plorant.

296 Qvum *Jovinianus* ad Imperatoriam dignitatem eveheretur, *undiq; confluxerunt Epiſcopi*, inqvit *Socrates l III,cap.24. eò qvod Imperatorem qvisq; ſibi adſtipulaturum ſperabat. Ille verò ab initio fidei homouſianæ adhæſerat,poſtea Neſtorianis & Arianis favebat,&c.*

297 De Arcadii Imperatoris ætate,qvum Perſæ ſimul & Gothi Imperium infeſtarent,ſcribit idem Socrates *lib.VI,cap.6: Cùm autem tantis periculis adobrutæ eſſent res Romanæ, illi qvi in Sacerdotio conſtituti erant,dolos contra ſeipſos ad probrum Chriſtianiſmi invicem ſtruere non deſinebant.*

298 Adſcribam aliud recentius exemplum *ex Baronio*, qvemadmodum *Vitalianus Papa ſeculo VII.* prætextu ſanctimoniæ uſus fuerit,in ſuſcipiendo Imperatore Conſtante Monothelita qvoad hæreſin,ſacrilego,fratricida, & qvem divina Nemeſis domi foriſqve exeruciabat,freqventer apparente ei ſpectro necati *fratris Theodoſii*,qvi Diaconus fuerat,qvod ſpectrum porrigebat fratricidæ poculum ſacrum ſangvine plenum his verbis: *Bibe frater*, &c. ut *Cedrenus & Theophanes* conſignarunt: Qvomodo Tyrannum hunc,qvi & *S.Martinum*, qvi & *Maximum*, alioſqve Orthodoxos Viros trucidaverat,ſuſceperit tanqvam optimum fratrem, *ut æmulo ſuo Petro Conſtantinopolitano Epiſcopo ægrè faceret*,qvi pari poteſtate,qvâ Romanus Epiſtolas ſuas encyclicas Conſtantinopolim mittebat,rurſus mittebat ſuas Epiſtolas Synodicas,etſi Monothelitarum hæreſin ſapientes,Romam: Ambo autem abſtinebant à mutua communione Sacramentorum, Ambo mutuis infe-

feſtisqve odiis flagrabant. uti Baronius ipſe, *ex Anaſtaſio Bibliothecario ſub init. Anni DCLIII.* refert ac fatetur:

De hac inqvam aſſentatione Romani Flaminis ex Anaſtaſio Bibliothecario Baronius ad Ann. DCLXIII. h. m. *Hujus temporibus venit Conſtans Auguſtus de Regia urbe Romam: Et occurrit ei Apoſtolicus cum Clero ſuo miliario ſexto ab urbe Roma, & ſuſcepit eum. Et ipſa die ambulavit Imperator ad Sanctum Petrum ad Orationem, & Donum ibi obtulit.* Die Sabbati ad Sanctam Mariam venit, itemq; Donum obtulit. Dominica die proceſſit ad S. Petrum cum exercitu ſuo: Omnes cum cæreis exierunt obviam ei: Et obtulit ſuper altare illius pallium auro textum, & celebratæ ſunt MISSÆ. Item Sabbati die venit Imperator ad Lateranas ædes, & lavit ſe, & ibidem pranſus eſt (in Moguntina editione, ex Bibliothec. Velſeriana legitur: *praxit,*) in baſilica Julii. Item Dominico die fuit ſtatio ad Sanctum Petrum, & poſt miſſas celebratas, vale fecerunt ſibi invicem Imperator & Pontifex. *Duodecim dies in Civitate Romana perſeverans, omnia qvæ erant in ære ad ornatum civitatis ſpoliavit: ſed & Eccleſiam beatæ Mariæ, qvæ tecta erat tegulis æneis, diſcooperuit, & in Regiam urbem cum aliis diverſis rebus, qvas rapuerat, divexit* (Nota gratitudinis ſignum, & compenſationem donariorum S. Petro factorum) Et *poſtmodum ſecundâ feria egreſſus de civitate Romana &c. habitavit in civitate Syracuſana: Et TALEM afflictionem poſuit in populo provinciarum Calabriæ, Siciliæ, Africæ, Sardiniæ per diagrapha, capitationes & nauticationes per annos plurimos, qvales à ſeculo nunqvam fuerunt, ut etiam uxores à maritis, & filios à parentibus ſeſe ſepararêt.* (ſcil. intolerantia onerum, famis, laborum &c.) *Sed etiam alia multa inaudita perpeſſi ſunt, ut aliqva ſpes vitæ nõ remaneret. Nam & ſacra vaſa, & cimelia Sanctarum Dei Eccleſiarum auferens, nihil reliqvum fecit.* 299

Sic ars deluditur arte

Platina in Vitaliano addit: *Qvintâ poſtqvam urbem ingreſſus eſt die, ad direptionem converſus,* omnes ſtatuas ex ære & marmore ad ornatum urbis locis inſignibus poſitas: Omnia Eccleſiarum ornamenta pauló decentiora diſtrahit, & navibus ad id ſubvectis imponit: Plusqve ipſe ornamentorum ſeptem diebus urbi detraxit, 300

xit, qvàm antea Barbari ducentis & qvinqvaginta octo annis: ne
„ dicant malevoli, *Gregorii Pontificis juſſu eorum minutas eſſe Majorum*
ſtatuas ac monimenta. Duodecimo autem die Roma in malam rẽ a-
„ biens Græculus neqvam & perfidus, Neapolim contendit, &c. u-
„ bi tributa adeò acerbe colligavit, ut filii ab obæratorum paren-
tum complexibus divellerentur.

301 Hic erat Angelus iſte faciei, cui Romanum Pontificem tan-
to cum apparatu adulari oportebat; Seqvitur Baronii Card. epi-
criſis: *Hic*, inqvit, *abq; conſideratione non tranſeat, qvomodo Roma-*
nus Pontifex Vitalianus, inter ſolertes prudentesq; Pontifices adnume-
ratus, imò & inter SANCTOS, qvos colit Catholica Eccleſia, recenſitus,
erga CONSTANTEM Auguſtum nullum genus obſeqvii prætermiſit,
qvo poſſet hominem demerere? Non enim ejecit ab Eccleſia ſacrilegum,
fratricidam: neq; procul abhorruit vel à ſalutatione hominis, qvi San-
ctiſſimum Pontificem Martinum è ſede tyrannice evulſiſſet, ignominioſe
tractaſſet, ac tandem relegatum, Cherſonæ perire fame etiam coegiſſet:
Non exhibitam in S. Maximum ejus diſcipulum carnificinam
„ exprobravit: Non, inqvam, tot tantisq; criminibus adſperſum ho-
„ minem ſprevit, vel (ut par erat) exhorruit, foresqve illi occluſit
Eccleſiæ; ſed obviam prodiit, excepit, fovit, amplexatus, & pro-
„ ſecutus eſt omni genere charitatis. Cur iſta Vitalianus in ſuum
„ diſpendium, (ut videri poterat) Eccleſiaſticæ læſæ cenſuræ & fra-
„ ctæ penitus diſciplinæ? QVI CUNCTA MODERATUR DE-
US, & fecit in numero, pondere ac menſura, & pro ratione DI-
„ VERSORUM TEMPORUM, diverſas à nobis in rebus gerendis
„ rationes expoſcit, ſecundum qvod Sapiens dicit: Tempus odii &
„ tempus Amoris, & tempus amplexandi & tempus ab amplexibus
recedendi, & tempus pacis, & tempus belli, &c. IS SVASIT VI-
„ CARIO ſuo ſummo Pontifici ITA agere cum ſceleſtisſimo ho-
„ mine, diſſimulando omnia Hominis illius delicta, dummodo Ca-
tholicæ eſſet veritati conſultum: cui conduceret, ut Imperator diu
„ hæreticus, SIVE per veritatem, SIVE per occaſionem ſpecimen
„ ederet Catholicæ pietatis, PERSONAM præ ſe ferens hominis
Orthodoxi.

Prudentia Italica deluditur.

Hæc

Digitized by Google

Hæc ſcilicet decent PERSONAM hominis orthodoxi, donare S.Mariæ pallium,& auferre regulas æneas de templo S. Mariæ,rapere omnia templorum cimelia. 302

Cardinalitiæ enim impudentiæ eſt,qvicqvid Cæſar Soranus deinceps gloriatur *de utilitate publica*,qvam Romana Eccleſia ex hac aſſentatione fuerit conſecuta. Nam & Imperator *in hæreſi occiſus eſt,& Vitaliani nomen de diptychis Conſtantinopolitanis deletum*, & ſchiſma pariter atqve hæreſis robur acqviſiverunt, uti ipſe *Baron. ad annum DCLXXVII.* poſt mortem Vitaliani fatetur.

Inſtituto autem noſtro ſervit hoc exēplum hactenus,ut propter æmulationes continuas vicinorum Flaminum inter ſe, non niſi lente & juſta cum prudentia accedamus ad excommunicationem eorum,qvos alii,Orthodoxorum titulo nonminus ſuperbientes,τῶν ἀμφοῖν,qvod dicitur ſuſcepturi ſunt,ſi à nobis ejiciantur: nosqve ad diſciplinæ rigorem etiam extimulaturi,ut nanciſcantur,qvos à nobis avellere poſſint,& ſchismata atqve Sectiones plures inter eos facere,qvos conjunctos &conſentientes formidare ſolebant. 303 *Applicatio Exemplorum*

Vitalianus certè,mox ut Eugenio ſucceſſerat,non ſolùm Conſtanti Imperatori Synodicam Epiſtolam miſit,qvâ petiit & impetravit *confirmationem privilegiorum,ſedisq;*; uti moris tunc erat,talia ab Imperatoribus petere,(qvod *Magdeburgenſes* etiam obſervarunt *Cent.VII.pag.235.*)*ſed donaverat etiam Conſtans B.Petro Evangelia aurea,cum gemmis albis,miræ magnitudinis ornata in circuitu*, uti ex Anaſtaſio Bibliothec. Baronius ipſe refert ad init. Anni DCLV. ubi multa *de fraude & ſimulatione* principum ſecularium, id eſt,de deluſa Pontificis arte per eandem Imperatoris artem lamentatur: Patriarcham qvoqve Conſtantinopolitanum Petrum exhortatus eratIdem PP.Vitalianus,*ut fidem Catholicam amplexaretur*,id eſt: ut Epiſcopum hunc in Imperatorem Monothelitam concitaret: 304 *Vitaliani*.

Digitized by Google

At Petrus eodem actu reſpondet: *ſe tenere, qvod veteres Patres docuerunt*, Eorumqve teſtimonia magno numero allegavit, qvæ poſtea *in Synodo III. Conſtantinopolitana*, qvam ſextam Oecumenicam vocant, lecta, & à Romanis Legatis *mutilatæ atq; detruncatæ allegationis* accuſata ſunt, ut videre eſt in Actis illius Concilii *apud Binium Tom III. parte I fol. 157. 158.* qvò & Baronius provocat.

Seculo qvinto *Felix & Gelaſius* Romani Epiſcopi *Acacium*
305 *Felicis & Gelaſii.* *Conſtantinopolitanum* ſtrenuè ſodicabant, & acerbe reprehendebant, qvòd *Zenonem Imperatorem*, Henoticum ſuum cum hæreticis Eutychianis contractum, vi urgentem, & Epiſcopis refragantibus multa mala inferentem, *aſperius non coërceret*. Epiſtolæ extant *apud Binium in Actis Concil.* ad vitam uniuscujusqve Rom. Pontif. & *apud Baronium Tom. VI. ad Ann. CCCCLXXXIII.* ſed ipſi interea abblandiebantur eidem Zenoni, ut Acacio odium conflarent. *Convenit*, ſcribit Felix ad Zenonem, *nunciare clementiæ tuæ rerum geſtarum ordinem pro tranqvillitate Imperii ſerenitatis tuæ: & oro ſuſcipias precem meam benignis auribus ut Chriſtianiſſimus Imperator. Et neqvaqvam arbitretur pietas Tua, illum nos puro corde non diligere, qvicunq; TE pacem cum Deo habere non vult, O Chriſto amate Imperator!*

Acacium autem his verbis inſtigat adverſus Imperatorem:
306 *Decuerat Sacerdotē ſuggerere Chriſtiano Principi, maximè cujus familiaritate & favore utebatur, ſalvam fore de injuriis & contumeliis Nobis illatis vindictam, tantùm ſineret Chriſtianus Princeps Eccleſiæ regulas cuſtodire.* Iterū vellicat eundē Acaciū, apud *Baron. l. d. n. 23: Sæpiq debes adire Chriſtianæ mentis Auguſtum, & cauſas eidem ſalutis ſuæ frefreqventer ingerere. Qvò magis TE pro tua ſalute, & profeſſione ferventius oportuerat talia apud Clementiæ ejus aures inceſſabiliter allegare, ne vel ſuæ fidei deſtitutæ, vel perfidiæ dicereris Fautor alienæ. Error n. cui non reſiſtitur, approbatur, & veritas qvæ minimè defenſatur, opprimitur.* En blandos & mites Romanos Epiſcopos, in eos qvi diſtrictiorem ſententiam merebantur; ſed injurios & contumelioſos in vicinum Conſtantinopolitanum, qvod parilibus artibus ute-

re-

Digitized by Google

retur,& Romanis flabronibus oggereret: *Tu ſi hic eſſes, aliter ſentires.*

Qvis dubitabit,eaſdem inſidias hodieqve ſtrui à Diabolo ejusq; ſatellitibus ſub nomine &ſpecie diſciplinæ Eccleſiaſticæ& puritatis doctrinæ conſervandæ? Qvam conſervari utiqve oportet,ſed non per media probabiliter & ſucceſſu temporis magis deſtructura fidem,ſi exercitium doctrinæ orthodoxæ alicubi penitus aboleatur,qvàm ſi toleretur ad tempus is, qvi citra majus damnum,atqve toleratio ejus adferre poterat,ejici non poteſt. 307

A qvo & qvandiu imminet Eccleſiæ idem periculum, quale & qvantum à Regibus,Principibus,Dynaſtis, aliisqve plebem ſibi adhærentem ducentibus,ſi excommunicentur imminet; ab eo excommunicando tandiu poſſum abſtinere, non minus atqve à qvovis alio plebem poſt ſe trahente, qvandiu periculum ſchiſmatis durat. Hoc ſtultorum magiſtra Experientia Romanos Pontifices tandem docuit, ut decernerent: Excommunicandos eſſe viros ſingulares & brachio plebis deſtitutos,qvò neqve principis favore,neqve plebis ſuffragio munirentur: Miniſtros autem & Amicos principum, aliosqve novum ſchiſma facturos,*anathemate qvidem dignos* pronunciarent,executionem tamen in eos differendam cenſerent. 308 *Regula generalis qvando liceat differre executionem.*

Sic ante M. propemodum annos, *Concilium Toletanum XII. cap.3.* apud Binium *Tom.3. fol.272. de Culpatarum receptione apud Eccleſiam*,cenſuit: *Qvia remiſſio talium, qvi contra Regem, gentem, vel patriam agunt,per definitiones Canonum antiqvorum, in poteſtate ſolum Regia ponitur,cui & peccaſſe noſcuntur; ab illis nulla ſe deinceps abſtinebit Sacerdotum communio. Sed,qvos regia poteſtas aut in gratiam benignitatis receperit,aut participes menſæ ſuæ effecerit,hos etiam Sacerdotum & populorum conventus ſuscipere in Eccleſiaſticam communionem debebit: ut qvod jam principalis pietas habet acceptum, nec à Sacerdotibus habeatur extraneum.* 309 *Exemplum dilatæ executionis.*

Non agit eqvidem hic Canon de Notoriis heterodoxis,nedum heterodidaſcalis,ſed de his ſolis,qvi morum vitiis Regi, regno,aut patriæ infeſtis ſe commaculaverant, Neqve ulterius exten-

tendendus eſt, qvàm ad Recipiendos ob morum vitia, aut publica crimina excommunicatos, ſi Princeps eos menſâ & comitatu ſuo dignatus fuerit. Neqve exempla *Ivonis Carnotenſis, & Anſelmi Cantuarienſis, qvæ Marcus Antonius de Dominis* adduxit *Lib. VI. de Rep. cap. IX n. 25.* provocantium ad hoc ſtatutum, & contra Romani Pontificis interdictum communicantium cum *Gervaſio qvodam excommunicato*, aliisqve, *qvi de manu Regis Britanniæ acceperant inveſtituras Eccleſiarum*, ad hæreticorum dogmatum propagatores ſe extendunt, qvaſi his etiam communicare liceat, qvando Princeps iis communicat;

311 Generalis tamen ratio hujus ſtatuti, qvam in principio Toletanum Concil. allegat, ſcil. *Rem iſtam afferre Denotabile malum, ſi Collegium Sacerdotum à pace & communione Eccleſiæ illum ſeparet, qvem principalis licentia in ſuam communionem ſuſcipit*; à fortiori arguit: Non eſſe temere illos à præſenti poſſeſſione communio-

Exemplum invitæ communionis cũ indigno.

nis Eccleſiaſticæ deturbandos, qvos Principes non ſolùm in civili, ſed etiam in Eccleſiaſtica communione retinere volunt. Si enim propter hanc cauſam recipiendus eſt in poſſeſſionem communionis; multò minus â poſſeſſione dejiciendus eſt, ſi Princeps eum in poſſeſſionis exercitio retinere velit. Turpius enim ejicitur qvâm non admittitur. Et ex hac generali ratione ſtatuebat Anſelmus Cantuarienſis; *Qvando ex officio ejus coronandus erat Rex Angliæ, & communicandum in ſacra illa Synaxi cum Rege de verendis myſteriis; Tunc ſe non poſſe vitare eos, qvos Papa Paſchalis vitandos juſſerat, qvia Rex ad ſuam communionẽ*, à qva Anſelmus officii cauſa & de more abſtinere non poterat, *eos admittebat. lib. III. epiſt. 90.* Adeoq; qvaſi invitus cogebatur communicare Anſelmus cum ſociis ſuis, id eſt, cum iis, qvos Rex à cujus communione abſtinere non poterat, tanqvam hoſpites ad ſacram menſam ſecum adducebat. Veruntamen nolo hoc extendi ad Heterodidaſcalos manifeſtos & declaratos, ſi maximè princeps hos tecum coadmitti aut nos cum his perinde, atq; cum Principe communicare juberet *communione activâ*, id eſt, liberâ & proæreticâ.

No-

Digitized by Google

Notorius eſt proceſſus, qvi ſervatur ab Electorum in Rom. Imperio Auguſtanam Confeſſ. amplexorum Legatis, in coronatione Romani Imperatoris, & aliis conventibus publicis, ubi officii causâ Imperatori Comites eunt ad Miſſam. Nempe ut ſecedant, qvamprimum introitus ad Miſſam cantatur. De qvo *Sleidanus lib. VII. Comment. ad Annum MDXXX.* qvando Auguſtana Confeſſio exhibebatur. *Et Lutheri Conſultario* reqviſita hoc nomine *à Joanne Friderico Duce Electore b.m. Tom. V. Jen. Germ.* Qvod in nupera etiã coronatione moderni Romani Imperatoris, tũc Regis, Saxonicus Legat9 Generoſ9 Dn. à Metzſch pẽſi habuit: etſi Brandeburgicus Legatus, perſonæ Principis ſui oblitus, ſuam privati religionem illic oſtentandam potius duxerit. 312

§ XIX.

De alio effectu irritæ correptionis fraternæ, qui eſt ACTIO INJURIARUM ADVERSUS CORREPTOREM.

ISte qvidem effectus purè per accidens eſt, qvandiu fraterna correptio intra terminos à Chriſto præſcriptos perſiſtit, ut de certis 313
& exploratis peccatis ſive contra puritatem doctrinæ, ſive contra *Ob correptionem legitimã nemo poteſt accuſari.*
honeſtatem vitæ commisſis, vel etiam de ſignis & indiciis potentiâ proximâ ad peccata talia inclinantibus, eaqve proximè comitantibus, primò qvidem ſeorſim, deinde, ſi prior correptio nihil profecerit, adſcitis duobus teſtibus fratrem corripias. Neqve Magiſtratum decet admittere injuriarum actionem adverſus illum, qvi gradus & circumſtantias à Chriſto præſcriptas ſervavit. Servaſſe autem præſumitur, ſi inimicitias cum correpto exercuiſſe, aut honori ejus invidiſſe non probatur. Qvæ enim communja omniũ Chriſtianorum officia ſunt, qvæqve iis nota eſſe præſumuntur qvibus exhibentur; adverſus ea non præſumitur; ſed Actorem oportebit probare dolum, ubi propter officium Chriſtianis omnibus commune, de dolo aut malitia in ſe commiſſo corri-

Digitized by Google

gentem convenerit. Ut e.gr. ſi qvis proximi aſinum aut bovem è puteo extracturus, aut fatiscentem ſub ſarcina erecturus, crus ei fregerit, aut luxaverit, aut fregiſſe vel luxaſſe dicatur; non ſolùm facti ſpeciem, ſed etiam dolum ſub prætextu officii incumbentis commiſſum ab Actore probari oportebit. Semper enim præſumitur pro eo, qvod ex mandato ordinariè fit, fieri ſolet & debet. *Factum autem præſumitur, qvod fiendi mandatum habet. Barthol. in l. qvi in aliena §. ſi qvi ff. de acqvir. hæred. Si præcedit mandatum ut facias, & tu deinde feciſti: præſumitur, qvod ex mandato feceris.* apud Menoch. *de Arbitr. Jud. ſent. c. 470. n. 22. Et in dubio benignior & favorabilior ſententia ſumenda eſt.* c. Eſtote miſericordes de R. I. ubi ex Beda declaratur hæc regula: *Hoc loco nihil aliud nobis præcipi, niſi ut ea facta, qvæ dubium eſt qvo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. In dubio, qvod honeſtius eſt præſumi debet.* Abbas *in c. intelleximus. d. adult.* apud eundem Menochium *caſ. 89. n. 22.*

314 *In dubio tenetur purgare ſe ad judicis ſent.* Si contingat tamen, imponi Correptori juramentum purgationis, qvod dolo aut malitia de hoc vel illo peccato proximum non corripuerit, ſed fine à Chriſto præſcripto, id eſt fine lucrandi animam ejus, eamqve ab interitu eripiendi; tenetur Magiſtratui ſe purgare, ad majorem Dei gloriam, & ut tantò manifeſtius appareat, ſe animæ proximi ſalutem, non vindictam, aut contumeliam proximi, aut finem alium proximo injurioſum qvæſiviſſe.

315 Qvod enim ſuâ naturâ aptum, & à Deo ordinatum eſt ad ſalutem proximi magis magisqve promovendam, ad id in hoc caſu correptionis fraternæ magis teneor ex lege Chriſti, qvàm ex lege civili; Et magis ratione objecti, qvàm ad promovendam corporalem ſalutem bovis aut aſini periclitantis: Sed purgare ſe ab affectu vitioſo & fine malevolo in correptione proximi non intento, ſuâ naturâ aptum & à Deo ordinatum eſt, ad ſalutem proximi promovendã, ut tantò certius credat & perſvaderi ſibi patiatur, õ infamiã aut aliud qvodvis damnũ, ſed animæ ſalutẽ à corripiẽte qvæſitam fuiſſe: *II. Paralap. VI, 22: Si cui imponitur juramentũ, &c.* Igitur ad hanc fiduciam de me tantò certius ipſi perſvadendam,

te-

teneor ad judicis ſententiam illi purgare & declarare animum meum, de ſinceritate correptionis, qvoad finem intentum.

Hoc probatur à fortiori, h.m. Qvia etiam paſtoraliter corri- 316
pientes, & paſtorales actus alios exercentes, ad ſuperioris mandatum tenentur ſe purgare, & præſcribitur formula juramenti. *c. ſi qvis de gradu, & c. Qvotiens. de purg. Canon.* Qvod ſi correptus peccatum commiſſum plane neget, & corripientem ad palinodiam ejus, de qvo ipſum corripuerat, & deprecationem vel etiam mulctam aut pœnam ſuſtinendam cogat, eò, qvòd corripuit: Coactio qvidem tùm judicialis ratione meritorum, tùm extrajudicialis ratione proceſſus & meritorum erit injuſta; Et corripiens, ſi valde probabiliter præviderit, aut prævidere potuerit hoc incommodum ſibi ob officii Chriſtiani adminiſtrationem eſſe naſciturum, poteſt abſtinere à correptione, Ratio, qvia is, de qvo valde probabiliter præſumit, ipſum ſibi hanc moleſtiam creaturum, præſumitur eſſe per privatam correptionem incorrigibilis. Niſi enim incorrigibilis eſſet, officium fraternum non converteret in calumniam.

Si contingat autem corripi v.c. adulterum, homicidam, in- 317
ceſtuoſum, furem, &c. de peccato occulto, ſed certo qvoad exiſtentiam, & perſpecto corripienti, at, qvod teſtibus probari tamen non poſſit: correptus autem metu infamiæ aut ſupplicii ſui, ſi delictum innoteſcat; injuriarum poſtulet corripientem; palinodiam, deprecationem, & ſive multam, ſive pœnam afflictivam corporis exigat; Tenetur corripiens ad judicis ſententiam non tantùm ſuſtinere immeritas pœnas, ſed palinodiam etiam ac deprecationem, qvam contra conſcientiam præſtare non debet, qvovis ſupplicio redimere. Peccatum enim qvale eſt mendacium, & revocationē dicti aut facti reapſe veri committere, nullius mali tēporalis vitandi cauſa licet. I. Pet. III. 15, 16. 17. Cap. IV, 14. 15. &c.

Non autem revocare, qvod ex veritate reprehēdit.

Et qvamvis videatur ex regula fraternæ dilectionis, minus malum, qvale eſt *infamia Recantationis*, tolerandum eſſe ad aver- 318
tendum majus malum fratris, qvod eſt *extremum ſupplicium corporis*, ſuſtinendum propter homicidium aut adulterium commiſſum,

Refelluntur objectiones.

miſſum, ſi inhæream affirmationi meæ de delicto per ipſum commiſſo; Reverâ tamen non teneor tolerare minus malum ejusdem generis, ad avertendum majus malum ejusdem generis (qvando videlicet utrumqve malum eſt malum pœnæ temporalis:) ſed teneor ſolum ſubire minus malũ inferioris generis, ad avertendum majus malum ſuperioris generis, qvale eſt æterna pernicies animæ fratris. *Secundò,* non exiſtit periculum ſupplicii corporis ad unius teſtis depoſitionem, nedùm denunciantis: propter legis divinæ interdictum *Num. XXXV. 30: Ad unius teſtis depoſitionem nemo moriatur,* E. nec locum hîc habet propoſitus caſus. *Tertiò:* Non licet ullum malum ſubire ad avertendum malum pœnæ, qvando averſio hæc cum malo culpæ conjuncta eſt. Conjungitur verô averſio ſupplicii fratris cum malo culpæ, & meæ & fraternæ, qvando inficior id eſſe commiſſum à fratre, qvod commiſſum eſt. Mentiuntur enim uterqve, negando id qvod negari non debebat. Et (*qvartò*) probabiliter confirmatur ille in peccato, ubi ſuſpicionis etiam veſtigiis deletis, ſecurior fuerit factus.

319 Juſtus autem metus eſt, & probabilis præſumptio pro incorrigibilitate cujusvis ex proæreſi criminaliter peccantis, v. gr. per adulterium, inceſtum, furtum, homicidium, veneficium, &c. ne privatam correptionem cõtemnat: Ideoqve extra caſum extremæ & geminæ neceſsitatis, i: qvando vitæ temporalis & æternæ extremum periculum concurrunt, ut: qvando ſcio inceſtuoſis aut adulteris inſidias eſſe paratas, ut ſtatim confodiantur, qvas ego inſidias avertere nõ valeo, õ teneor tales in procinctu atrocis flagitii, extra præsẽs periculũ perdẽdæ utriusq; vitæ ſtantes corripere: ne, ſi ob capitale crimen eũ vel eos corripuero, actiõe injuriarũ, & conſeqventer infamiâ me afficiant. In extremo autem neceſsitatis caſu, ubi vita utraqve periclitatur, teneor etiam cum periculo famæ corripere qvemcunqve peccantem, & malum ſuperioris generis redimere ſubitione mali inferioris generis.

320 Ratio diverſitatis eſt: qvòd in extremum periculum utriqve

qve vitæ perdendæ delapſus,non præſumitur effugiturus,& conſeqventer,nec pœnitendi,neqve me vexandi tempus habiturus; Igitur tametſi non appareat certò qvod ſit corrigendus,dummodo tantùm non appareat certo,qvod non corrigendus ſit; fugendum eſt officio correptionis à Chriſto præſcripto. ut ſupra de Tempore correptionis dixi. At qvando taliter peccans non verſatur in extremo periculo utriusq; vitæ;tūc meritò præſumitur,& qvod emendari poſſit aliâ ratione,alioqve tempore,qvàm per meam correptionem ; & qvod ſit vexaturus me actione injuriarum, pœnisq; in injuriantes conſtitutis,ſi corripuero eum ob delictum capitale occultum,qvod probare judici neqveam. Itaqve metus ſuccumbendi actioni injuriarum,eſt metus juſtus,& juſta cauſa abſtinendi ab executione correptionis fraternæ in caſu neceſſitatis non extremæ.

Qvando metus infamiæ liberet à debito corripiendi.

Tutius ergo eſt,delicta occulta,qvorum commiſſio totam 321
communitatem obnoxiam facit Nemeſi divinæ, ut ſodomiam, homicidium,incantationes,&c. & à qvibus delinqvens per duos primos gradus correptionis fraternæ non præſumitur liberandus, denunciare judici per modum nudæ denunciationis, ut judex inqvirat. *Levit.V,1. Deuter. XII, 2.ſeqq.*

At ne tamen ſub prætextu correptionis fraternæ,vel etiam 322
ſub prætextu denunciationis piæ, (videlicet ne communitas ob flagitium inultum obnoxia fiat popularibus plagis) integritas & fama proximi adducantur in ſuſpicionem apud Magiſtratum,vel etiam privatim lacerentur à perſonato fratre correptore ; tenetur corripiens ſaltem in foro conſcientiæ,ad reqviſitionem à Magiſtratu,præſtare juramentum calumniæ, ſive purgare ſe à calumnia ; ut tantò manifeſtius appareat,qvæſitam eſſe ab ſe gloriam Dei in ſalute proximi. *Levitici XIX,16 : Non eris calumniator, neqve ſtabis contra ſangvinem,&c.* juncto *Ebr. VI,16: juramentum tollit omnem dubitationem, &c.*

Qva-

Digitized by Google

Qvale juramentum erat illud Apoſtoli: qvod capiti *Nono Epiſtolæ ad Romanos* præmiſit, qvum horrendi anathematis ſententiam in gentem ſuam promulgaturus erat, uti jure qvoqve Canonico ſancitum eſſe paulò ante oſtendi.

323 *Exceſſus correptionis poſſunt puniri.* Exceſſus autem corripientis, & violationes regulæ à Chriſto præſcriptæ, ſive qvoad locum & tempus, qvando videlicet frater peccans non inter TE & ipſum ſolum corripitur, ſed in loco publico, audientibus aliis: ſive qvoad modum corripiendi, ſi nempe verbis injurioſis & contumelioſis corripitur, merito vindicantur, modis per leges publicas conſtitutis, qvum & exceſſum *correptionis Paſtoralis* legitimè vindicare liceat injuriato.

324 *Eorum probatio.* Etſi præſumptiones validiores reqvirantur adverſus Patrem ſpiritualem, cùm qvoad animum, tùm qvoad qvalitatem injuriæ probandam: qvàm adverſus proximum qvemvis. Qvum *pater & ſuperior in dubio ſemper* præſumantur animo corrigendi corripere, etiamſi verbis acerbioribus corripiant, neqve propterea actio in eos permittatur, per leges civiles *l. ſed etſi 5. ff ad l. Aqvil.*

325 *Diverſitas.* Ad formandam autem qvalitatem exceſſuum, multum intereſt: An corripiens imputet correpto malum & doloſum animum: An factum illicitum: An eventum qvaſi præſagiat, & præſagiendo exprobret, qvi ignominioſus ſit correpto.

326 *Objectio doli* In imputatione animi doloſi & malitioſi, caute procedendum eſt, pro diverſitate oojectorum & ſubjectorum. Circa objecta hõneſtatem publicam violantia, nemo facile de animo doloſo & malitioſo corripiendus eſt, cùm in hoc genere bonitatis qvilibet præſumatur bonus, & *ὑπονοιαὶ πονηραὶ ſive ſuſpiciones de malo*, qvemadmodum Chryſoſtomus adjectivum illud *πονηραὶ* exponit, ex vitio ſint, & contra regulam charitatis fraternæ I. Tim. VI, 4. I. Cor. XIII, 7.

327 In imputatione autẽ doli circa objecta fidei, qvæ ſolo lumine ſupernaturali cognoſcuntur, diſtingvendum eſt inter ſubjecta. Qvi hæreſi aut Sectæ non ſolùm corpore & extrinſecâ profeſſione notoriè adhærent, ſed etiam affectu, defenſione, encomio: uti Doctores hæreticorũ & Zelotæ ac defenſores eorum, præſertim invetera-

terati; de iis ſemper præſumitur dolus. Sunt enim *lupi & fures, qvi non vocati veniunt*, qvi in veſte ovilla veniunt: *& qvoties veniunt, præſumũtur venire animo furandi & jugulandi*; docente nos Verbo veritatis, Matt. VII, 16. Joh. X, 1.5.8.9.10.

Et qvanqvam ex ignorantia verioris iſta nonnunqvam audeant, ut *Saulus furens Act. IX. I. Tim. I.* non præſumitur tamen; ſed qvalia ſunt ſigna, & qvalia ſunt prædicata, talia præſumuntur eſſe ſubjecta, ut Beda ſupra dicebat. *C. Eſtote miſericordes. d. R. J.* qvũ addit: Admonitionem illam Chriſti: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*: *non de dubiis, ſed de manifeſtis dictam eſſe, qvæ non poſſunt bono animo fieri, ut ſtuprum, blaſphemiæ, furta, ebrietates, & ſimilia, de qvibus nobis permittitur judicare.* Et Saulus ex ignorantia furens, tanqvam fur & latro erat non ſolum metuendus, ſed etiam increpandus, ob facti evidentiam. Qvemadmodum Herodes, Pontius Pilatus, & Crucifixores Chriſti *Latrones* erant, & vocitabantur, etſi à Chriſto ipſo & Apoſtolis teſtimonium acciperent, hos ex ignorantia hoc feciſſe. *Luc. XXIII. 34. Act. II, 23. Cap. III, 14. 15. 17.* Vide qvæ ſupra tradita ſunt de *modo corripiendi hæreticos.* 328

In correptione dicti vel facti illiciti, etſi laudatur prudentia circumſcribendi & proponendi illud per ſimile factũ individui alterius, aut vagi: ut *Nathan II. Sam. XII.* Alterqve Propheta *Achabum* corripiens I. Reg. XX. Atqve alii nonulli, confesſionem Reorum ſingulari artificio elicientes; Nulla tamen injuria eſt, qvalitatem dicti aut facti illiciti nudè & plane exponere, & corripere, ex regula *Chriſti, Moſis & Siracidis*, Math. XVIII. Levit. XIX. & Sir. XIX. ſupra prolixius declaratâ, qvæ dum ingenuam & planam correptionem præſcribit, ingenuum & planum peccati illius, de qvo qvis corripiendus eſt, ob oculos poſitum præſcribit. 329 *objectio facti illiciti.*

Qvum verò ad correptionem fraternam etiam adhibenda ſint argumenta disſvadentia continuationem: aut, ſi peccatum in proxima potentia ex ſignis eſſe præſumitur, argumenta disſvadentia commisſionem &c. inter qvæ præcipuum locum obtinent, qvæ à damnis & ſcandalis conſeqventibus ſumuntur; fieri propemodum neqvit, qvin in correptione fraterna adhibeantur ar- 330 *Objectio conſeqventis.*

argumenta præfigurantia eventum mali commiſſi aut committendi, de qvo qvis corripitur, ejusqve effectus tùm neceſſarios tùm probabiles: qvi repræſentantur fratri corrigendo, non ut in animo & intentione ejus conſiſtunt, (omnis enim peccans confidit; vel ſperat ſaltem, peccatum ſuum eſſe & fore leve) ſed uti ex præmisſis ſeqvi ſolent aut poſſunt, ut: ex ebrietate fornicatio, ex fornicatione infanticidium, ex infanticidio perjuriũ, ex perjurio αὐτοχειρία, *&c. Prov. XXIII, 32. ſeqq.*

Qvorum eventuum præfiguratio ad deterrendum peccato-
331 rem inſtituta, cùm officio correptionis à Christo mandatæ connaturalis ſit; etiamſi contingat eventus illos non ſeqvi, neqve neceſſitate conſeqventis ſeqvi eos oporteat; nullatenus tamen idoneam cauſam præbet actioni injuriarum, etiamſi proferatur verbis non eventum ſolùm, ſed animi qvoqve intentionem conſignificantibus: qvæ conſignificatio tamen ſecundum communionem loqvendi conſvetudinem ad ſolius eventus ἔκβασιν reduci ſolet. *ut Jerem. XXVII, 10. 15. Threnor. II, 14: Propheta tui prophetarunt Tibi viſiones mendacii, ut expellerent TE è regione tua:* qvæ certè PſeudoProphetarum intentio non erat, ſed oppoſitum potius: uti patet clarisſime *ex Jerem. XXVIII, 2. ſeqq. Sic Ezech. VIII, 6. cap. XVI, 26: Colis idola ad irritandum me, ad lõge abigendum me à ſanctuario meo:* qvum tamen Idololatræ plane contrarium intenderent hoc ipſo cultu, ſcil. cultum & conciliationem Dei, ut clarisſimè itidem conſtat *ex Jerem. XLIV, 17. 18. 20. 21. ſeqq.* ubi conſtabat inter Jeremiam & Idololatras de bona intentione conciliandi ſibi Deum hoc cultu: & qvaſi hanc intentionem ſuam facto ipſo aſſeqvuti eſſent, gloriabantur Idololatræ ab eventu, *qvòd Deus annonæ largitate cultum iſtum compenſaſſet; qvod conſilio & nutu maritorum fœminæ exercuiſſent illum cultum:* Jeremias autem v. 20. & 21. negat exiſtentiam illius eventus, ad qvem Idololatræ illi provocabant: Intentionem boni non negabat, & nihilominus utebatur verbis intentionem mali culpæ & mali pœnæ conſignificantibus, *eod cap. verſic. 7: Et nunc dicit Dominus Deus: Cur tàm grande malum committitis adverſus animas veſtras, ut exſcindi faciatis*

Verba eventûs ſumuntur pro ſignis intentionis.

vi ve-

è vobis marem & fœminam, parvulum & ſugentem de Juda, & ne qvicqvam vobis maneat in reſiduo? In confeſſo autem erat, hoc non intendi ab Idololatris, ſed plane contrarium. Sic Moſes Deut. XXIX, 19: *Cavete ne ſuccreſcat inter vos radix amaritudinis, germinans fel & abſinthium: Ne qvis audiens verba execrationis hujus dicat ſecum: Pax mihi erit, etiamſi ambulem ſecundum obſtinationem mentis meæ; ut extirpet ebrium cum ſitiente.* Hoc poſterius verò neqvaqvam intendebat is, qvi dicebat: *Pax*, ſeu benè *mihi erit*. Atqve infinita ſunt ejusmodi, qvæ *Chryſoſtomus* etiam obſervavit in expoſitione illius dicti Chriſti, *Matth. XIII, ut videntes videant, &c.*

332 *Dolus Romano Epiſcopo Stephano ab extraneis objectus.*

Et hoc ſenſu exponendæ ſunt invectivæ Doctorum Eccleſiæ in alios ſui ordinis, anteqvam per conciliarem Eccleſiæ ſententiam hæretici declarati eſſent, ut: qvando Epiphanius Originem vocat *Parentem Arii* Epiſt. LX. ad Joannem Hieroſol. inter Epiſtolas Hieronymi; qvem Originem *Didymus*, *Chryſoſtomus*, *Ruffinus*, aliiqve orthodoxi pervicacisſime defendebant ab impacto hæreſeos crimine. Qvando *Cyprianus & Firmilianus* Stephanum Romanum accuſabant, qvòd dura ejus obſtinatio in tantum prorupiſſet, *ut Marcionitas, Valentinianos, & Apellitas Deū blaſphemantes, Dei filios faciat: qvod eorum hæreſes contra Eccleſiam vindicet; qvod Amicus hæreticorum, Chriſtianorum inimicus, Sacerdotes Orthodoxos excommunicet.* Hæc omnia enim Cyprianus Stephano Romano impegit, qvi cum tamen communionem fraternam fovebat, Epiſt. LXXIV. apud Pamelium n. 9. & 10.

333

Firmilianus autem Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, ſeqvente Epiſt. LXXV. flagitium haut levius eidem impingit: Qvòd *univerſalis Eccleſiæ pacem rumpat; qvòd Petrum & Paulum beatos Apoſtolos infamet. Se juſtè indignari ad tàm apertam & manifeſtam Stephani ſtultitiam, qvòd, qvi ſic de Epiſcopatu ſui loco gloriatur & ſe ſucceſſorem Petri contendit, multas alias Petras inducat, qvod Chriſtianæ petræ veritatem obfuſcet, & qvodammodo aboleat: qvòd prodat & deſerat unitatem: Qvòd, cùm Judæi Zelum Dei habere laudentur, Stephanus, qvi per ſucceſſionem Cathedram Petri habere ſe prædicat, nullo adverſus hæreticos Zelo excitetur: qvòd hæreticis non modicam ſed ma-*

Digitized by Google

ximam gratiæ poteſtatem concedat: Qvod communicet cum ipſis qvibus tantum gratia defendat & vēdicet: Qvod fruſtra dubitet, in cæteris qvoq; dogmatis conſentire hæreticis & particeps eſſe, ut & ſimul cum eis conveniat, & orationes pariter cū eis miſceat, ac altare & ſacrificium commune conſtituat: Qvod ei cætera qvoq;, qvæ apud hæreticos aguntur juſta & legitima videantur: Qvòd Romanam conſvetudinem, conſvetudini orbis & veritatis vane opponat: Qvòd Apoſtoli de fratribus dictum: SIVE PER OCCASIONEM SIVE PER VERITATEM ANNUNCIETUR CHRISTUS, &c. *ineptè extendat ad hæreticos: Qvod ipſum non pudeat aſſerere hæreticis facultatem, dandi remiſſionem pecatorum, &c.*

334 His conſeqventiis Cyprianus & Firmilianus Martyres, Stephani Martyris ſententiam de rato hæreticorum baptiſmo onerabant, præter ſcopum & intentionem Stephani, & illo qvidem ſanctiſſimo ſeculo, qvo Eccleſia omnis ſangvine confeſſorum Chriſti madebat.

335 Sed *Firmilianus*, Cypriano animoſior, per Apoſtrophen ad Stephanum inſtitutam, talia qvoqve ac tanta ei exprobrat, qvæ Eugubinus aut Brunduſianus Lector hodie vix concoqverent: *Qvando*, inqvit, *baptiſmo hæreticorum communicas, qvid aliud qvam de voragine & cœno illorum bibis, & ipſe Eccleſiæ ſanctificatione purgatꝰ alienarum ſordium contactibus inqvinaris? Nec metuis judicium Dei, hæreticis teſtimonium contra Eccleſiam perbibens, cum ſcriptum ſit: Falſus teſtis non erit impunitus. Qvin imò Tu hæreticis omnibus pejor es! Nam cum inde multi cognito errore ſuo ad TE veniunt, ut Eccleſiæ verum lumen accipiant; Tu venientium errores adjuvas, & obſcurato lumine Eccleſiaſticæ veritatis, tenebras hæreticæ noctis accumulas. Cumq; ſe illi in peccatis eſſe, ac propterea ad Eccleſiam venire fateantur; Tu eis remiſſionem peccatorum ſubtrahis, qvæ in baptiſmo datur: Nec intelligis, animas eorum de manu tua exqviri, cum judicii dies advenerit, qvi ſitientibus Eccleſiæ potum negaſti, & volentibus venire cauſa mortis fuiſti, & inſuper indignaris?*

336 Pergit hanc acerbiſſimam correptionem: Nec pigebit adjicere, qvæ ſeqvuntur in hac paræneſi: *Vide, qvâ imperitia reprehendere audeas eos, qvi contra mendacium pro veritate nituntur? Qvis enim*

nim juſtius indignari contra alterum debuit; Utrumne, qvi hoſtes Dei
aſſerit; an verò, qvi adverſus eum qvi hoſtes Dei aſſerit, pro Eccleſiæ ve-
ritate contendit? niſi qvòd imperitos etiam animoſos atq; iracundos eſ-
ſe manifeſtum eſt, dum per inopiam conſilii & ſermonis, ad iracundiam
facilè vertuntur, ut de nullo alio magis qvàm de TE *dicat Scriptura di-*
vina: Homo animoſus parit lites. Lites enim & diſſenſiones qvantas
paraſti per Eccleſias totius mundi? peccatum verò qvàm magnum Tibi
exaggeraſti, qvando TE *à tot gregibus ſcidiſti? Exſcidiſti enim Teipſũ:*
noli TE *fallere. Siqvidem ille eſt verè* SCHISMATICUS, *qvi ſe à*
communione Eccleſiaſticæ unitatis APOSTATAM *fecerit. Dum enim*
putas, omnes à TE *abſtinere poſſe, ſolum* TE *ab omnibus abſtinuiſti.*

Nec TE *informare ad regulam veritatis & pacis vel Apoſtoli*
præcepta potuerunt, monentis & dicentis, &c. Hæc Apoſtoli mandata & 337
monita ſalutaria qvàm diligenter Stephanus implevit, humilitatem ſen- *Sarcaſmus in*
ſus & lenitatem PRIMO IN LOCO *ſervans! Qvid enim humilius* *Stephanum.*
aut lenius, qvàm cum tot Epiſcopis per totum mundum diſſenſiſſe, pacem
cum ſingulis vario diſcordiæ genere rupiſſe, modo cum Orientalibus, mo-
do vobiscum qui in meridie eſtis? A qvibus Legatos Epiſcopos patienter
ſatis & leniter ſuſcepit, ut eos, nec ad ſermonẽ ſaltem colloqvii communis
admitteret? Adhuc inſuper dilectionis & charitatis memor, præciperet
fraternitati univerſæ, ne qvis eos in domũ ſuã reciperet, & venientibus
non ſolum pax & communio, ſed & tectum & hoſpitium negaretur?
Hoc eſt ſervaſſe unitatem Spiritus in vinculo pacis, abſcindere ſe à chari-
tatis unitate & alienum ſe per omnia fratribus facere! ET CONTRA
SACRAMENTUM & FIDEM, CONTUMACIS FURORE
DISCORDIÆ REBELLARE! *Apud talem poteſt eſſe unum corpus*
& unus Spiritus, apud qvem fortasſis IPSA ANIMA UNA NON
EST: *Sic lubrica, ſic mobilis & incerta?* 338

Manifeſtũ eſt ex vita & moribus Stephani Romani, deſcri-
ptis ab *Euſebio* initio libri VII. hiſtor. *ab Anaſtaſio* Bibliothecario,
& Luidprando, qvi Conſtitutiones à Stephano editas, ex Decreto
Gratiani ſimul attexuit vitæ hujus Papæ; ex *Platina & aliis*: fuiſſe
ſanctum virum & qvi fidem Chriſtianam Martyrio aſſeruit; Un-
de facilè liqvet, plæraqve eorum, de qvibus corripitur à Firmilia-
no Cappadoce, non conſtitiſſe in animo ejus, ſed per conſeqven-

tiam inde deducta fuiſſe; & tamen à parte Afrorum ſervatam irruptè communionem ſacrorum cum Stephano & Romanis perduraſſe; non obſtantibus iſtis inculpationibus.

Hoc ſenſu S. *Bernhardus* Petrum Abailardum & Arnoldum de Brixia accuſabat, *qvòd de Trinitate ſaperent cum Ario, de gratia cum Pelagio, de perſona Chriſti cum Neſtorio, Epiſt. CXCII.* Qvod ipſi neqvaqvam fatebantur, neqve etiam in animo habebant. Hoc ſenſu accuſabat ipſum Legatum *Innocentii* Pontificis; Gvidonem de Caſtello, diſcipulum Abailardi, & poſtea Pontificem *Cæleſtinũ* II. hujus nominis, ad qvem ſcripta eſt hæc Epiſt. *qvòd Legatus ſuggillet Papæ ſui ſententiam; qvod contradicat Domino Papæ, qvòd faveat hæreſi Abaillardi; qvia damnatum hominem in comitatu tamen ſuo retinebat.* Epiſt. CXCVI.

339 *Imputatio per conſeqvẽtias non dat cauſam actioni injuriarum.*

Hæ & ſimiles conſeqventiæ ducuntur ex natura rei, & habitudine præmiſſarum ad conſeqvens; Et hoc dicitur colligi ex intentione heterodoxi, etiamſi heterodoxus per verba intentionem ſignificantia id faſſus non fuerit. Harum itaqve conſeqventiarum in correptione fraterna præfiguratio, neqvaqvam eſt juſta cauſa intentandi corripiēti actionem injuriarum *ex l. diffamari:* qvia per communem ſtylum Eccleſiaſticis Scriptoribus uſitatum non fit animo injuriandi nec diffamandi, ſed corrigendi & emendandi à malo; alioſqve, qvorum intereſt monendi, ut ſibi caveant: Qvemadmodum, ſi (exempli cauſa) lætitiæ, triumphi, honoris publici, aut recreationis gratiâ explodantur bombardæ majores, aut tranſitus militum alicubi fiat; ſine injuriâ explodentium & tranſeuntium monentur vicini, ut caveant & ſibi & habitationibus, & jumentis ac fortunis ſuis à damno; tametſi neqve explodentes neqve tranſeuntes in animo habeant dare damnum. Ratio eſt, qvia ipſa inſtrumenta, apta nata ſunt, ut damnum tale ſoleant inferre.

340 Omnis injuria ex affectu & propoſito malo æſtimanda eſt, non ſolùm qvoad qvantitatem ſuam, ſed etiam qvoad Formam intrinſecam & qvalitatem ſuam, an ſit injuria? *l. illud relatum 3. §. ſanè 1. & l. ſeq. ff. de injur.* Weſenbec. in parat. *ad h. l. n. 8.* Nõ præſumi-

mitur autem affectus & propoſitum malum,ubi ex mandato ſuperioris corripitur frater,& adhibentur talia media,qvæ apta nata ſunt ad affectum adæqvatum producendū,qvi eſt lucratio animæ; & qvibus mediis ad hunc effectum producendum Magiſter præcipiens & prævius,aliiqve in hac arte Magiſtri uſi ſunt. Neq; tenetur hîc probare corripiens animum ſuum,velut indubio,corripiendi an calumniandi animo fecerit? qvandiu intra terminos privatæ correptionis manet. De qvo cognoſcit Judex,an manſerit? ut paulò ante dixi.

Atqve hæc ita ſe habent,ſi originem legis de corripiendo proximo penitius introſpiciamꝰ,& in qvavis correptione,qvæ etiam à privatis ex ſola regula charitatis Chriſtianæ fit,vel inter cōſortes ejusdē religionis procedit. Enimvero illis,qvi nō ex charitate ſola communi inter Domeſticos ejusdem fidei, ſed etiam ex juſtitia &officio corripiunt tùm heterodidaſcalos tùm ſcandaloſos moribus,amplior poteſtas & facultas data eſt, non ſolùm incōmoda & damna ex heterodidaſcalia & ſcandalis ſecutura ob oculosponendi,ſed ex indiciis etiam de animo judicandi,animum taxandi,reprehendendi,caſtigandi,ſolo emendandi fine. Qvia his ex officio incumbit providere, (1) ne univerſa Reſp. Chriſtiana,pro cujus ſalute *qvisq; partem ſollicitudinis gerit*,ut ſupra *Cyprianus* dicebat,detrimentum patiatur; Ad qvam ſollicitudinem ille magis tenetur,tanqvam pars capitis in homogeneo,qvàm tenentur Laici,ad homogeneas qvidem partes integri corporis pertinentes,ſed ad partes ignobiliores.

341 *Præſertim ſi à Doctoribus & Paſtoribꝰ fit.*

342 Generalis obligatio fundatur in illo,*I.Cor. XII,26*: *Qvum patitur unum membrum,ſimul omnia condolent,&c.* Specialis obligatio ſingulorum membrorum ad partem ſollicitudinis pro Toto homogeneo gerendam,fundatur ibid. verſic.ſeq. *27*: *Vos* collective ſumpti *eſtis corpus Chriſti,& membra* κτ' μέρος,ſigillatim, particulatim. nec non v.24.25: *Deus ſic contemperavit corpus, ne ſchisma ſit in corpore,ſed ut eodem ſine pro invicem ſollicita ſint membra.* Perſonalis obligatio eorum, qvi Doctorum officia gerunt, verſic. ſeqq. 28. attexitur.

Digitized by Google

Et alios qvidem conſtituit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos, deinde Prophetas, tertio Doctores, qvartò poteſtates, poſtea dona ſanationum, opitulationes, gubernationes, &c. His ſingulis competere partem ſollicitudinis, patet ex protaſi, qvæ agit *de ſollicitudine ſingulorum membrorum, pro incolumitate univerſi.* His ſingulis tribui *diverſos gradus honoris & exiſtimationis;* patet ex comparatione *nobiliorũ & ignobiliorum, honoratiorum & minus honoratorum membrorum inter ſe, v. 22. 23.* His ſingulis competere etiam diſtinctam latitudinem jurisdictionis & gubernationis, patet ex collatione *directorii* Capiti attributâ, cum *parendi onere* pedibus incumbente, verſic. 20. 21 Et ſingulis tamen adſcribitur pars ſollicitudinis pro incolumitate totius aggregati; ſed verò illis major portio ſollicitudinis, qvæ locum & naturam *capitis & oculorum* ſuſtinent, qvâm iis, qvæ locum & naturam *manuum & pedum* repræſentant.

Atqve ita tenentur ad correptionem fraternam, pro incolu-
343 mitate totius aggregati ſuſcipiendam, & pro ſingulorum membrorum ſalute conſervanda, ſinguli Chriſtiani; at majorem poteſtatem in dirigendo & corrigendo habent hi, qvi *de capitis & oculorum* officiis participant, qvàm qvi de officiis membrorum ignobiliorum. Paſtores autem & Doctores Eccleſiarum pertinere ad membra repræſentantia *caput & oculos* Eccleſiæ, nemo vocabit in dubium. Qvemadmodum ergo (v. gr) caput majori cum autoritate poteſt & ſolet gubernare pedes, qvàm pes unus alterum; majorem etiam ſollicitudinem gerit pro pedibus, qvàm pes & ſtomachus pro capite; Ita Paſtores & Dd. qvibus cura conſervandi puritatem doctrinæ publicæ commiſſa eſt, habent majorem poteſtatem in membra etiam ſimilaria totius homogenei, qvàm habent membra ſtatûs & conditionis in hac qvidem Sphæra inferioris: Et conſeqventer ratione loci ac officii qvod gerunt in corpore, *etiam in Doctores alienæ diœceſeos* poſſunt ac debent uti ſtrictiore & ſeveriore correptione, atqve de plebe qvisqvam alius.

344 *Et in cauſa violatæ fidei.* Accedit, ut ſupra dixi, obligatio *ex delicti qvalitate & periculo,* qvando Midianitæ cœtum fidei meæ commiſſum, contagione

Ido-

Idololatriæ per exemplorum illicia, per literas & libellos polluunt; ut publico judicio hoc vindicare in illis poſſim & debeam, qvod privato non licebat, Num. XXV, 17. 18. Qvod à fortiore valet, pro vindictâ faciendâ *per arma ſpiritualia II. Cor. X, 4. 5.* in ſimili caſu læſionis moralis.

Qvanqvam igitur aliàs jure Cæſareo ita conſtitutum ſit, ut proferens verbum *ex vulgi conſvetudine* & opinione contumelioſum, probare teneatur, *ſe non convicii conſilio aliqvid injurioſum dixiſſe, ac tum demùm fides veri à calumnia ipſum defendat*, ut habet *Lex Diocletiani. ſi non conviciis C. de Injur.* In Doctore tamen publico, etiamſi non ſuum diœceſanum, ſed etiam extraneum corripiat, excipiendum eſt objectum, de qvo corripit, & modus qvo corripit. Si extraneũ corripit *ob heterodidaſcaliam*, privato verbo aut ſcripto; corripit id, qvod etiã populari actione poterat accuſare: adeoqve nulla injuria committitur ratione objecti, qvando ex officio illud corripere tenetur: Neqve ratione modi generici, ſive, qvòd privatim corripit, qvum admonitio ſit præmittenda hæreticorum devitationi Tit. III, 10. Eaq; non reſtringatur à loco publico ad privatum locum qvaſi tantum privatim oporteat heterodidaſcaium corripere. Neqve ratione modi ſpecifici, ſive, qvòd corripit verbis incommoda & damna per rei naturam ex Heterodidagmate ſecutura præfigurantibus, etiamſi hæc damna infament eum qvi dat: Ut qvando v. e. Apoſtolus docet I. Cor. XV. Eos, qvi in communione externa *cum ſanctis & electis* Corinthiis vivebãt, & dicebant *tn. Reſurrectionem jam eſſe factam*, & fieri qvotidie per corruptionem & generationem hominum; *Eos*, inqvam, *introducere Epicureiſmum, Atheiſmũ, & panolethriam totius religionis. verſic. 13 14. 17. 33 Edamus, bibamus, ludamus, qvia nullam erit judicium, &c.* Hæc nulla erat injuria, tametſi vel *Demas vel Hymenæus* vel qvisqvam alius frena momordiſſet. Stylus curiæ Propheticæ, Apoſtolicæ & Priſcæ Eccleſiæ ita fert. Sicuti num. 330. & ſeq. *& part. 1. n. 67. 156. ſeq.* oſtẽdi. Cõferri poſſunt B. Lutheri Scripta Elẽctica in Henricũ Regẽ Angliæ, Georgiũ Ducẽ Saxoniæ, Albertum Archiepiſ. Mogunt. & Magdeburg. Heinricum Ducem Brunſvic.

345 *Reſpondetur ad textus juris civilis.*

Brunſvic. Zvvinglium,Carolſtadium,Johannem Islebium,Lovanienſes, Colonienſes,Sorboniſtas,Papam deniqve ipſum , ejusq; Aſſentatores,Sylveſtrum Prieratem,Wimpinam, Hogoſtratum, Eccium,Emſerum & innumeros alios.

346 Sic: Qvando oſtenditur; Qvòd ex doctrina Pontificiorum de *adoratione religioſa*, etſi reſpectivâ *Imaginum* ; *De qvalitate & indemnitate peccatorum venialium* ; *De ſufficientia attritionis virtualis,ad abſolutionem à reatu peccati conſeqvendam* ; *De vicariis ſatisfactionibus & meritis hominum pro hominibus* ; *De obligatione ſemel tantum in anno,& qvidem ſolo Paſchatis tempore pœnitendi* : *De ſufficientia fidei implicitæ*,ſenſu Pontificio ſic ſumptæ,*ad ſalutem conſeqvendam* ; Qvòd ex doctrina *de incertitudine relativa gratiæ præſentis apud Deum*,aliisqve,ſeqvantur reſpectivè *Epicureiſmus, Atheiſmus, ignorantia Dei,ſecuritas vel deſperatio; Qvòd aboleatur tota fides Chriſtiana,deſtruatur fundamentum fidei,&c.* nulla injuria eſt. Nulla omninò injuria eſt, qvando oſtenditur ex attributis Antichriſti, *Romanum Epiſcopum eſſe Antichriſtum*,etiamſi proprii effectus Antichriſti,*citra dolum & mendacia exerceri non poſſint*. Qvando item aſſeritur : *Communionem cum omnibus Sectis, ratihabentibus ſolum Symbolum Apoſtolicum juxta popularem & nativum ſenſum literæ* , *& licentiam affirmandi vel negandi reliqva ſcripturarum dogmata* , *per Symboli illius literam non expreſſa*, introducere Epicureiſmum & Atheiſmum;nulla eſt injuria,qvandocunqve hæc conſeqventia deducitur à Doctore Eccleſiæ,veritatis defendendæ cauſa,loco & tempore competentibus.

347 Ergo non debent nec poſſunt tales conſeqventiæ in Doctore publico publicè,& velut per actionem popularem palàm eas proponente,vindicari tanqvam injuria,etiamſi in extraneum juriſdictioni ſuæ non ſubjectum iſta dixiſſet. Qvia non ſolùm ſeqvuntur hæc conſectaria ex præmiſſis iſtis , qvicqvid præmiſſarum aſſertor intendat vel non attendat; Sed,qvod præcipuum eſt, tenetur qvivis Doctor pro circumſtantia temporum & perſonarum,ut ex officio moneat tùm ſuos,tùm univerſam Eccleſiam de hiſce incommodis,manantibus & manaturis ex illis præmiſſis.

Ve-

Digitized by Google

Veruntamen, ſi qvis abſolutè citra allegationem præmiſſarum, Aſſertorem præmiſſorum dogmatum, velit appellare Atheum, ſive pro ſermone familiari, ſive extra officii rationem & exercitium extra loci competentiam, &c. ei impingere hoc nomen, non vacaret culpâ. Circumſtantię loci, temporis, occaſionis, ponderandæ ſunt, atq; ex his judicandum de affectione animi: Namqve in injuriis qvalificandis non ſolùm ſono verborum, ſed etiam locus, tempus, geſtus & habitus corporis, aliaqve male affecti animi ſigna attendenda ſunt, ſecundum tradita per *Dn. Berlich. Concluſ. p. 5. 59. n. 32 ſeqq*, Dn. Carpz. *Defin. forens. p. 4. c. 42.* Aut ſi qvis crimina ipſa, qvibus qvisqvam dogmatizando directam vel obliqvam occaſionem dat, danti objiciat, tanqvam ipſo externo facto ab illo commiſſa, ut v. gr. Tu, *Martine de Magiſtris* doces, *ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum: Ergo fornicarius es ipſo facto proprio:* Aut; *fornicarius es Martine*; procul dubio injuriarum tenebitur. 348 *Diſtingvitur*

Aut, ſi qvis qvalecunq; crimen, qvod naturæ lumine conſtat eſſe crimen, cuiqvam non ſubdito, verbo vel ſcripto, extra limites correptionis fraternæ, id eſt ſecretæ & privatæ, objecerit, & de emendando tali crimine ipſum pariter non monuerit; dubio procul injuriarum tenebitur. V. gr. Si qvis privatus, *Platonem*, extra limites privatæ admonitionis, vocitaſſet *ſeductorem, & corruptorum publicæ honeſtatis*, eò, qvòd *communionem uxorum docuit & ſcriptione defendit*, injuriarum teneretur. Si qvis autem Doctorum, vel Judicum, voce vel ſcripto publico, ad monendam qvamcunvis communitatem à cavenda communione uxorum, Platonem vocitaſſet *ſeductorem & corruptorem publicæ honeſtatis*, non teneretur injuriarum; qvia præſumitur ex officio monuiſſe omnes qvorum intereſt, de vitanda hac turpitudine, ex lumine naturæ tali, & qvam Plato, ex pœna divinitus immiſsâ, negavit eſſe turpem, qvum per naturam potuiſſet agnoſcere, turpitudinem hanc durationi ſocietatis civilis pariter & conjugalis adverſari. Rom. I, 24. ſeqq. 349

Multò minus igitur tenebitur injuriarum, qvi ex officio Doctoris publici, & ſervatis inſuper regulis privatæ correptionis, 350 *Ampliatur.*

Digitized by Google

nec non ex charitatis officio, vocabulis, non habitum perſonalem, aut intentionem animi, ſed eventum denotantibus, heterodidaſcalum corripuit de criminibus ſeqvuturis ex talibꝰ præmiſſis, qvarum præmiſſarum veritas aut falſitas citra lumen ſupernaturale diſcerni non poteſt. Qvalia ſunt plæraq; crimina, qvæ ex hypotheſibus Pontificiorum ſupra commemoratis, *de Idololatria indirecta, de indĕnitate peccatorum*, qvæ venialia vocant, *de efficacia aqvæ luſtralis* ad expiationem horum, &c. conſeqvuntur, ut Dogmatiſtã illorum citra omnem injuriam appellare poſſim ſeductorem plebis. Etſi per naturæ lumẽ ille agnoſcere neqveat, qvòd ſeducat plebem, neqve in animo habeat ſeducendi populum, ſeductione ſibi cognitâ, ſeu qva tali. Atqve hoc ſenſu ſæpe vocitantur *Ariani, Neſtoriani, Sociniani*, qvi formaliter tales non ſunt, *ſed materialiter*, i: conveniunt cum Arianis, Neſtorianis, Socinianis in illis principiis, qvæ ad formã & differentiam ſpecificam illorum hæreticorum ab Orthodoxis pertinent.

351 Fatigarunt ſe in enotanda hâc difficultate *Giesbertus & Paulus Votii*, pater & filius, Profeſſores in Acad. Ultrajectina ad Lecum, injuriarum poſtulati *à Renato des Cartes & Samuele Mareſio*, & ad plebeja tribunalia pertracti; ſcriptis idiomate Batavo ante hoc decennium, editis de reatu objecti mutuum *Atheiſmi, Scepticiſmi, Libertiniſmi, Idololatriæ indirectæ, occaſionis datæ Hupäis per initionem Fraternitatis Marianæ cum Pontificiis, ut inſidias ſtruere poſſint moderno ſtatui Batavico*; aliisqve conſectariis moralibus, qvæ *Votii*, pater & filius, derivaverant ex *Renati & Samuelis* libris. Unde nata eſt *Giesberto* Diſputatio IX. *de Atheiſmo*, volum I. Diſp. ſelect. qvam vide fol. 179. ſeqq.

352 De verbis *ex communi ſenſu & uſu vulgi injurioſis*, qvæ Paſtores, aliiq; ſuperiores in ſuos auditores & ſubditos nonnunqvam jaciunt; qvũ õ ad fraternam ſed ad paſtoralem correptionem ſpectẽt, ſuperſedeo multis hîc anqvirere. Hoc tamen affirmare õ poſſum: Si *fortè* Paſtor in ſolis verbis Elenchi moralis erga ſubditos excedat, ſervatis de cætero gradibus admonitionum, loco & tempore congruis; debere cogi ad publicam palinodiam ob ſolum exceſſum

Verba abeuntia à ſtylo Eccleſiæ.

ceſſum

ceſſum in verbis loco & tempore competente prolatis. Niſi etiam Pater naturalis, qvem tamẽ jura Cæſarea ab actione injuriarum abſolvunt, ad palinodiam cogi debet. Merito tamen corripitur à ſuperioribus ſuis. De qvo ſupra n. 59. ſeqq.

Multò minus adigi poterit ad palinodiam ob Elenchum vel 353
Epanorthoſin individui uniꝰ vel alterius, ſi exiſtunt illa crimina, *Ob elenchum*
& vera ſunt, à qvibus Paſtor etiam publice unũ vel plures denomi- *perſonalem*
nat & flagellat. Deinde, ſi poſt adhibitos gradus admonitionum *nemo ad Pali*
illud facit. Non magis inqvam injuriarum conveniri poterit, qvã *nodiam cogẽ-*
Jeſaias, qvi Principes & cives ſuos vocat *fures & ſocios furum* Jeſ. 1 *dus, ſi gradus*
Frivolum enim eſt, Epanorthoſes haſce nominales & perſonales *ſervavit.*
ad facta heroica reſtringere, & communi Paſtorum officio elenctico in Theoricis, epanorthotico in moralibus vitiis, hanc facultatem derogare. Qvum nimis apertum & manifeſtum ſit Apoſtoli præceptum I. Tim. *V: Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timeant*, & exempla de nominetenus correptis, & nominetenus excommunicatis nimis ſunt luculenta. Legantur Chryſoſtomi invectivæ in *Gainam, in Eutropium*, ejusq; Commentarii in illud: *argue ἀποτόμως, Tit. I, 13. Homil. III. & in II. Cor. XIII, 10: Ne utar poteſtate mea ἀποτόμως. Homil. XXVIII in Mat.* Ubi adverbiũ hoc õ ſolùm de excommunicatione, ſive præciſione à cætu, ſed de præcedanea qvoq; diſtinctâ & nominali correptione ſingulorum exponit: Idq; exemplis Nathanis nominetenus corripientis Davidem, Eliæ nominetenus Achabum, Jeremiæ & Johannis Baptiſtæ, publicè & de nomine caſtigantium Jechoniam, Sallum, Zedekiam, & Herodem Reges demonſtrat.

Nec dubito, Hoſeam Prophetam cap. IV, 4. perſtringere et- 354
iam eos, qvi Paſtores ſuos actione conveniebant injuriarum apud Judicem, qvòd ſive nimis acerbe, ſive nimis ſpecificę correpti eſſent, qvum ait: *Vitiis qvidem blaſphemiæ, furti, adulterii, &c. obnoxii ſunt: At nemo vult corripi, nemo reprehendi ſed populus iſte eſt tanqvã accuſantes, ſive litigantes cum Sacerdote.* LXX. verbum ריב qvando de populi repugnantia dicitur, verterunt per δικάζειν. *nemo vult ultionem pati:* Qvando vero de Sacerdotibus à plebe accuſatis uſurpatur, vertunt per ἀντιλέγεσθαι, ſignificat n. freqventer ulciſci, τὸ δι-

χάζειν. Judic.VI,31.Pſ.XXXV,1.Pſ.XLIII,1 Pſ.LXXII,23. Jer.XV, 10. Thren.III,57. Hieron. Theodoretus & Lutherus in Comment. *de vindicta judiciali*, non extrajudiciali eorum, de qvibus qvisqvam pro concione correptus eſt, exponunt.

Accedit manifeſta ratio à majori: Si n. Paſtor aliqvando po-
355 teſt & debet procedere ad publicam excommunicationem perſonarum ſingularium; multò magis poteſt & debet aliqvando procedere ad publicam denominationem perſonarum excommunicandarum; qvia hæc publica inclamatio, eſt qvaſi ultimus gradus ad excommunicationem perſonæ illius ſingularis, qvæ cùm privatas tùm publicas correctiones flocci fecit & contempſit.

356 Suffragantur jura Cæſarea tùm in communi, tùm in ſingulari. *Suffragium juris Cæſar.* In communi, qvando ajunt: *Fidem veri defendere eum à calumnia, qvi probare poteſt, ſe non convitii conſilio dixiſſe aliqvid injurioſum l.5. C. de Injuriis.* Poteſt a. probare ſe non convitii conſilio dixiſſe, *qvi mandatum divinum* habet publicè peccantes publicè arguendi, *ut reliqvi timeant, & reos pudeat*; ut oſtendi ſupra n.313. ſeqq.

Deinde, ſi condemnandus non eſt, qvi revelavit in judicio ſi-
357 ve extra judicium illud crimen proximi, cujus intereſt Reip. ut reveletur, *per leg. Eum qvi nocentem infamavit. ff. de injuriis*, additâ ratione: *qvia oportet & expedit peccata nocentium nota eſſe*; Paſtores a. ſolùm ea vicia in perſonis ſingularibus publicè flagellent, & qvidem poſt fruſtra adhibitos gradus privatos & publicos, qvæ vel atrocitate ſuâ totam communitatem anathemati divino objiciunt, vel exempli contagio alios inficiunt; liqvet, intereſſe Reip. ut non ſolum vitia iſta, ſed & Autores refellentur. Et conſeqventer ad palinodiam ſaltem condemnandi non ſunt, qvia lex dicit: *Non eſſe bonum æqvum, eam ob rem condemnari.*

358 Suffragantur etiam *tertiò* in ſingulari: *Si ſutor* (aut alius opifex) *puero diſcenti, ingenuo, filio familias, parum benefacienti qvod Magiſter demonſtraverat, formâ calcei cervicem percuſſit, ut oculus puero eluceretur: ex lege qvidem Aqvilia, de damno poteſt conveniri; injuriarum a. actione non poteſt; qvia non injuriæ faciendæ causâ, ſed monendi & docendi id feciſſe præſumitur, ut eſt in l.5. §. Si Magiſter ff. ad l. Aqviliam*; Qvæ lex iisdem propè verbis repetitur *l. Item qværitur 13. §. Item*

Ju-

Julian.ff.de locato Cond. Qvantò minus Magiſter animarum poterit conveniri, actione contumeliæ? Ad ſummum poterat conveniri æſtimatione damni, qvia *contumeliam non præſumitur intuliſſe, cui alia corripiendi cauſa ſuccurrit.* ut lex ait.

Qvartò: Si ſenioribus ſangvine propinqvis tributa eſt poteſtas corrigendi minores pro qvalitate delicti, *per extenſionem auctoritatis patriæ in eos*, uti Valentinianus & Valens Impp. decreverût *l. Un. Cod. de emendatione propinqvorum*: Manifeſti a. juris ſit, *Patresfamilias ob convicia in filios dicta injuriarum conveniri ab illis non poſſe*, nedum ad palinodiam cogi; profectò non video, cur patribus animarum minor debeatur reverentia, qvum Apoſtolus ad *Ebr. XII. majorem reverentiam jubeat haberi his*, qvàm illis; ut mox oſtendam. 359

Qvinto & cumprimis ſuccurrit Paſtoribus ex officio corripientibus ſcandaloſos ſubditos Canon Anteri Papæ, qvi altero à Chriſto ſeculo vixit. *11.q.3*: *Abſit, ut qvicqvam ſiniſtre de his arbitremur, qvi Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt: per qvos Nos etiam Chriſtiani ſumus, qvi claves regni cœlorum habentes ante judicii diem judicant.* Occaſio ſtatuendi naſcebatur *ex vitio detractionis*, ut videre licet ex contextu Epiſtolæ *ap. Binium* in vita Anteri *T.I.Concil.fol.93*: *Caveat unusqvisq́, ne aut ipſe aliis detrahat, aut alios audiat detrahentes. Parcant ſinguli detractioni lingvæ, cuſtodiantq́ ſermones ſuos. Non eſt humilitatis meæ neq́ menſuræ judicare de cæteris, & de miniſtris Eccleſiarum ſiniſtrum qvicqvam dicere, &c.* Hæc qvidem leguntur in Epiſtolis Hieronymi ad Nepotianû & Heliodorum. Unde *Magdeburgenſes, David Blondellus, & Binius* ipſe judicant, Epiſtolam non eſſe Anteri; Canones tamen ſunt juris Canonici, neqve lege recentiore, nec conſvetudine abrogati. 360

Neqve voluit aut potuit huic præcepto, nominetenus & publicè caſtigandi contemptores priorum & privatarum dehortationum, derogare *Conſtitutio Electoralis Saxonica: Artic. general. 3. §* zum ſiebenden. Bis n. claris verbis principium proximû impellens ad elenchum perſonalem, cui illic interdicitur, determinatur, qvòd non liceat aus eigenen Affecten, Et poſtea manifeſta re- 361

Reſpondetur ad object. è Conſtitut. Ecleſ. Sax.

ſtrictio interdicti additur: Daß ſolches allein auff die ärgerliche Predigten gemeynet/da die Pfarrer aus Zorn und eigener Rachgier ihre eigene Sachen auff die Cantzel tragen; ſuos privatorum adverſarios nominibus exprimunt, aut à notis propriis ita circumſcribunt, ut individuum vel individua omnibus innoteſcant.

362 Cùm a *exceptio & limitatio firment regulam in caſibus non exceptis*: claret ex hac ipſa conſtitutione, qvod elenchus etiam nominalis, poſt irritos priores gradus, ſi ex Zelo juſtitiæ & ſalutis auditorum fit, per has ipſas Conſtitutiones potius approbetur: qvum præſertim in eodem §. jubeantur Paſtores non ſolùm caſtigare vitia, ſed etiam vitioſos ex Ezech. 3. idq; non ſolum in forma cōmunitatis, aut ſub individuo vago, ſed etiam in individuo ſingulari, ſi opus ſit, ſicuti textus originalis, ex Ezech. III, 17. 18. 19. ſeqq. *illic allegatus*, objectum caſtigandum deſcribit, non ſolùm per modum communitatis in plurali, ſed etiam per modum ſingulorum individuorum in ſingulari: Qvod Apoſtoli in Novo Teſtamenvocant *corripere ἕνα ἕκαστον, unum & ſingulos* νουθετεῖν: *Act. XX, 31* Qvod verbum νουθετεῖν de hæreticorum correptione uſurpatur Tit. III, 11. Sic Coloſſ. I, 28. I. Theſſal. II, 11. &c. *Corripere ſingulos:* Alexandrum fabrum, inceſtuoſum Corinthium, *Hymenæum, Philetum, Demam, Phygellum, Hermogenem, &c.* Qvemadmodum Chryſoſtomus in publicis parænesibus ad populum, Non ſolùm *Gainā, Eutropium, Stiliconem, ſed Eudoxiam qvoq; Auguſtam* nominib9 expreſſit; *Hilarius, Lucifer Calaritanus, Athanaſius*, Conſtantium Imperatorem publicè Tyrannum & Antichriſtum proclamarunt ut ſupra qvoqve oſtendi.

Et Qvemadmodum Sereniſſimus Elector Saxoniæ *in proceſſu*
363 *Judic. Tit. XLII.* qvando per univerſale ſignum perſonarum actioni injuriæ obnoxiarum, Wer der auch were / der freventlicher/ vorſetzlicher und muthwilliger weiſe den andern Mañ oder Weibsperſon an Ehren ſchmähen/läſtern/ſchänden und injuriren/ und derhalben rechtlich beklagt würde/&c. decernit: hunc & hos omnes teneri ad reſpondendum in judicio & ſatisfaciendum per palinodiam, &c. neqvaqvam voluit ſupponere; qvod injuriæ illatio activa, pervicax, proæretica, & petulans, ex dolo malo & hoſtili

pro-

Digitized by Google

propoſito cadat etiam in patresfamilias adverſus ſuos filios, ſed potius per limitationem qvalitatis,&adjectionem horum prædicatorum, freventlicher/vorſetzlicher und muthwilliger Weiſe/voluit hos eximere,in qvos de jure communi non cadit præſumptio talis injuriæ,ex allegata *l. ſed etſi 5. ad l. Aqvil. l. item qværitur 13.§. licè Julianus ff. locat;* Ita per ſigna illa univerſalia,circumſcripta certis qvalitatibus,neqvaqvam voluit ſupponere: qvod Patres ſpirituales in ratione officii verſātes fiant obnoxii tali injuriæ activæ; qvum hi non minus gaudeant præſumptione regularis officii,& ſpiritualis qvidem; qvàm illi gaudent præſumptione præſtiti officii naturalis.

Hæc enim præſumptio de exercitio diſciplinæ paſtoralis &paternæ à Paſtoribus animarum intento & ſuſcepto, validius fundatur in præcepto divino,qvàm ulla præſumptio de animo Patrisfamilias in jure divino,naturali aut civili usqvam extat.Qvin potius infert jus divinum à minori ad majus hoc modo: ſi de patribusfamilias præſumitur,qvod animo corrigendi corripiant, multò magis & longè æqvius hoc præſumi de patribus animarum. Verba Apoſtoli ſic habent *Ebr XII,9.10: Si patres carnales habemus caſtigatores,& reveremur eos, Annon potius obſecundabimus Patri ſpirituali &c.* ubi de reverentia caſtigatorum erga caſtigantes ſermo eſt,*verſiculis anteced.5.6.7. & conſeqq.11.12 13.* ut cuivis patet. Iterum *II.Cor.V,11.13: Scientes timendum eſſe Deum,ſvaſionibus homines tractamus: ſive n. excedimus,ſive moderatè agimus,Deo id facimus, qvi hoc officium nobis commiſit,&c.* Latinorum Interpretum,Græca ignorantiū,nudæ conjecturæ hic non ſunt attendendæ. Chryſoſt. *Metu tribunalis divini à ſcandalis cavemus; ſive n. magnum qvid proloqvamur,hoc n. mentis exceſſum vocat,ſive humile aliqvid ac demiſſum,veſtri gratiâ hoc facimus,ut modeſtè ac ſummissè de vobis ſentire diſcatis.* Hanc expoſitionem *Oecumenius & Theophylactus* itidem Græci,in commentarios ſuos transſcripſerunt.B.Lutherꝰ Erasmū ſecutus,Stapulenſem,& Cajetanum; *Exceſſum*,de qvo loqvitur Apoſtolus non ſolùm reſtringit *ad exceſſum gloriationis de præſtantia Apoſtolatus ſui*,ſed etiam ad ſeveritatem increpationum,qvibus opponitur τὸ πείθειν ἀνθρώπους, & τὸ σωφρονεῖν: *ſvaviter perſvadere*

364 *Præſumptio de animo paterno Paſtoris nititur expreſſo jure divino.*

dere hominibus;& modeſtè cum illis agere. Unde patet, qvòd oppoſitum, nempe *acerbis ſermonibus & verbis excedere*, æqvè adſcribatur paterno & divino Zelo Paſtorum, atq; modeſtia adſcribitur animo ſalutis auditorum cupido. Qvem ſenſum etiam *Batavi* in verſione ſua, *Vinarienſes, Phil. Mel. Hunnius & Balduinus* in Commentariis ſeqvuntur. *Confer II. Cor. X. v. 1. 2. 3. ſeq. 10. 11. 12. ſeqq.* ubi facultas ſtrictioris & remiſſioris diſciplinæ expreſſe confertur Paſtoribus animarum & *cap. XII, 20 21. cap. XIII, 1. 2. 3.* ubi repetit Apoſtolus qvod dixerat: *præſumendum eſſe de ſe, ſive rigoroſius, ſive remiſſius agat, qvod in omnibus collineet ad ſalutem ſubditorum.*

365 Fundatur hæc præſumptio de animo emendandi in Patre ſpirituali, & præceptum de toleranda etiam injurioſâ qvaſi caſtigatione in illa determinatione divinæ Majeſtatis, qvæ extat Num. XII, 14. 15. qvando Moſes intercedebat pro veloci reſtitutione & Receptione leproſæ ſororis ſuæ in cætum publicum: Deus a. denegabat feſtinam illam Receptionem, ſimilitudine ductâ à naturali debito erubeſcendi, etiamſi Pater naturalis correptione ignominioſâ affeciſſet filiam: *Si pater ejus* (inqvit) *exſpuiſſet in faciem ejus, annon ſeptem diebus ad minimum pudere eam oportebat? Multò magis igitur nunc eam pudeat ſeptem diebus, poſteà admittatur iterum in cætum.* Unde argumentor: Qvæ Correptio non poteſt vindicari per actionem injuriarum in Patre naturali, ea multò minus poteſt vindicari per actionem iſtam in patre ſpirituali: Correptio tàm ignominioſa, qvàm eſt exſpuitio in faciem filiæfamiliàs, nõ poteſt vindicari in patre naturali per iſtam actionem: Ergo Correptio tàm ignominioſa, qvàm eſt Exſpuitio in faciẽ filiæfamiliàs, multò minus poteſt vindicari per actionem injuriarum in Patre ſpirituali. Si a. actione iſtâ non poteſt vindicari, multò minus poterit vindicari effectu illius Actionis, qvi eſt Palinodia. Nec n. paterfamilias, qvi exſpuit in faciem filiæ, palinodiam canet, ſi filiam vocitavit ſcortillum.

366 Atqve his de cauſis etiam juris Saxonici Interpretes de officio Elenctico Paſtorum ſtatuunt, qvòd etſi convitio qvicqvam analogum protuliſſe de cathedra videantur, animus emendandi tamen pro loci & temporis ejus ratione præſumatur, neqve de palino-

linodia Paſtor facilè ſit ſollicitãdus. Dn.Berl.p.5.Concl.60.n.8.Dn.Carpz. Juriſp.Conſiſt.l.3.def.99.n.6,7. & latè,ſed à minori ad majus.

Didacus Covarruvias Tom 2. Variar.Reſolut.l.1.cap.XI. de injuria 367
qvæ verbis fit,&maximè de eâ,*qvæ veri criminis objectione* irrogatur n.5.6,7
ubi de præſumptione animi injuriandi,etiam inter æqvales & privatos crimina ſibi exprobrantes,agit: *Æqvo animo accerrimoq; judicio perpendendum eſſe*,ait,*qvomodo præſumptiones & conjecturæ de animo injuriandi deducãtur? Veri criminis & Reip.pernicioſi objectionem tunc demùm ex injurioſo animo procedere,qvando abſq; illa causâ,utilitateve ipſius negocii qvod tractatur, in judicio vel extra judicium contigerit. Qvando verò eadem objectio vel exprobratio ex juſtâ cauſa facta fuerit,æqviſſimum eſſe ut præſumatur,nõ animo injuriandi ſed eâ ex causâ contigiſſe.* Et hoc ait docuiſſe *Oldradum, Joannem Andr. Abbatem, Concilia Romana,Ripam, Martinum Navarrum* & alios.

Nec obſtat,qvod etiam Nobiles injuriarum poſſint conveniri ab inferioribus,& ad palinodiam cogi. Eos n. alia exceptio liberare neqvit, niſi exceptio dignitatis nativæ,aut ſtatus: qvam poſteriorem cum animarum Paſtoribus ſaltem communem habent;ſi non inferiorem. At exceptio dignitatis habitualis,non liberat Paſtores ab actione injuriarum ; Sed exceptio habitus per actum officii hîc & nunc exerciti.Qvemadm. Doctores alios,atq; & jam judices minus offendit injuria,qvæ ipſis infertur intuitu *dignitatis perſonalis,qvæ eſt ſine cura*: qvàm ea,qvæ infertur iis *ratione dignitatis curatæ,ſive intuitu & ratione officii*,per ea qvæ tradit *Menochiꝰ de Arbitr. Jud.ſent.Caſu 263.n.19.20.ſeqq.*

368 *Diluitur objectio à pari impari ſumpta.*

Ergo conveniri qvidem poteſt Paſtor injuriarum , at non propterea, qvôd qvẽqvam nominetenus caſtigavit pro cõcione,ſed propterea ,*qvod* 369
contra juris ordinem eum caſtigavit,ſive de delicto non omnino certo, ſive non publico & notorio,ſive citra præmiſſos gradus admonitionum , ſive de delicto in ſe Paſtorem commiſſo,in cujꝰ correptione laborat præſumptione affectuũ inordinatorum.

370
Extra hos caſꝰ,ſi poſt irritas admonitiones privatas,& publicas indefinitè propoſitas,ex Zelo juſtitiæ univerſalis,etiam nominetenꝰ caſtiget refractarios;non habet Electorales Conſtitutiones ſibi refragantes, qvæ elenchum & epanorthoſin nominalem & perſonalem ſolùm in hoc caſu interdicunt,qvando aus eigenen Affecten & Rachgier ad illũ provolatur. Confer.Conſil.Theol.Dedekenni *Vol.1.parte 3.Sect.I,membro 3.n.22.23.ſeqq.*

Digitized by Google

371 *Ratio à Diſparato.* Poſtremò multum differunt: *poſſe conveniri injuriarum: Et, poſſe cogi ad palinodiam:* Non omnis n. injuria, neq; in omnib9 perſonis vindicatur hac ſpecie pœnæ; ſed in arbitrio judicis poſitũ eſt, qvâ ſpecie pœnæ, pro qvalitate & qvantitate injuriæ, pro qvalitate injuriantis & injuriati, offensã cõveniat puniri. Qvod uti in privatis etiam perſonis obſervatu æqvum eſt: Ita multò magis in iis, qvi loco & vice Dei, qvi ex mandato Dei, qvi tantâ cum obteſtatione Dei, qvi metu contagii, metu reatus in totam communitatem devolvendi, metu deniq; æternorum cruciatuum in ſe recipiendorum ſi ſileant, peccatores notorios nominatim caſtigant, ſi maximè in modo & ordine caſtigandi peccaſſent.

372 *ab incongruo* Si enim judici providendum eſt, ne privatorum qvisqvã, proximo honorẽ læſum aut ſollicitatũ, majore ſuâ cum ignominia reſtituere cogatur, atq; ea fuit, qvam exprobrãdo aut ſolùm revelando intulit; profectò qvã maximè providendum eſt, ne Legatis Dei in cauſa ſalutis agentibus, ſi in modo exeqvendi exceſſiſſe contingat, reſtitutio honoris & famæ auditoribus facienda majore cũ ſua ignominia imponatur, atq; ea fuit, qvæ auditorum cuiqvã illata eſt. Imponitur a. majore cum ignominia Paſtoris, qvando palinodia publica ei imponitur, qvàm fuit ignominia auditoris; ideo, qvia propter notabilem exceſſum paſſionũ in objectante, hæc vel illa crimina uni vel pluribus auditorum rarò creduntur eſſe vera, qvæ per iracundiam objectantur: Adeoq; exiſtimatio ejus cui objiciuntur, apud plebem minus læditur, qvàm Paſtoris, qvi ſciens prudens ex judicis ſententia ſeipſum mendacii accuſavit & mentitum ſe eſſe profeſſ9 eſt. Exceſſus affectuum in objiciente, derogat objecto vitio probabilitatem.

373 *Ab iniqvo, ſi qvis ob hæreſis exprobrationem cogatur ad palinodiam.* Accedit, qvòd infamatus ob hæreſin, ut hæreſis eſt, vel ob propagationem hæreſeos, qvum neſciret ſe propagare hæreſin, ſi palinodiã canat aut recantet, propterea non infamatur infamia juris, qvia obnoxi9 fuit facto vitio, qvod per naturæ lumen vitare non potuit: At, ſi Parochus ob præſumptum injuriandi animum, ad Palinodiam cogatur, utiq; incurrit juris infamiam, eò qvod injuriandi animus per naturæ vires poſſit & debeat evitari; adeoq; cogitur reſtituere honorem ei qvẽ læſit, majore ſuâ cum ignominia, qvàm fuit ignominia illata læſo, qvem nomine ten9 hæreſeos inſimulaverat. At verò, ut ſupra oſtendi, non poteſt nec debet præſumi injuriandi animus de illo Parocho, qvi vitium infectivum & contagioſum, cujus intereſt Reip. ut reveletur, etiam in individuo cui ineſt, cavendum notat, etiãſi in modo revelandi excedat. Diſſi-

Digitized by Google

Diſſimulatur n. tantiſper, qvod obligatio ad gradus ex Matth. XVIII. 374
præmittendos, ſolo jure poſitivo humano extendātur etiam ad Parochos, ex officio corripientes publica vitia, ſive morum ſive doctrinæ: Non præſcribit ille locus paſtorali correptioni iſtos gradus, ut vulgo creditur.

Succurrit alia ratio à diſcrimine loci, in qvo qvis corripitur ſumpta: 375
qvod diſcrimen etiā inter pares obſervandum eſſe docet *Covarruvias d. cap. XI. de injuria verbali, n. 7.* Unde à fortiori ſeqvitur, obſervandum tantò magis eſſe inter inferiores, & ſuperiores qvi illos ex officio arguūt, & in modo arguendi tantùm excedunt. *Palàm eſt,* inqvit, *facilius animū injuriā inferendi, extra judicium, qvam in judicio præſumi, ex veri criminis aut vitii objectione, cujus revelatio utilis vel Reip. vel proximo. Nempe: qvia is, qvi vitium aliqvod Reip. noxiū in judicii loco revelat, potius præſumitur id revelaſſe præſenti Reip. qvàm qvi extra judicium illud revelat. Ubi n. Reſp. magis repræſentatur, illic utilius & propius ad noticiam ejus deferri cenſetur, qvod deferendum eſt, qvàm extra judicium, ubi Reſp. non repræſentatur.*

De correptione ex cathedra non præſumitur dolo, qvia fit in loco judicii.

Sextò, inqvit, *juris eſt apertisſimi: Hujusmodi revelationem extra judicium* 376
fieri poſſe absq; injuriarum crimine ejusq; punitione. Vel ob ipſius criminoſi COR-REPTIONEM, *vel ob Reip. aut proximi neceſſitatem utilitatemvè: Ex his n. conſtat,* ANINUM INJURIANDI ABESSE.

Confirmatur à minori.

Addit cautionem, qvæ Paſtoribus præcipuè obſervanda eſt, ad conſci- 377
entiam illæſam ſervandam, nec non judicibus in foro conſcientiæ pronunciantibus: *Cautè tamen agendum eſt,* inqvit, *ut tutò & ſine peccato fieri poſſit. Nec n. ſeqvitur: Actioni injuriarum locus non eſt, igitur nec detectio criminis peccatum habet. Siqvidem crimen occultum, etiamſi probari poſſit, non eſt detegendum ſaltem extra judicium apud eos, penes qvos delinqvens infamatus non eſt, ſi damnum Reip. vel proximi aliter, qvam ex revelatione evitari qveat. Cùm ob ſolam utilitatem Reip. vel proximi permiſſum non ſit, alterius famam veri criminis revelatione lædi. Nam & hæc inconſulta detectio criminis peccatum eſt, ex qvo tenetur qvis famam alterius reſtituere, ſecundum Thomam & Cajetanum 2. 2. q. 62. art. 2* SED CAVENDUM *eſt, ne ita alteri famam reſtituat, ut ſe* MENDACEM ESSE *profiteatur. Ex iisdem & Majore in 4. ſent. diſt. 15 q. 16. Colum. 4. Et tamen hoc caſu injuriarum actio non datur.*

Liqvet mens Covarruviæ: Etſi in foro exteriore ſola utilitas vel etiam 378
neceſſitas Reip. aut proximi liberet revelantem etiā occultum crimen, modoq; illicito, & infami autoribus criminis, ab injuriarū actione, non li-

Exponitur Covarruvias

berari tamen iſtum Buccinatorem in foro conſcientiæ ſive interiore ab obligatione reſtituendi proximo famam illegitimè ablatam. Sed cavendum, ne hæc reſtitutio fiat per publicam palinodiam. Qvum n. ne injuriarum qvidem actio competat adverſus eum, qvem Reip. aut proximi utilitas liberant, multò minꝰ competere palinodiæ cantationem in talem, qvia palinodiæ Cantatio gravior eſt, qvàm ſola injuriarum actio.

379 *Septimo*, inqvit, *apparet: Eum, qvi verum alterius crimen ei exprobraverit, ex juſta cauſa, prava tamen intentione, ab actione injuriarum liberum non eſſe, imò graviter peccare, LICET ad famæ reſtitutionem minimè iſte teneatur, cùm ea non oriatur ex vitioſa cauſa, ut ſcribit Adrianus Qvodlibeto II. litera R. cui eleganter accedit Mart. Azpilcueta* (Navarrus) *in c. inter verba 1.11.q.3. Coroll.70.* Senſus itidem apertus, qvôd is, qvi juſtam qvidem cauſam detegẽdi criminis prætexere poteſt, concurrente tamen animo ægrè faciendi & infamandi autorem qvicqvam exprobraverit, non ab actione qvidem injuriarum liberetur, liberetur tamen à debito reſtituendi per palinodiam, qvia non omnis compenſatio injuriæ illatæ fiat per palinodiam.

Octavo, inqvit, *mihi probabile videtur, & id maximè utile ad Regiarum Con-*
380 *ſtitutionum interpretationem: Non eſſe à judice cogendum palinodiam canere, ſeq; mentitum fuiſſe coram viris honeſtis aſſerere eum, qvi alteri extra judicium, pravo animo, in rixa, manifeſtâ injuriarum inferendi intentione convicium dixerit, illi objiciens verum crimen,* CUJUS MANIFESTATIO UTILIS EST REIP. Qvod probatur ex his, qvæ proximâ ſextâ illatione annotavimꝰ.
„ Qvâ ratione idem eſſe cenſeo, ſi qvis alteri verum exprobret vitium, qvod
„ manifeſtũ fieri NIHIL utilitati publicæ conduxerit: licet extra ordinẽ is
„ utroq; caſu à judice puniendus ſit injuriarum ſanè actione, juxta Bartoli
„ & ſeqvacium reſolutionem.

381 Præmiſerat a. *Covarruvias, Bartoli, Cyni*, aliorumq; obſervationem de diſcrimine inter vitia, *qvorum interſit Reip. ut revelentur, & eorum qvorum non interſit Reip. n.2 & 6.* Iſtius generis eſſe ait:
Si qvis alteri objecerit, *Leproſum, Sodomitam, hæreticum, falſarium, ſpurium, latronem, furem, homicidam, meretricem, Lenonem &c.* eſſe. Poſterioris generis: ſi qvis alteri objecerit: *Cornutum, filium meretricis, lenonis, &c.* eſſe. Et Bartolum qvidem cenſuiſſe ait, *qvòd objectio criminum prioris generis debeat eſſe impunita;* criminum poſterioris generis a. exprobratio puniri debeat
382 *arbitrariâ judicum ſententiâ.*

Ab hac Bartoli ſententiâ tantiſper abit Covarruvias, ut vitiorum prio-

Digitized by Google

ris generis exprobrationem,ſive in judicio ſive extra judicium factam,actione qvidem injuriam puniri poſſe ſtatuat, *palinodiâ a. non poſſe decernat:etiamſi manifeſtâ intentione inferendi injuriam exprobrata* fuerint, ſive judicialiter,ſive extrajudicialiter.

Qvantum ad noſtrum inſtitutum pertinet,palam eſt ex his: *Bartolum,* 383
Cynum,Covarruviam id nunqvam paſſuros fuiſſe, ut exigeretur à Parocho & concionatore palinodia,etiamſi unà cum juſta cauſa exprobrandi auditori uni vel pluribus nominatim vitium aliqvod contagioſum, etiam prava intẽtione eũ corripuiſſet: qvũ à nullo terræ filio palinodiam in hoc caſu jure exigi poſſe ſtatuerint.

Et hoc modo,inferendo ſcil. à minori ad majus, pro Clericis abſolutè 384 *Farinacius.*
à palinodia ob qvamcunq; injuriam alteri illatã liberandis,proceſſit *Proſper Farinacius Tom.III,de variis & diverſis Crim.Q.CV.n.74.& 75.*qvum ait: *Immunitatem ab onere reſtituendi honorem proximo per palinodiam,indubitãter procedere in his duobus caſibus.*(1) Qvando illata injuria fuit vera.*Tunc n. abſurdum eſſe dicere,qvod ille qvi verum dixit, faciat ſe mentientem & mendacem.* (2) in Clerico,qvi adſtringi non poſſit ad hanc *honorabilem Emendam,* (qvâ honor proximo reſtituitur per Retractationem; *utilis Emenda* dicitur,qvando reſtituitur per mulctam)

*Et ita uſu & in practica receptum eſſe,*probat Teſtimonio *Lopezii*, reprehen- 385 *Caſtigat Diazium,qvi ex indefinitate aſciebat univerſalem.*
dentis *Diazium*,qvi legem Hiſpaniarum,indefinitè omnes injuriantes adſtringentem ad palinodiam , ad Clericos qvoq; extendendam contendebat,ideo,qvòd qvi *omnes dicit,neminem excluſiſſe videatur.* Hoc refellunt *Farinacius & Lopez*,limitando ſatisfactionem Clerici, ad obligationem *petendi veniam* ab injuriato.Uti præcipitur *in C.Clericus maledicus diſt.XLVI. non a. qvod teneatur ſe retractare,& dicere ſe fuiſſe mentitum.*

Nobis a. ſermo eſt non de qvibusvis Clericis,ſed de Paſtore pro Cathe- 386
dra docente;Neq; de qvibusvis conviciiis ubivis prolatis,ſed de ſolis conviciis,aut potiꝰ cõvicio analogis verbis in ipſo actu officii elẽctici,ſive pro cathedra,ſive in privata admonitione ex profeſſo ſuſcepti fortè elapſis, qvòd palinodię impoſitio in his nõ habeat locum.De conviciis extra figurã,ſtatũ & præſumptionem officii paſtoralis proximo factis non agimus. Etſi & horum coërcitio,qvoad modum,*ſpectet ad arbitrariis judicũ pœnas.* Qvum ex confeſſione juris interpretum; palinodiæ pœna *nec de jure civili, nec de jure Canonico impoſita reperiatur.* Hoc n. omnes ſupponunt. ap.Farinacium *d.l.n.73.& Gloſſ.in Can,Clerico faciente 37.& C.Qvi vero Diſt.L.*

Digitized by Google

387 Concludã *Paciani* Barcinonenſis, Epiſcopi, Theodoſio Magno Imperante de-
Pacia functi ſentẽtiâ, excerptâ *ex parænesi ejꝰ de pœnitẽtia*, de cujꝰ autoritate *Bellar.* nihil
nus. dubitandũ eſſe putat, qvæ extat *Tom. IV. Biblioth. PP. f. 245: Ut cænũ*, inqvit, *ſolet tũc maximè fœtere cùm moves; & incendiũ maximè ardere, ſi verſas; & rabies tunc maximè ſævire ſi corrigas: Ita illi objurgationis neceſſariæ ſtimulos contrario calce fregerũt, nõ ſine ſuo malo & vulnere repugnantes. Nã dictũ à Domino eſt: Argue ſtultũ & odio TE habebit, Argue ſapientẽ & diliget TE. Prov. IX* Cui adſtipulatur illud Sirachidis, *XX, 22: Qvaſi compedes in pedibus eſt ſtulto doctrina: Et qvaſi vincula manuum ſuper manũ dextrã.* Qvid n. atrociſſimæ injuriæ magis affine, qvàm veluti per plagiũ ligatos & numellis impactos velle libertati ſuæ ſubducere homines ingenuos &
388 liberos? At *viro juxta cor Dei* cor erat aliud, congratulans nempe ſibi, ſanctisq; ſuſpiriis anhelans ad correptionẽ *Pſ. CXLI, 14. 15: Ne inclines cor meũ in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis*, (ſic Vulgata Lat. verſio habet, Ebræa habent: *ad machinandũ machinationes impias*) *cũ hominibus operantibus iniqvitatẽ:*
Augu *& ne communicẽ cũ deliciis eorũ; Qvin potius corripiat me juſtus in miſericordiâ, & in-*
ſtinus *crepet me.* Qvod Chaldæus de correptione paſtorali explicuit *h. m: Et increpet me Sacerdos, ungens me oleo unctionis ſanctuarii.* In qvæ verba *Auguſtinus Ep. CXLVII.* Proculeiano Epiſcopo Partis Donatianæ ſcribens, & Evodium Coepiſcopũ ſuũ allegato hoc Davidis voto excuſans, qvòd in Colloqvio cũ Proculejano acerbiꝰ hunc reprehendiſſet, ſic commentatur: *Neq; hoc in eã partem peto accipias, qvaſi ego Te à fratre Evodio tanqvã à* JUSTO *emendatũ intelligi velim; Vereor n. ne me qvoq; aliqvid contumelioſe in TE dicere exiſtimes, qvod vehementer caveo qvantum poſſum; ſed juſtus eſt ille qvi dixit, Ego ſum veritas. Itaq; de cujuslibet hominis ore nobis verùm cũ aliqva aſperitate ſonuerit, non ab illo homine qvi fortè peccator eſt, ſed ab ipſa veritate, h. e. à Chriſto qvi* JUSTUS *eſt emendamur; Ne noſtrũ caput blãdæ ſed pernicioſæ adulationis unctio, h. e. oleũ peccatorũ impingvet. Qvãqvã etiã, ſi frater Evodiꝰ aliqvanto pro ſuæ cõmunionis defenſione* TURBATIOR, *aliqvid elatius cõmotiore animo dixiſſet, ætati hominis, & neceſſitatis causâ TE oporteret ignoſcere.*

389 *Gregoriꝰ à Naziãzenꝰ* ad patris ſui Epiſcopi ſeveritatẽ hæc verba accõmodans Orat. XIX. Billio XXVIII. inter παραδοξώτατα hoc refert, qvòd, cùm Nazianz. Senior *aliis rotas & flagra ſæpe minatus fuerit, aliis veſtes atq; calceamẽta detrahi, eosq; in humũ proſterni juſſerit*; omnib. tn. ipſe ſolꝰ inter *cæteros objurgatores amori & admirationi fuerit.* νικῶντος τοῦ χρηστοῦ τὴν θερμότητα, *vincẽte cõitate acrimoniã ſive æſtũ objurgationis.* (qvædã exẽplaria legũt: νικῶντος τοῦ χριστοῦ, vincẽte Chriſto; ſed χρηστότης & θερμότης opponũtur.) *Nã profectò* (ait) *à viro juſto caſtigari præſtat, qvã ungi ab improbo. Iſtiꝰ n. aſperitas etiã ipſa propter utilitatẽ ſvavis eſt: Hujus a. benignitas propter* τὸ κακοηθὲς, *i: ob pravam iſtam aſſentandi conſvetudinem, meritò ſuſpecta eſt.*

Princeps pacis dirigat pedes noſtros in viam pacis!

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google